PARAPHRASIS, ET COMPENDIARIA EXPLICATIO AD NONNULLAS PAULI EPISTOLAS...

Gabriel Vázquez

Digitized by Google

NAZ. CENTR.
R. BIBLIOTECA VITT. EMAN. II
204
3 G
9
ROMA

13.

Digitized by Google

204-3-9-9
BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA
Digitized by Google

Digitized by Google

PARAPHRASIS, ET COMPENDIARIA EXPLICATIO AD NONNVLLAS PAVLI EPISTOLAS.

AVTORE

P. GABRIELE VAZQVEZ BELLOMONTANO SOCIETATIS JESV Theologo, OPVS VALDE NECESSARIVM ad disputationes Theologicas eiusdem Autoris.

ADDITA EST BVLLA PII V. ET GREGORII XIII. CONTRA MICHAELEM BAIVM.

AD CLARISSIMVM, ET PRÆSTANTISSIMVM DOMINVM, D. FRANCISCVM BORGIAM, PRINCIPEM SCHILACEVM, COMITEM Maialdicum, è Cubiculo Philippi III. Regis, & ex equestri militia S. Iacobi.

ANNO *M. DC. XIII.*

Domus Romanae Ministrantium

Clericorum Regularium Infirmis

INGOLSTADII,

Ex Typographeo ANDREÆ ANGERMARII.

Sumptibus Ioannis Hertsroi Bibliopolæ Monacensis.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLARISSIMO, AC PRÆSTANTISSIMO VIRO D. FRANCISCO BORGIÆ PRINCIPI SCHILACEO, COMITI MAIALDICO, E CVBICVLO PHILIPPI III. REGIS, & ex equestri militia S. Iacobi, Alfonsus Carrillus Rector Complutensis Collegij Societatis IESV, S. P. D.

INTER alias nostri Gabrielis Vazquez lucubrationes (Princeps clarissime) quas tantus vir sibi reliquit superstites; nobis verò non magis immaturę mortis solatia, quàm fœlicis vitæ monimenta, paraphrastica expositio habetur in aliquot Pauli Epistolas, subseciuis quidem temporibus ab eo elaborata, consilio probabili, nimirum vt Theologiam ex ipsis suis fontibus accerseret; & Apostoli testimonia, quæ maxime ad Theologicam rem faciunt, non ex re nata, aut ex verborum sono (vt quibusdam mos est) sed ex instituto scri-

Digitized by Google

ptoris, ex ipſo contextu, deniq; ex vero & genuino ſenſu explicaret vbi opus eſſet, aut explicaſſe putaretur. Quapropter non longæ commentationis opus molitus eſt, expoſitionum varietate, ac multiplici eruditione coagmentatum, quo nihil facilius eſſe ſolet hinc inde omnia corradentibus; ſed germanam, mireq́ue aptam textui paraphraſim perſecutus, præmiſſa dumtaxat compendiaria inſtituti explicatione, aut perbreui perioche, quæ ad ſingularium locorum intellectum capiendum valet plurimum: adhibitis etiam quibuſdam notulis, tum vt occurrentes alias difficultates explanaret, tum maximè vt obuias ſæpe voculas, quibus ſententiæ nectuntur, totaq́; argumentorum ſtructura conſtat, commodè exponeret, ne his quaſi calculis, & offendiculis interturbata mens à recto (vt fit) ſenſu exorbitet. Denique in ipſa Scripturæ ſacræ interpretatione & Theologum agit Autor, & rem agit ſuam. Expoſui hactenus operis rationem, optime Princeps: ſed quæ me ratio in eam mentem impulit, vt tibi illud potiſſimè nuncuparem, quòd exponam, nihil

eſt;

Digitized by Google

eſt; nam quæ ſuppetunt multæ,& maximæ, non quaſi in receſſu latent ſub luce maligna, ſed exiſtunt veluti in limine, & lumine ipſo. Debebatur id, quidquid eſt officij, aut grati animi documentum, tuæ aduerſus nos omnes vniuerſim, nominatim aduerſus noſtrum Vazquez beneuolentiæ, ac beneficentiæ præcipuę: vt tuus potius, quàm noſter dici poſſit, ac debeat: niſi ideo tuus, quia noſter dicendus ſit, eò quòd pro eximiis erga noſtrum ordinem meritis, & nos, & noſtra omnia iure quodam tuo tibi vendicas. Semper tibi in ore Societas, Vazquez ſemper: hæc etiam atque etiam ingeminas; vt quæ ore excidunt nunquam, altè inſediſſe neceſſe ſit. Quin hauſtam animo opinionem, an affectionem, omnibus inhalare non deſinis, patrueli in primis tuo Lermenſi Duci, ipſique adeo, cui adſtas, Philippo Regi Maximo, vt afflato imbuantur odore. Sed mirum non eſt, ita te erga noſtram Societatem affici, quando illam ſi minus progenitam, certè nutritam quaſi à teneris vnguibus conſtat ab illo tuo optimo auo, & noſtro Generali Præpoſito, Francisco Borgia

Digitized by Google

Gandensi prius Duce, de quo in sanctorum Canonem referendo serio iam agitur: eandem verò à parente tuo Ioanne Borgia Mariæ Imperatricis, & Reginæ Margaritæ summo Regiæ, atq; Augustæ domus Præfecto omnibus cultam beneficiis. Res autem paternas, & auitas quid ni studio complectaris? ita nos existimare par est, & tanti præconij, tantarumq; laudum causam à nobis reiicere, quoad eius fieri possit, ne aliqua simul cenodoxiæ, aut iactantiæ resideat labes. Tibi verò duplici nomine obstrictos nos profitemur, & quòd illius sis nepos, qui ita fuerit de nostra Societate meritus, vt ipsius secundùm Beatum illum Ignatium Autor dici possit: illius filius, qui eandem paterno semper affectu prosecutus est (id quod satis esset, vt alia deessent omnia, ad omnem beneuolentiam conciliandam) & quòd maiorum meritis indies ipse addas maiora, illorum, quod ad studium attinet, erga nostram societatem legitimus hæres. Illæ satis idoneæ causæ censeri possunt, vt quos tibi gratos in primis fore putabam Gabrielis nostri Vazquez libros, summa volunta-

luntate dicarem: sed non desunt aliæ præcipuæ, ac propriæ, cur hos maxime Commentarios in epistolas Pauli consecratum vellem. Atque illa primùm occurrit, quòd in earundem epistolarum lectione, & commentatione assidue te versari intelligam; adeoque putem, libellum hunc, non Autoris modò, sed argumenti causa commendatum futurum. Nam post iuuenilem ætatem equorum, & armorum vsui deditam (quo in vtroque genere omnium opinione excellis) tametsi interea pietatis, & literarum studia haud segniter colueris: vbi factus es vir, morum grauitatem, constantiam, fidem, prudentiam, æquitatem, religionem, cæterasque summo Principe dignas virtutes miro studio es consectatus. Illas quo melius tuearis, sacrarum literarum præsidia asciuisti, & quod existit otium à necessariis Philippi Regis obsequiis, modò agitandis Theologiæ quæstionibus, modò difficilioribus scripturæ locis enucleandis studiosè conteris. Quis tibi paulò doctior incognitus? quæ intacta Theologiæ, aut scripturæ pars? vt iure mirentur omnes, pari cum laude equestria,

: : : &c li-

& literaria ſtudia tractare quenquam poſſe: & quæ eſſe ſolent Philoſophici pallioli, vitæque priuatæ, ac tenuis ornamenta, in aulicam, & principalem conuenire, ac prope adductum illud æuum, in quo (vti ille dicebat) aut philoſopharentur Reges, aut regnarent Philoſophi, quando ſumma dignitate vir, ac Regi in primis carus, & familiaris, vel in ipſis ſacris diſciplinis eam nactus eſt facultatem, atque peritiam, vt auream iſtam clauem lateri tuo affixam, clauem ſcientiæ interpretari liceat. Verùm cum Pauli maxime Epiſtolas, ob inſignem earum difficultatem, & perutilem doctrinam lectitare ſoleas, non dubium, quin gratior tibi ſit futura, quæ in eiſdem explicandis verſatur opera: libentiusq; alienos de hoc argumento Commentarios accepturus ſis, tuos nobis aliquando fortaſſe daturus. Affinis ea quoq; ratio eſt, cur hunc tibi in primis Cōmentarium deferēdum putauerim, quòd, vt es æquus æſtimator, maioris muneris loco ſis habiturus, quàm ſpecie tenus præſeferat; quippe illum nō ex voluminis mole, vti alius fortaſſe indoctus, ſed ex rei præſtantia ſpectabis.

Digitized by Google

bis. Accedit, quòd quæ hactenus typis data sunt eiusdem Autoris opera, prius è Cathedra dictata fuerant, adeoque vulgata iam, & trita habebantur: hoc verò vnum est, quòd cum illibato hucusq; sit flore, dignum videri munus potuit, quod in tuas primùm manus veniret, indeq; in communem omnium manaret vtilitatem: vt de Republica benemereri incipias, ad cuius gubernacula ipsæ te virtutes, ipsę populi voces iam diu vocant, breuiq; sessurum quotidie nobis portendunt. Quod si aliena tutela posthumo fœtui quærenda erat, à te in primis petenda videbatur, qui eodem illum, quo Autorem prosequaris amore; possisque non modo autoritate instructus, sed ratione armatus sartum, tectumq; præstare: neq; alius facile inueniatur, in quo cum dignitate maxima summum quoq; iudicium coniunctum sit, quod nemo valeat infringere, nemo ausit temerare. Age ergo, & tuum illum Vazquez tantopere à te decantatum in hoc libello spirantem, loquentemq; accipe: nosq; simul omnes ea, qua soles, humanitate complectere, &c. Vale.

Digitized by Google

APPROBATIO.

Paraphrases, & Annotationes in octo Epistolas D. Pauli, doctissimi Patris Gabrielis Vazquez Societatis Iesu vidi, & perlegi, de mandato supremi Senatus. Eas verò dignissimas iudico quæ lucem aspiciant, tùm quòd breuiter intellectu difficilia ob oculos ponit, & mentem Apostoli aptissima sententiarum cohærentia in paucis explicat, tum etiam quia per fidei principia viam sternit, ad optima Theologiæ Scholasticæ documenta, & lucubrationes illas non satis pro dignitate laudatas: tantum abest, vt in eo opere dissonum quidpiam fidei, aut moribus oculatissimus quisque reperire queat. In Cœnobio D. Philippi Matritensis, die vicesima Iulij. Anno Domini 1610.

M. Frater Philippus de Campo.

APPRO-

APPROBATIO.

EGo Bartholomæus Perez de Nueros, Societatis Iesu, in Prouincia Toletana Prouincialis, è facultate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Generali Claudio Aquauiua, facultatem concedo, vt typis mandentur Paraphrasis, & Annotationes in octo Epistolas B. Pauli Apostoli, ad Romanos scilicet, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses duas, & ad Hebræos, à P. Gabriele Vazquez Theologo Societatis nostræ, & grauium, Doctorumque hominum iudicio Patrum Francisci Rodriguez, Gaspari Sanchez, Petri Viuero, eiusdem Societatis approbatæ. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus in Collegio Complutensi die 21. Aprilis. Anno 1610.

Bartholomæus Perez de Nueros.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

DAmus, amice Lector, eum quem Doctorem scholasticum sex voluminibus, vt magistrum suum scholastica Theologia suspexit: damus nouo interpretis munere, eo expositionis genere, qua suppresso autorum, ac sententiarum tumultu, sola innitatur literali veritate. Faxit illa interminata numinis prouidentia. vt qua solicitudine maturamus euulgare eiusdem Doctoris scholastica opera circa Sacramentum, & sacrificium Missa, Ordinem, Pœnitentiam, & alia, tu etiam fruaris aliquando. Interim oblectabit te istud ex promptuario scriptura selectum opus, de quo nihil est, quod moneam, cum nec sit ignoti hominis, nec nominis. Vnum obserua: quia ex numeris, ad quos annotationes refert Pater Vazquez, aliquid confusionis offerri

ferri posse videbatur, admonitum te volui benigne Lector, illis numeris, quos in annotationibus frequentes vides, indicari eos, quos autor adhibuit in Paraphrasi; ac proinde non est, cur numeri, qui textui sacro præfiguntur, te conturbent, quos nec in Paraphrasi, nec in annotationibus obseruauit autor. Vale, & fruere.

Digitized by Google

SYLLABVS EPISTOLARVM, QVÆ IN HOC LIBRO EXPLICANTVR.

I. Ad Romanos.
II. Ad Galatas.
III. Ad Ephesios.
IV Ad Philippenses.
V. Ad Colossenses.
VI. Ad Thessalonicenses 1.
VII. Ad Thessalonicenses 2.
VIII. Ad Hebræos.

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS, ET ANNOTATIONES IN EPISTOLAM B. PAVLI AD ROMANOS.

ARGVMENTVM TOTIVS EPISTOLAE.

DVo præcipuè Paulus in hac Epistola tractat, atq; idcirco totam in duas partes distribuemus. In priori parte, primum ostẽdit virtutem Euangelij, quod prædicat, gratiam scilicet Christi à 1. capite vsq; ad 11. quibus continetur prior pars Epistolę: cepit verò occasionem disputandi de gratia Christi, & spiritu fidei, ex quo nostra iustificatio prouenit, ex eo, quod dixerat in proœmio Epistolæ in primo capite, ea de causa se velle scribere ad Romanos, quòd nõ erubesceret Euangelium, cuius ipse

Digitized by Google

ipse erat prędicator: quia virtus Dei est, & contra impios ostendens iram, & erga bonos promouens eos ad iustitiam. Vtrumq; autem ostendit: prius quidē, quomodo sit virtus contra impios, cap. 1. & 2. Posterius autem nempe quomodo sit virtus erga bonos promouēs ad iustitiam à c. 3. vsq; ad 5. deinde dissoluit difficultates, quæ ex hac disputatione oriri videbantur, & obiici poterant, vsq; ad caput 8. In capite verò 9. vsque ad 11. occurrit Apostolus scandalo paucitatis credentium, multaq; interim explicat, quæ ad materiam Iustificationis pertinent. Et hæc in priori parte Epistolæ. In posteriori verò parte à cap. 12. vsq; in finem tradit moralia quædam præcepta.

ARGVMENTVM CAPITIS I.

PROPOSITA salutatione initio Epistolæ, ostendit Paulus desiderium, quod semper habuit, Romam veniendi ea de causa, vt ibi Euangelium, quod aliis gentibus annunciauerat, prædicaret. Causam verò duplicē subiungit, quare ipsum non pudeat Euangelium

gelium prædicare. Altera est, quia est virtus Dei ad iustificationem: & occasione huius vberius explicat in sequẽtibus capitibus discrimen inter Euangelium, id est, gratiam, & legem, non quidem prout ceremonialia solum præcepta, sed etiam prout moralia complectitur, vt ostendemus infra. Et ita non tantum inter legem Moysis, sed etiam inter quamcunque legem, & gratiam, differentiam constituit. Altera causa est, quia manifestè ex illo probantur, & redarguuntur peccatores, qui digni sunt ira Dei, & supplicio: quam posteriorem rationem statim prosequitur, 1. & 2. capite.

EPISTOLA B. PAVLI Apostoli ad Romanos.

CAPVT I.

1 PAVLVS seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segrega-
2 tus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos
in Scripturis sanctis, de filio suo,
3 qui factus est ei ex semine Dauid
secundum carnem, qui prædesti-
4 natus est filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum
5 Iesu Christi Domini nostri, per quem accepimus gratiam, & Apo-

PARAPHRASIS.

CAPVT I.

PAVLVS seruus Iesu Christi ad Apostolicum munus vocatus, segregatus in Euangelium Dei, 1 quod quidem anteà promiserat per Prophetas de Filio suo, qui ei, scilicet Patri, factus est homo secũdum carnem ex progenie Dauid, 2 & definitus, atq; declaratus est Filius Dei per virtutem, & potentiam, qua spiritum sanctificationis largitur, & à mortuis resurrexit, à quo accepimus gratiam, & Apostolatum, vt prædicatione

6 postolatum ad obediendũ fidei.
Jn omnibus Gentibus pro nomi-
ne eius, in quibus estis & vos vo-
7 cati Iesu Christi: omnib' qui sunt
Romæ: dilectis Dei, vocatis san-
ctis. Gratia vobis, & pax à Deo
Patre nostro, & Domino Iesu
8 Christo. Primum quidem gratias
ago Deo meo per Iesum Christũ
pro omnibus vobis; quia fides ve-
stra annuntiatur in vniuerso mũ-
9 do. Testis enim mihi est Deus,
cui seruio in spiritu meo in Euan-
10 gelio Filij eius, quòd sine inter-
missione memoriam vestri facio
semper in orationibus meis, ob-
secrans si quo modo tandem ali-
quando prosperum iter habeam
in volũtate Dei veniendi ad vos.
11 Desidero enim videre vos, vt ali-
quid impertiar vobis gratię spiri-
12 tualis, ad confirmãdos vos: id est,
simul consolari in vobis, per eam
quæ inuicem est, fidem vestram,
13 atque meam. Nolo autem vos i-
gnorare fratres, quia sæpe propo-
sui venire ad vos, & (prohibitus
sum vsq; adhuc) vt aliquem fru-
ctum habeam & in vobis, sicut &
14 in cæteris gentibus. Græcis, ac
barbaris, sapientibus, & insipien-
15 tibus debitor sum: ita (quod in
me) promptum est, & vobis, qui
16 Romæ estis, euangelizare. Non
enim erubesco Euangelium. Vir-
tus enim Dei est in salutem omni
credenti, Iudæo primùm, & Græ-
17 co. Justitia enim Dei in eo reue-
latur

*tione nostra, qui vicem eius gerimus,
3 ab omnibus Gentibus fidei obedia-
tur, inter quos, & de quorum nume-
ro vos estis vocati ipsius Iesu Christi.
Ego, inquam, Paulus omnibus, qui
sunt Romæ, fidelibus, qui sancti vo-
cantur, hanc scribo Epistolã. 4 Gra-
tia vobis sit, & pax à Domino nostro
Iesu Christo. 5 Vt hinc autem exor-
diar, gratias ago Deo meo per Iesum
Christum pro omnibus vobis, quòd fi-
des vestra nota est in vniuerso mun-
do. Testis enim mihi est Deus, quem
colo mente, & spiritu in prædicatione
Euangelij semper in orationibus meis
memorem me esse vestri deprecando
ipsum, vt mihi contingat ad vos ve-
nire: cupio enim videre vos, vt ali-
quam spiritualem gratiam impertiar
vobis, simulque consolationem ali-
quam accipere ex mutua nostra fide.
Scitote autem me sæpius destinasse ad
vos venire, vt prædicatio mea in vo-
bis aliquem haberet fructum, sicut in
aliis gentibus habuit: sed adhuc non
potui. Omnibus quidem sine perso-
narum acceptione, siue Græcis, siue
barbaris, siue sapientibus, siue insi-
pientibus debitorẽ me agnosco, quare
& paratus sum etiam vobis, qui Ro-
mæ estis, euangelizare, neque enim me
pudet Euangelicæ prædicationis in
quauis orbis parte: est enim Euange-
lium Dei virtus, & potentia, qua
iustificantur credentes, 6 primùm
quidem Iudæi, tum etiam Græci: iu-
stitia enim, qua nos Deus iustos facit
fide*

Digitized by Google

latur ex fide in fidem: sicut scri-
18 ptum est: iustus autem ex fide vi-
uit. Reuelatur enim ira Dei de
cœlo super omnem impietatem,
& iniustitiam hominum eorum
qui veritatem Dei in iniustitia de-
19 tinent: quia quod notum est Dei,
manifestum est in illis. Deus enim
20 illis manifestauit. Inuisibilia enim
ipsius, à creatura mundi, per ea,
quæ facta sunt, intellecta conspi-
ciuntur; sempiterna quoque eius
virtus, & diuinitas: ita vt sint in-
21 excusabiles. Quia cùm cogno-
uissent Deum, non sicut Deum
glorificauerunt, aut gratias ege-
runt: sed euanuerunt in cogita-
tionibus suis, & obscuratum est
22 insipiens cor eorum: dicentes e-
nim se esse sapientes, stulti facti
23 sunt. Et mutauerunt gloriam in-
corruptibilis Dei, in similitudi-
nem imaginis corruptibilis ho-
minis, & volucrum, & quadrupe-
24 dum, & serpentium. Propter
quod tradidit illos Deus in desi-
deria cordis eorum, in immundi-
tiam: vt contumeliis afficiant cor-
25 pora sua in semetipsis: quia com-
mutauerunt veritatem Dei in
mendacium; & coluerunt, & ser-
uierunt creaturæ potius, quàm
26 creatori, qui est benedictus in se-
cula. Amen. Propterea tradidit
illos Deus in passiones ignomi-
niæ. Nam fœminæ eorum im-
mutauerunt naturalem vsum,
in eum vsum qui est contra natu-
ram

fide promouente, & augescente in hoc Euangelio, manifestè ostenditur, hoc enim expressit Abachuc 2. capite cum dixit, iustus ex fide viuit, 8 *hoc est, iustificatur:* 9 *tum etiam non erubesco Euangelium prædicare, quod dixi virtutem esse Dei ad iustificationem credentibus, quia in eo Euangelio manifestè ostenditur ira Dei de cœlo aduersus omnem impietatem, & iniustitiam eorum hominum, qui veram* 10 *cognitionem, quam de Deo habent, detinent, & iniustitia quasi suffocare contendunt Dei cultum idolis iniustè tribuentes,* 11 *habent enim verã Dei cognitionem, quia quod* 12 *lumine naturali notum est de Deo, illi planè cognouerunt, cum Deus ipse hoc illis manifestauerit naturali ipsorum intellectus acumine, ex ipsis enim effectis ab ipsa* 13 *mundi conditione Dei inuisibilia ita hominibus nota fuerunt, diuinitas quoque, & virtus ipsius, vt excusari non possint:* 14 *Cùm enim Deum (vt dictum est) cognouerint, ipsum non vt Deum coluerunt, nec ei gratias egerunt: sed gloriantes se suis ratiocinationibus Deum cognouisse, animum suum ad ipsum colendum, & ad opera pietatis non applicuerunt. Et obscuratum est insipiens cor eorũ: existimantes enim se sapientes, eò stultitiæ, & dementiæ deuenerunt, vt gloriam Dei veri, quem cognoscebant, transtulerint in idola hominum, & serpentum, quos vt Deos colebant. Qua de caussa*

27 ram. Similiter autem, & masculi,
relicto naturali vsu fœminæ, ex-
arserunt in desideriis suis in inui-
cem, masculi in masculos turpi-
tudinem operantes, & mercedem
(quam oportuit) erroris sui in se-
28 metipsis recipientes. Et sicut non
probauerunt Deum habere in
notitia; tradidit illos Deus in re-
probum sensum, vt faciant ea,
29 quæ non conueniunt, repletos
omni iniquitate, malitia, forni
catione, auaritia, nequitia, plenos
inuidia, homicidio, contentione,
dolo, malignitate, susurrones, de-
30 tractores, Deo odibiles, contu-
meliosos, superbos, elatos, in-
uentores malorum, parentibus
non obedientes, insipientes, in-
31 compositos, sine affectione, abs-
que fœdere, sine misericordia.
32 Qui cùm iustitiam Dei cogno-
uissent, non intellexerunt quo-
niam qui talia agunt, digni sunt
morte: & non solum qui ea faci-
unt, sed etiam qui consentiunt
facientibus.

15 tradidit Deus, hoc est, permisit in duritiam cordis incidere, vt consentirent, & sequerentur desideria immunda concupiscentiæ suæ, nempe, vt fœda libidine corpora sua dehonestarent, 16 in semetipsis, 18 qui etiam eo quòd pro vero Deo falsos Deos, & idola coluerunt: propterea permisit Deus eos labi, vt consentirent 18 ignominiosis suis concupiscentiis: nam eorum fœminæ mutato naturali vsu coëundi, contra naturam mutuò secum coibant, & masculi etiam obliti naturalis vsus coëundi cum fœminis, suæ concupiscentia libidine vehementer accensi, masculis etiam pro fœminis vtebantur. Et ita pœnam dignam erroris, & idololatriæ suæ in se 19 ipsis receperunt: & quemadmodum non curauerunt 20 habere veram Dei notitiam, vt ipsum colerēt; 21 ita etiam permisit eos Deus mente excæcari, vt facerent ea, quæ eos dedecebāt, 22 & repleri omni vitio, 23 nēpe studio nocendi, fornicatione 24 iniusta auaritia, 25 nequitia, 26 malignitate; 27 permisit etiam susurrones esse, detractores, Deo inuisos, 28 contumeliosos, superbos elatos, inuentores flagitiorum, parentibus non obedientes, insipientes, 29 pacta minimè seruantes, sine 30 affectu pietatis erga propinquos, à societate, & coniunctione hominum alienos, 31 absque misericordia erga alios, qui cum 32 iustitiam Dei, quæ in lege eius posita est, cognouissent, non intellexerunt, quòd qui talia agunt, qualia ipsi, digni sunt æterna morte; nec solum, 33 qui talia delicta committunt, sed etiam illi, 34 qui quamuis ea non committant, facientibus tamen illa consentiunt.

ANNO-

ANNOTATIONES
in primum caput.

1. Est hyperbaton vsque ad *omnibus, qui sunt Romæ.*

2. Hunc locum satis examinauimus 3. part. disp. 90. ostendit verò declaratum Filium Dei fuisse ex duobus, ex potentia remittendi peccata, & suscitandi seipsum.

3. 2. Ad Corinth. 5. legatione fungi se ait, quod hic inquit, *in nomine eius,* id est vice ipsius.

4. Pro eo, quod Latini dicunt in casu accusandi, salutem dicit, Paulus semper vtitur recto in hunc modum, *Gratia vobis, & pax.* Petrus addidit, *multiplicetur,* vel *sit vobis,* eadem forma de reliquo seruata. Sed prior illa pars, *Paulus Apostolus omnibus, qui sunt Romæ,* accipienda est absolute, sicut initio epistolæ Augustini dici solet, *Augustinus Hieronymo,* & pro titulo epistolæ deseruire potest, vt deinde sequatur, *gratia vobis, &c.* & suppleatur, *sit semper cum omnibus, &c.* Hac eadem forma vsus est Petrus in sua epistola, & Paulus in omnibus ferè aliis. nonnulli primam, & secundam periodum, ita coniungunt *Paulus, &c. his qui sunt Romæ, gratiam, & pacem à Domino deprecatur.* Et in aliis epistolis eodem modo. Mihi tamen videtur sensus extortus; & facilior multo, quem sequuti sumus in Paraphrasi. Iacobus autem alio modo incepit: nam vtrumque coniunxit hoc modo. *Iacobus Dei, & Domini nostri Iesu Christi seruus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.*

5 Illa particula *primum,* hoc loco significat idem, quod *vt hinc incipiamus.*

6 Illud *primum* non significat prius aliquid temporis, aut dignitatis, quia Euangelium æque omnes respicit: sed cùm enumeraret, quibus est virtus, dixit: *Iudæo primum, & Græco,* ac si ordine enumerationis dicat, tum Iudæo, tum Græco.

7 Iis sequentibus verbis probat esse virtutem Dei Euangelium, quod proximè antea dixerat.

8 Intelligit ex fide, tanquam ex initio promouente ad iustificationem, vt ostendi 1. 2. disput. 210. cap. 9.

9 His sequentibus verbis non probat id, quod proximè præcesserat, sed id, quod priùs dixerat: *Non erubesco Euangelium &c* & in Græco est γὰρ quæ particula aliquando reddit causam remotioris, etiam apud prophanos Autores; hoc autem frequens est in Paulo, vt infra videbimus.

10 Id enim significat *veritatem Dei,* eo loco, vt ex sequentibus constat.

11 Sequentibus verbis probat, duo, quæ dixit, nempe Philosophos & veram de Deo habuisse notitiam, & eam in iniustitia detinuisse.
12. Id significant verba illa: *Manifestum est in illis, &c.*
13. *A creatura mundi*, idem est, quod ab initio mundi, vel à mundi creatione, hoc est, semper.
14. Iis verbis iam probat alterum, scilicet, *in iniustitia detinent*, & simul addit causam, quare excusari non possint.
15. Illud *tradidit* denotat permissionem solum ex parte Dei, de qua multa diximus 1. part. disp. 93. cap. 2.
16. Illud *in semetipsis* Erasmus interpretatur *inter se*, vt denotet vitium sodomiæ: verùm quia posteà de hoc vitio mentionem facit, hęc expositio non placet. Alii verò interpretantur *apud se*, vt denotet vitium pollutionis contra naturam. Ego tamen existimo peccatorum contra naturam fieri posteà mentionem à numer. 21. quare illud *in seipsis* nihil peculiare significare, sed esse repetitionem.
17. Quidam putant, hic esse repetitionem eiusdem causæ, ob quam Deus permisit Philosophos labi in alia genera peccatorum. Ego verò existimo esse ponderationem diuersæ causæ in eodem peccato idololatriæ, ob quam permisit Deus eos labi in alia diuersa genera peccatorum: nam num. 15. dixit, eo quod peccato idololatriæ gloriam immortalis Dei collocarunt in idolo corruptibili, permisisse Deum, vt pro gloria sibi indignè ablata in peccata ignominiosa inciderent, nempe fornicationis: & ibi non fecit mentionem peccatorum contra naturam, sed publicæ fornicationis, ex qua nota infamiæ contrahitur. Opposuit autem ignominiam, quam Philosophi passi sunt, ignominiæ, quam Deo intulerunt auferentes ei gloriam debiti cultus, & transferentes illam in idola. Posteà verò num. 17. ostendit eos incidisse in peccata contra ipsam naturam, quibus ipse ordo naturalis euertitur, & hac ratione falsitatem continent, nempe cum masculi masculis pro fœminis abutuntur, & inquit, permissos fuisse in hæc genera peccatorum labi propter falsitatem, qua vsi sunt in peccato idololatriæ auferentes cultum latriæ vero Deo, & tribuentes illum falsis diis, nempe idolis. De his dicit, *qui commutauerunt veritatem in mendacium*, hoc est, cultum veri Dei in cultum falsorum Deorum.
18. *Passiones ignominiæ*, idem est, quod passiones ignominiosæ: est Hebraismus: nam Hebræi pro adiectiuis sæpe vtuntur substantiuis in genitiuo.
19. *in seipsis*, quidam exponunt in suis corporibus, quæ ignominiosa libidine fœdarunt: intelligi etiam potest *in seipsis*, hoc est, non in aliis, nam aliquando filii pro parentibus puniuntur: Philosophi autem propter sua peccata in seipsis, non in filiis puniti sunt.

20. Græ-

Digitized by Google

20. Græci interpretantur *curauerunt.*
21. Illud *ita* suppleri debet, quod more Hebraico subticetur: nam particulæ, *sicut*, qua vsus fuerat antea, respondet particula *ita.*
22. Suppleri debet iterum verbum *permisit*, vt sensus sit, permisit eos esse repletos omni iniquitate, quod nos diximus, repleri omni vitio.
23. Cum dixisset esse repletos omni vitio in vniuersum, speciatim assignat vitia, in quæ prolapsi sunt.
24. Græcè pro *auaritia* est πλεονεξία, quæ vox significat iniustitiā, & pluris auiditatem, & vsurpationem, quare Aristot. lib. 5. Ethic. cap. 2. ad significandum peculiare vitium iniustitiæ, quæ est in vsurpatione rei alienæ, vtitur nomine Græco πλεονέκτης, quod pluris auidum significat.
25. *Nequitia* Græce est κακία quod videtur generale vitium significare. Aliqui verò interpretantur *nequitiam*, cùm quis data opera male agit. Alii putant, nequitiam ad libidinem pertinere.
26. *Malignitate* Græce est κακοηθεία, quod significat malam consuetudinem.
27. Illud *permisit* iterum suppletur cum verbo *esse*, ex quibus omnia illa reguntur.
28. Græce pro *contumeliosos* est ὑβριστάς, quod significat iniurios, & conuiciatores.
29. *Incompositos* Græce est ἀσυνθέτους, quod Theophylactus interpretatur sicut nos in paraphrasi.
30. *Sine affectu* Græce est ἀστόργους, στοργὴ autem significat affectum pietatis erga parentes, & sanguine coniunctos.
31. Græca vox ἀσπόνδους, significat eos, qui absque societate, & coniunctione cum aliis viuunt, aut eos, qui postquam semel fuerint offensi, reconciliari nolunt.
32. Pro iustitia Græce est δικαίωμα, quæ in Psalmis frequenter Latinè significat iustificationem, cùm tamen sit aliud nomen Græcum, nempe δικαιοσύνη, quod significat iustitiam, sed Latinè idem omnino videtur iustitia, & iustificatio: nam iustitia iustificamur: hic autem non sumitur pro iustitia Dei vindicatiua, sed pro iustitia, & sanctitate, quæ est in obseruanda lege Dei.
33. Illud, *qui*, non est in Græcis codicibus, qui modo habentur, sed hæc vltima periodus ad literam in illis sic habetur. *Qui cum iustitiam Dei cognoscentes, quod talia agentes digni sunt morte, non solum ea faciunt, verùm etiam consentiunt agentibus.* In quibus deest illud *qui*, quod est in num. 33. & 34. deest etiam verbum, *intellexerunt*, & ita videtur omnino diuersus sensus, vt constat, quam lectionem sequutus est Faber Stapulensis in cum

eum locum: reprehendit autem nostram vulgatam: quia fieri non poterat, vt cognoscentes iustitiam Dei non intelligerent eos, qui talia agunt, dignos esse morte. Quare hunc locum sic interpretatur, vt Paulus reprehendat eos, qui intelligentes iustitiam Dei, nihilominus non solum malè agunt, sed etiam patrocinantur male agentibus, vt ita sit amplificatio iniquitatis eorum. Et certè hoc modo multò grauius est consentire malè agentibus, quàm malè agere. Quam lectionem, & sensum sequuntur Chrysostomus, Theophylactus, & Ecumenius. Docet autem Origenes hunc locum aliter ab aliis legi: & ipse Origenes aliter legit, ita, vt indefinita maneat sententia; & ideò coniungit priora verba sequentis capitis, vt sensus compleatur. Eius tamen lectio, & expositio planè indicat, leuius multo esse, consentire malè agentibus, quàm malè agere, cum quo sensu prior illa lectio Græca constare non potest: nam particula illa, *Verumetiam*, auget malitiam, & ideò prædicti Patres, *consentire* vsurpant pro eo, quo est patrocinari. Cùm igitur antiquitùs variauerint Græca exemplaria, credendum est, nostrum interpretem habuisse meliorem aliam Græcam lectionem, quam sequutus est, & sanè Cyprianus epistola 4 primi libri, quæ est in ordine secunda, & Ambrosius in Commentariis huius loci habent duas illas voces *non crediderunt*, quas non habent modò Græca exemplaria: quare secundum hanc lectionem vulgatam, quam amplecti debemus, sensus debet ordinari, sicuti in paraphrasi, ita vt consentire leuius sit, quàm facere.

ARGVMENTVM
CAPITIS II.

CVm in præcedenti capite ostendisset Paulus, ex Euangelio redargui Gentiles prauos, & iniustos, & ostendisset, quàm digni sint Dei supplicio, & vindicta, ne videretur excipere Iudæos, qui similium peccatorum conscij essent, & illud tantum de Gentilibus intelligere, ostendit 2. cap. ob eandem rationem

nem dignos esse Iudaos eodem supplicio, & ira Dei, qui similia committant delicta, qualia suprà de Gentibus enumerauit, in qua Deus eos permisit labi propter peccatũ idololatriæ. Porrò autem Paulum cum Iudæis loqui, patet ex contextu 2. cap. in illis verbis Iudæo primùm, & Græco, &c. *& iterum,* non est acceptio personarum apud Deum, &c. *& ex illis,* si autem tu Iudæus cùm sis, &c. *scribit enim in hac epistola ad Romanos, qui Romæ erant ad fidem conuersi, aut ex gentilismo, aut ex Iudaismo: ibi enim multos fuisse tunc Iudæos satis manifestum est: aut quia tunc Iudæa erat Romanorum Prouincia, aut quia Pompeius post captam Hierosolymam multos Romam deduxerat.*

Capvt II.

1 PRopter quod inexcusabilis es ô homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterũ, teipsum condemnas: eadem enim agis,
2 quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.
3 Existimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium
4 Dei? An diuitias bonitatis eius, & patien-

Paraphrasis eiusdem capitis.

OB eandem causam, qua dixi Gentiles excusari nõ posse, quòd cognoscentes Deum non sicut Deum ipsum coluerunt, sed multis sceleribus contaminati Dei iram in se concitauerunt, excusari non poteris, ô homo Iudæe, qui spernis Gentiles, qui talia delicta committunt, & illis ea exprobras: sic enim dum alium iudicio tuo censes dignum morte, eo ipso te etiam con-

Digitized by Google

patientiæ, & longanimitatis con-
temnis? Ignoras quoniam beni-
gnitas Dei ad pœnitentiam te ad-
5 ducit? Secundum autem duri-
tiam tuam, & impœnitens cor,
thesaurizas tibi iram in die iræ, &
6 reuelationis iusti iudicij Dei, qui
reddet vnicuique secundum ope-
7 ra eius: Iis quidem, qui secundum
patientiam boni operis, gloriam,
& honorem, & incorruptionem
8 quærunt, vitam æternam: iis au-
tem, qui sunt ex contentione, &
qui nõ acquiescunt veritati, cre-
dunt autem iniquitati, ira & indi-
9 gnatio. Tribulatio & angustia in
omnem animam hominis operantis
malum, Iudæi primùm, &
10 Græci: Gloria autem, & honor,
& pax omni operanti bonum, Iu-
11 dæo primum, & Græco: Non e-
nim est acceptio personarum a-
pud Deum. Quicunq; enim sine
lege peccauerunt, sine lege & per-
12 ibunt: Et quicunq; in lege pecca-
uerunt, per legem iudicabuntur.
13 Non enim auditores legis iusti
sunt apud Deum, sed factores le-
14 gis iustificabuntur. Cùm enim
Gentes, quæ legem non habent,
naturaliter ea, quæ legis sunt, fa-
ciunt, eiusmodi legem nõ haben-
15 tes, ipsi sibi sunt lex: qui osten-
dunt opus legis scriptum in cor-
dibus suis, testimonium reddente
illis conscientia ipsorum, & inter
se inuicem cogitationibus accu
santibus, aut etiam defendenti-
bus,

condemnas, & eadem pœna dignum iudicas. Deus enim rectè, & verè iudicat in omnes, qui talia committunt. Cur ergo existimas, ô Iudæe, qui talia agis, te Dei iudicium euasurum? Quod si ita existimas, quia hactenus nullas pœnas tuorum delictorum dedisti: planè eo ipso contemnis Dei bonitatem, & longanimitatem, qui tam diu tua dissimulauit peccata, benignitate sua ad pœnitentiam te inuitans: tu verò duritia cordis, & improbitate accumulans denuò peccata, dignus efficeris maximo supplicio, quod non effugies in vltimo Dei iudicio, vbi manifesta erit ira, & vindicta Dei, qui vnicuique retribuet siue Iudæo, siue Græco, secundum opus ipsius: Iis quidem, qui 1 *perseuerantes in bono opere quærunt vitam æternam, retribuet gloriam, & honorem immortalem: iis verò, qui contentiosi sunt, & quod male sentiunt, & malè agunt, defendunt, nec opere suo acquiescunt veritati, quam cognoscunt scrutantes iustitiam, sed* 2 *sequuntur iniquitatem, reddetur ira & in-*
dignationis supplicium. Tribulatio, 1
& angustia erit omni operanti malum citra delectum, siue fuerit Iudæus, siue Græcus: non enim est acceptio personarum apud Deum. Gloria autem, honor, & pax æterna erit rectè operanti, siue Iudæus fuerit, siue Græcus. 3 *Porrò apud Deum non esse acceptionem personarum, in pœnis infligendis patet: Græcus enim,*

& qui-

Digitized by Google

16 bũs, In die cùm Iudicabit Deus
occulta hominum, ſecundum E-
uangelium meũ, per Ieſum Chri-
17 ſtum. Si autem tu Iudæus cogno-
minaris, & requieſcis in lege, &
18 gloriaris in Deo, & noſti volunta-
tem eius, & probas vtiliora, in-
19 ſtructus per legem, confidis te i-
pſum eſſe ducem cæcorum, lu-
men eorum qui in tenebris ſunt,
20 eruditorem inſipientium, magi-
ſtrum infantium, habentem for-
mam ſcientiæ, & veritatis in lege.
21 Qui ergo alium doces, teipſum
non doces: qui prædicas non fu-
randum, furaris: qui dicis non
22 mœchandum, mœcharis: qui a-
bominaris idola, ſacrilegium fa-
23 cis: qui in lege gloriaris, per præ-
uaricationem legis Deum inho-
24 noras. (nomen enim Dei per vos
blaſphematur inter Gentes, ſicut
25 ſcriptum eſt.) Circumciſio qui-
dem prodeſt, ſi legem obſerues: ſi
autem præuaricator legis ſis, cir-
cumciſio tua pręputium facta eſt.
26 Si igitur præputium iuſtitias legis
cuſtodiat; nonne præputium illi-
us in circumciſionem reputabi-
27 tur? Et iudicabit id quod ex na-
tura eſt præputium, legem con-
ſummans, te, qui per literam, &
circumciſionem præuaricator le-
gis es? Non enim, qui in manife-
ſto, Iudæus eſt: neq; quæ in mani-
feſto, in carne eſt circumciſio: ſed
qui in abſcondito, Iudæus eſt: &
circumciſio cordis in ſpiritu, non
lite-

& quicunque gentilis, qui peccauerit non habens ſcriptam legem Moyſis, qua oſtenditur, quid malum, & quid bonum ſit, etiamſi non poßit ab ipſa lege ſcripta accuſari, peribit. Et Iudæus, qui poſt legis ſcriptæ notitiam peccauerit, per illam iudicandus, & conuincendus eſt. Præterea apud Deum non eſſe acceptionem perſonarum in retributione gloriæ, vt accipiat potius perſonam Iudæi, qui legem ſcriptam habet, quam gentilis, qui eam non habet exterius ſcriptam, ſic oſtendo. Non enim 4 *ſatis eſt, vt homo apud Deum iuſtificetur, habeat legem ſcriptam (ſicut & Iudæi ſe habere gloriantur) ſed opus eſt, vt opera legis faciat, & obſeruet, vt ſic Dei iudicium & ſententiam effugiat, & gloriam, & honorem à Deo conſequatur.* 5 *Gentes enim quæ ſcriptam legem Moyſis non habent, ea, quæ ſunt in lege, præcepta facientes,* naturaliter, *hoc eſt, ſolum inſtinctum naturalem pro lege habentes, quæ bonum oſtendit & malum: ſicut lex ſcripta, & illam ſcriptam nullo modo habentes, gratia tamen Dei, interius adiuti ſibi ipſis ſunt lex: habent enim legem ſcriptã in cordibus ſuis, hoc eſt, conſcientiæ teſtimonium, qui & cogitationibus conſcientiæ accuſabuntur, & defendentur in vltimo die iudicij, cum ſecreta cordis manifeſta fient, & iudicabuntur, vt ſoleo prædicare, & euangelizare.* 6 *Si verò tu Iudæe, tibi places honorifico nomine Iudæi,*

Digitized by Google

litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. *& putas habere requiem, & omne bonum in lege scripta, & gloriaris in Deo, quasi sis dilectus populus eius, qui non fecit taliter omni nationi, & instructus es per legem, & nosti, quid Deus velit, imo etiam, quæ sint præstantiora: confidis etiam per legem te esse ita instructum, vt possis esse dux cæcorum, hoc est, doctor rudium, & ignorantium, quomodo id non præstas, quæ Gentes sine lege scripta faciunt? qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui gloriaris, quod legem habeas, & Deum ignominia afficis, per legis transgressionem? nomen enim Dei maledictis afficitur propter vos, dum dicunt, Deum Iudæorum non esse verum Deum, qui non habeat veros cultores sicut scriptum est Esai. 52. & Ezech. 39. Ne ergo de scripta lege tibi blandiaris, & in ea glorieris. Intellige tamen prodesse quidem tibi, esse de genere, & prosapia* 7 *Abrahæ circumcisi, si legem obserues: si autem legem transgrediaris, ita proderit tibi esse de genere circuncisorum, ac si esses ex populo Gentili. Si igitur ille, qui Gentilis est, præputium habens obseruet legem, erit veluti de populo circuncisorum, & ita iustus apud Deum, ac si esset de stirpe Abrahæ. Nihil igitur interest inter Iudæum, & Græcum; imò verò Gentilis, qui habens præputium perficit, quæ lege præcipiuntur, & consummat ea, condemnabit te Iudæum,* 8 *qui habens legem literis scriptam, & circuncisionem manu hominis factam in carne tua transgressor es legis: verè enim Iudæus & filius Abrahæ apud Deum non est, qui exterius apparet, neque vera circuncisio ea, quæ fit in carne, sed ille est verè Iudæus, qui interius apud Deum per fidem Christum confitetur, & vera circumcisio, quæ spiritualis vitiorum circuncisio est, quæ quidem non apud homines, sed apud Deum laudem habet.*

ANNOTATIONES.

1. Illa verba *patientia boni operis*, significant perseuerantiam in bono opere.
2. Vox illa *credunt* idem est, quod *sequuntur:* qui enim iniquitatem operantur, videntur quasi fidem habere iniquitati, ac si ipsa iniquitas eis persuadeat id, quod faciunt.
3. Sequentibus verbis confirmat Paulus, quod dixerat, non esse apud Deum distinctionem, & acceptionem Iudæi, & Græci in pœnis infligendis, sed omnes æquè à Deo iudicandos esse secundum opera, vt puniantur, siue legem scriptam quis habuerit, siue non.
4. Probat non esse apud Deum acceptionem personarum in præmio gloriæ distribuendo, vt potius respiciat personam Iudæi, qui legem scriptam habet, quam Gentilis, qui non habet, quia habere legem scri-

scriptam, non satis est, vt quis sit iustus apud Deum, & ab eo laudem & gloriam mereatur: hoc enim perinde est, atque esse auditorem, sed oportet facere ea, quæ in lege præcipiuntur.

5. Ostendit nihil prodesse ad faciendam legem, & iustitiam promerendam apud Deum laudem, habere præcepta scripta, sicut Iudæi habebant. Siquidem Gentes non habentes hanc legem scriptam faciunt ea, quę sunt legis, & ita à Deo sine illa acceptione personarum laudem, & gloriam recipiunt. Hunc autem locum intelligendum esse de Gentibus ad fidem conuersis, fusius ostendi 1.2. disp. 190. cap. 15.

6. Probat nihil prodesse, auditores esse legis, sicut Iudæos, qui gloriabantur habere scriptam legem: habere enim scriptam legem tantùm, idem est, quod audire legem.

7. Nomine *circumcisionis* non intelligitur ipsamet ceremonia, vt quidam putant referentes dictum illud Pauli ad tempus, quo ipsa alicuius momenti erat: sed intelligitur genus circumcisorum, hoc est, Iudæorum. Et similiter præputium significat Gentilem populum.

8. Id significant verba illa, qui *per literam & circumcisionem*, scilicet Iudæus es, aut qui habes literam legis, & circumcisionem. Non qui per literam, & circumcisionem transgressor es, quia per literam, & circumcisionem non transgreditur homo legem.

ARGVMENTVM
CAPITIS III.

IN hoc capite primùm docet, in quo sit maior Iudæorum excellentia, quàm Gentilium, cum videatur Paulus superiori capite pares in causa eos fecisse. Deinde postquam ostendit, in quo Iudæus Gentilem antecellat, rursus ostendit, parem esse vtriusq; causam, quòd attinet ad peccatum, ita vt omnes eodem modo sint sub peccato, & nemo ex operibus legis, sed à fide Iesu Christi iustificetur.

CAPVT III.

1 QVid ergo amplius Iudęo est?
aut quæ vtilitas circumci-
2 sionis? Multum per omnem mo-
dum. Primùm quidem, quia cre-
3 dita sunt illis eloquia Dei. Quid
enim, si quidam illorum non cre-
diderunt? Nunquid increduli-
tas illorum fidem Dei euacuauit?
4 Absit. Est autem Deus verax: om-
nis autem homo mendax, sicut
scriptum est: vt iustificeris in ser-
monibus tuis, & vincas cùm iu-
5 dicaris. Si autem iniquitas nostra
iustitiam Dei commendat, quid
6 dicemus? Nunquid iniquus est
Deus, qui infert iram? (secũdum
hominem dico.) Absit. Alioquin
quomodo iudicabit Deus hunc
7 mundum? Si enim veritas Dei in
meo mendacio abũdauit in glo
riam ipsius; quid adhuc & ego tan-
8 quam peccator iudicor? & non
(sicut blasphemamur, & sicut a-
iunt quidam nos dicere) faciamus
mala, vt veniant bona? quorum
9 damnatio iusta est. Quid ergo?
præcellimus eos? Nequaquam.
Causati enim sumus Iudæos, &
Græcos, omnes sub peccato esse,
10 sicut scriptum est: quia non est iu-
stus quisquam; nõ est intelligens,
11 non est requirens Deum: omnes
12 declinauerunt, simul inutiles fa-
cti sunt; nõ est qui faciat bonum,
13 non est vsque ad vnum. Sepul-
chrum patens est guttur eorum,
linguis suis dolosè agebant: Ve-
ne-

PARAPHRASIS eiusdem capitis.

SI 1 ergo quæ dixi vera sunt, vt apud Deum æqua sit sors Iudæi, & Gentilis, quidnam eximij habet Iudæus, quo Gentilem antecellat, aut quæ vtilitas est circumcisionis, si præputium in circumcisionem reputari potest? 2 Multum sanè; 3 potissimum verò, quia eloquia Dei credita, & commissa sunt populo Iudaico circumciso, quia ipsa circumcisione in populum sanctum, & electum signatus erat, eloquia inquam Dei, hoc est, non tantùm ea, in quibus verus Dei cultus docetur, sed etiam ea, in quibus promissiones factæ populo Iudaico continentur, in quo non fecit taliter omni nationi. 4 Quamuis enim quidam eorum fuerint increduli, tamen eorum incredulitas non effecit, vt Deus non præstiterit promissa sua fidelia populo illi, nec irritas fecit Dei promissiones: cùm Deus verax sit, & in promissis suis seruãdis fidelis: mendacem enim esse, & infidelem, hominis est, non Dei. Sic enim de Deo scriptum est in Psalm. 50. Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. *Vbi ideo postulauit Dauid misericordiam peccati, quod commisit dicens.* Miserere mei, &c. *Et iterum.* Quoniam iniquitatẽ meam ego cognosco, & malum coram te feci, & tibi soli peccaui: miserere, inquam, mei, vt iustificeris in sermonibus tuis. *Dum enim promissiones tuæ, quibus pœnitentibus ve-*

nenum aspidum sub labiis eorum.
14 Quorum os maledictione, & a-
maritudine plenum est: Veloces
15 pedes eorum ad effundendum
sanguinẽ: Contritio,& infelicitas
16 in viis eorum. Et viam pacis non
17 cognouerunt: Non est timor Dei
18 ante oculos eorum. Scimus autẽ
19 quoniam quæcumque lex loqui-
tur, iis, qui in lege sunt, loquitur;
vt omne os obstruatur, & subdi-
20 tus fiat omnis mundus Deo: quia
ex operib' legis nõ iustificabitur
omnis caro coram illo. Per legem
21 enim cognitio peccati. Nunc au-
tem sine lege iustitia Dei manife-
stata est: testificata à Lege, & Pro-
22 phetis. Iustitia autem Dei per fi-
dem Iesu Christi, in omnes & su-
per omnes, qui credunt in eum,
23 non enim est distinctio: oẽs enim
peccauerunt, & egent gloria Dei:
24 iustificati gratis per gratiam ipsi-
us, per redemptionem, quæ est in
25 Christo Iesu, quem proposuit
Deus propitiationem, per fidem
in sanguine ipsius, ad ostẽsionem
iustitiæ suæ, propter remissionem
præcedentium delictorum, in su-
26 stentatione Dei, ad ostensionem
iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit
ipse iustus, & iustificans eum, qui
27 est ex fide Iesu Christi. Vbi est er-
go gloriatio tua? Exclusa est. Per
quam legem? Factorum? Non:
28 sed per legem fidei. Arbitramur
enim iustificari hominem per fi-
dem sine operibus legis. An Iu-
dæo-

veniam promisisti, veræ inueniantur, iustitia tua etiam elucescit, qui peccati præbes veniam, & iudicium hominum, vincis, qui putant te non dimissurum peccata: 5 si igitur, iniquitas nostra commendabilem & illustrem reddit Dei iustitiam, qua iustus, & fidelis est in promissis, vt dictum est, iniquè ipse videtur agere, qui peccata punit, ex quibus iustitia sua commendatur: hoc obiicio more carnalium, & imprudentium: 6 nequaquam tamen dicendum est ita, aliàs efficeretur Deum non iudicaturum peccata. Si 7. enim quia ex meo mendacio veritas Dei fit illustrior, Deus non deberet punire, non essem iudicandus de mendacio. 8 sic etiam potius facienda essent mala, vt inde venirent bona, sicut quidam dicunt nos prædicare, hanc notam nobis falsò inurentes: sed qui ad hunc modum loquuntur, & suadent, digni sunt pœna: consequens ergo fit Deum non esse iniquum, qui punit peccata, etiam si ex illis illustrior fiat eius iustitia, & bonitas. 9 Quid ergo dicendum est, nunquid Iudæus antecedit cæteris gentibus, cum ei credita sint eloquia Dei, nunquid inquam antecellit in negotio iustificationis erga Deum? nequaquam. Nam paulò ante reddita causa ostendimus, & probauimus, cap. 1. & 2. & Iudæos, & Gentiles pares esse sub peccato, sicut scriptum est, &c. Quæ testimonia de Iudæis intelligi negare nullus potest: sicut enim

dæorum Deus tantùm? Nonne
29 & gentium? Imò & gentiũ. Quo-
niam quidem vnus est Deus, qui
30 iustificat circumcisionem ex fide,
& præputium per fidem: Legem
31 ergo destruimus per fidem? Ab-
sit: sed legem statuimus.

nim lex quæcumq; eis meis loquitur quibus datur, sic lex Moysis vobiscum, quibus data est, ô Iudæi, loquitur. Vos ergo, asserit, sub peccato esse, vt ita os claudatur asserẽtibus etiam Iudæis se sine peccato esse, & totus mundus agnoscat se Deo obnoxium, & gratiæ ipsius indigum esse, per quam solam iustificandus est, qui est in peccato, & non per opera in sola legis notitia facta, quæ ex sola legis notitia, sine Christi gratia fieri non possunt, vt ita factores legis iustificentur, & non illi, qui solùm legem habentes sunt illius quasi auditores, cum planè & Iudæi legem habeant, & in peccato sint, vt ostensum est, 10 lex enim etiamsi ex se moralia præcepta includat, non potest ad iustitiam perducere, quia illa solum præstat notitiam peccati, non autem subministrat vires. Hoc verò tempore Euangelij sine adiutorio scriptæ legis Moysis iustificatio, qua nos Deus iustos facit, 11 & quam Moyses, & Prophetæ futuram promiserunt, per Christi aduentũ, & Euangelium, manifestè propalata est, ea inquàm iustificatio, quæ nobis datur per fidem Iesu Christi; qua fide mouemur, & excitamur ad illam, manifestatur in omnes, 12 & super omnes, qui credunt in eum siue Græci, siue Iudæi sint, quia apud Deum non est distinctio: omnes enim, vt dixi, peccauerunt, & indigent Dei iustitia; quæ iustificat impium gratis 13 quæ est gloria Dei, ob quam glorificatur ab omnibus, qui gratis iustificantur per ipsius gratiam soluto pretio in eorum redemptionem, quæ est per Christum, quem Deus proposuit propitiatorem, in quo totum mundum sibi reconciliaret etiam à peccatis præcedentibus, per fidem, qua credimus, & confidimus expiari virtute ipsius passionis, vt ita Deus declaret se 14 veracem, & fidelem esse in promissis per remissionem peccatorum, quæ à principio Deus patienter tolerauit ostendendo iustitiam, & fidelitatem suam hoc nostro tempore: quo ad impleuit promissa; vt ita innotescat ipsum esse fidelem, & iustificatorem eius, qui fidem habet Christi, & quærit ex fide, non ex lege iustificari. 15 vbi est ergo Iudæe, causa gloriandi contra Gentilem? omnino sublata est, cum iam non habeas, quod ad iustitiam attinet, in quo gloriari contra Gentilem possis, si quidem omnes sub peccato estis, vt iam ostendi, & indigetis gratia Dei, 16 sed per quid sublata est omnis causa gloriandi? nunquid quia iustitiam habes à lege? non quidem: quia cum lex ostendat tantum, quid debeas agere, nec spiritum subministret, vt id facias; si per illam tantùm iustificareris, gloriari posses: exclusa ergo est causa gloriandi per spiritum fidei, existimo enim hominem iustifi-

iustificari per fidem non solum credendo, sed ex illius spiritu legem obseruando: quia vt cap. 2. diximus, apud Deum factores legis iustificabuntur. Existimo itaque iustificari hominem per fidem adimplendo legem sine operibus, quæ ipse faciat ex sola legis notitia, quia talia facere nequit, non tamen sine operibus factis spiritu fidei. Hoc vero & de Iudæis, qui putant se habere legem, & id sufficere, & de gentibus intelligo: Deus enim non est Iudæorum tantum, sed etiam gentium: vnus enim Deus est, qui & iustificat circumcisos Iudæos per fidem, & Gentes, quæ præputium habent etiam per fidem. Sed nunquid hoc ipso irritam facimus, & abolemus 17 *legem, vt illa iam amplius non sit? Absit. imo in hoc ostendimus, quid ipsa possit, cum sit litera tantum exterius sonans, & merito dicimus per fidem solum obseruandam eam esse, vt nos iustificet: quare & illam stabilimus per spiritum fidei, quæ absque tali spiritu obseruari non posset. Fundamentum enim legis obseruandæ, est spiritus fidei, & gratiæ, sine quo lex aliàs quasi inanis esset. Et* 18 *ita fides legem quasi nutantem stabilire videtur, dum facit eam obseruari, quæ ex se vires non posset ad sui obseruationem præstare.*

ANNOTATIONES.

1. Obiicit contra ea, quæ dixit in 1. cap.
2. Respondet sequentibus verbis obiectioni propositæ.
3. Particula *primum* non significat initium sermonis, quia non numerat Paulus alias vtilitates circumcisionis, sed significat idem, quod potissimùm. Ostendit autem, in quo populus Iudaicus præstiterit populo Gentilico, & quæ fuerit vtilitas circumcisionis, quia soli populo circumciso tradita sunt eloquia Dei, vt in paraphrasi diximus; quo sequitur nullam aliam fuisse vtilitatem circumcisionis, vt deduximus 1. 2. d. 130 c. 2. & disp. 184. c. 3.
4. Ostendit quamuis aliqui ex Iudæis fuerint increduli, scilicet in deserto, nihilominus Dei promissiones factas populo suo adimplendas esse.
5. Obiicit deinde contra id, quod modo dicebat.
6. Soluit quæstionem deducendo ad absurdum hoc modo: quia si ita verum esset; Deus non iudicaret mundum, Deus autem iudicat mundum, iusti ergo, &c.
7. Probat deinde proponens in se ipso exemplum, abutitur enim sua persona pro quauis alia.
8. Deducit ad aliud absurdum, & interrogatio illa negans, *& non potius*, &c, extorquet sensum affirmantem, vt in paraphrasi.

9. Iterum quærit Paulus, an Iudæi Gentilibus antecellant: intelligit verò non secundum illud quod credita sunt eloquia, iam enim ostendit in hoc Iudæos præstare Gentilibus: sed quærit, an in iustificationis negotio præstent, in quo antea videbatur eos pares cum gentibus fecisse, & æquè cum illis iudicandos.

10. Quomodo lex non præbeat vires, sed potius sit occasio peccati, si desit spiritus gratiæ interius adiuuantis, ostendimus 1.2.q.109.art.4.

11. Illa verba *testificata à lege.* significant per Moysem fuisse pmissam.

12. Ego crederem pro eodem vsurpari *in omnes, & super omnes.* Theodoretus explicat in omnes Iudæos, & super omnes Gentiles. Alij *in omnes, & super omnes,* quia ostenditur hæc iustificatio ad omnes esse, & super omnium vires esse: vel saltem, quod illud *super omnes* explicet magis iustificationis dominium super eos esse, qui iustificantur.

13. Propterea per Metonymiam appellauit gratiam Dei gloriam illius, quia per gratiam facit, vt sibi sit gloria, & sit in quo à nobis glorificari possit.

14. Nomen *iustitia*, hoc loco significat veracitatem, vel significat iustitiam, quia Deus iustificat impios, vocant autem suam, vt ostendat non esse ex operibus arbitrij nostri.

15. Ex dictis colligit sublatam esse Iudæo causam gloriandi contra Gentilem, quia scilicet omnes sub peccato: & æquè egent gratia Dei.

16. Deinde speciatim magis ostendit, quomodo sublata sit talis causa gloriandi.

17. Intelligit scriptam legem Moysis præceptorum moralium, non ceremonialium, vt ostendi 1.2.q.109.art.4.q.114.art.5.

18. Aliqui ita exponunt illud, *legem statuimus,* vt sit sensus, imo ostendimus, quid possit lex, & ita illam statuimus, sic Adamus. Melior est tamen sensus paraphrasis, quem Gagneius, & Græci sequuntur, alioqui secundùm sensum priorem verè diceretur Paulus irritam facere legem, dum ostenderet nullius esse efficacitatis: dicit ergo se stabilire legem, quia ostendit, vnde perfectionem, & complementum habeat.

ARGVMENTVM
CAPITIS IV.

EXCLVSA *iam causa gloriandi Iudæis, & ostenso per fidem, qua lex adimpletur, hominem iustificari, non per legis noti-*

notitiam, in qua gloriabantur Iudæi, prosequitur in 4. cap. hoc idem exemplo Abrahami, qui non virtute operum iustificatus est, sed fide, cùm adhuc esset incircumcisus, & Gentilis. Ex quo colligit ita commune esse omnibus etiam Gentilibus iustificari apud Deum, sicut & circumcisis, cum omnes per fidem non per sua opera iustificentur. Quod dixerat cap. 2. illis verbis, præputium condemnabit circumcisionem, &c. *& ita prosequitur id, quod proposuerat ca. 2. parem esse causam Iudæorum, & Gentilium in iustificatione apud Deum, nec Iudæos habere aliquid peculiare, in quo verè gloriari possent, quod ad remißionem peccatorum pertineret; & vt constabit ex discursu capitis, hic non contendit ostendere Paulus impotentiam circumcisionis sicut ostendit in epistola ad Galatas; sed Gentilem incircumcisum ita iustificari, sicut circumcisum, vt ita communis sit eorum causa. Probat autem, vt dixi, exemplo Abrahæ, qui incircumcisus iustificatus est ex fide.*

CAPVT IV.

QVid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum

PARAPHRASIS.

SI ergo hæc ita sunt, quid dicemus peculiare Abrahamum Patrem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

2 strum secũdum carnem? Si enim
Abraham ex operibus iustifica-
tus est, habet gloriam, sed non a-
3 pud Deum. Quid enim dicit Scri-
ptura? Credidit Abraham Deo: &
4 reputatum est illi ad iustitiam. Ei
autem qui operatur, merces non
imputatur secundum gratiam,
5 sed secundum debitum. Ei verò
qui non operatur, credenti au-
tẽ in eum, qui iustificat impium,
reputatur fides eius ad iustitiam
secundum propositũ gratiæ Dei.
6 Sicut & Dauid dicit beatitudi-
nem hominis, cui Deus accepto
7 fert iustitiam sine operibus: Bea-
ti quorum remissæ sunt iniquita-
tes, & quorum tecta sunt pecca-
8 ta. Beatus vir, cui non imputauit
9 Dominus peccatum. Beatitudo
ergo hæc in circumcisione tan-
tum manet, an etiam in præpu-
tio? Dicimus enim quia reputa-
ta est Abrahæ fides ad iustitiam.
10 Quomodo ergo reputata est? in
circumcisione, an in præputio?
Non in circumcisione, sed in
11 præputio. Et signum accepit cir-
cumcisionis, signaculum iustitiæ
fidei, quæ est in præputio: vt sit
pater omnium credentium per
præputium, vt reputetur & illis
12 ad iustitiam: & sit pater circum-
cisionis, non iis tantùm, qui sunt
ex circumcisione, sed & iis qui
sectantur vestigia fidei, quæ est in
præputio patris nostri Abrahæ.
13 Non enim per legem promissio
Abra-

*nostrum carnalem habuisse in iustifi-
catione, ratione cuius potior esset eius
causa, & ita etiam omnium Iudæo-
rum ex eo descendentium in negocio
iustificationis, quam Gentilium: nihil
sane. 2 Si enim 3 Abraham ex o-
peribus factis solo libero arbitrio iu-
stificatus est, & non ex gratia, habe-
ret ex quo gloriari posset in se, & non
apud Deum, nec de illo diceretur:
qui gloriatur, in Domino glorietur.
4 Hoc verò manifestè falsum est, cum
5 scriptura oppositum dicat, quid
autem dicit?* Credidit Abraham
Deo, & reputatum est illi ad iusti-
tiam, *hoc est, iure optimo bonum, &
iustitiam fecisse iudicatus est, fides
autem est donum Dei: ergo fides ei
donata est, vt sanctior fieret, ac pro-
inde non habuit, in quo gloriari pos-
set ex se, sed tantùm ex Deo: quia si ex
se magis iustificatus esset, fides non
esset reputata ad iustitiam: nam iu-
stitia donum Dei est, & ita non di-
ceretur Abraham ex dono habuisse
iustitiam, sed ex debito, sine do-
natione aliqua gratuita. Ei verò,
qui 6 operatur ex sua virtute, &
arbitrio, id, quod prouenit ex operi-
bus illius, non datur vllo modo se-
cundum gratiam, sed secundum de-
bitum absque vlla gratia, & dona-
tione retribuitur: ei verò, qui 7 ex
se non habet opera cum sola legis no-
titia, credit 8 tamen in eum, qui iu-
stificat impium, reputatur fides ad
iustitiam non secundum debitum, sed
secun-*

Abrahæ.aut ſemini eius, vt heres
eſſet mundi: ſed per iuſtitiam fi-
14 dei. Si enim qui ex lege, heredes
ſunt: exinanita eſt fides, abolita
15 eſt promiſſio: Lex enim iram o-
peratur,vbi enim non eſt lex; nec
16 præuaricatio. Ideò ex fide, vt ſe-
cundum gratiam firma ſit pro-
miſſio omni ſemini,non ei qui ex
lege eſt ſolùm,ſed & ei qui ex fide
eſt Abrahæ,qui pater eſt omnium
17 noſtrum(ſicut ſcriptum eſt: quia
patrem multarum gentium poſui
te)ante Deum, cui credidiſti,qui
viuificat mortuos,& vocat ea, quę
non ſunt, tanquam ea quæ ſunt:
18 qui contra ſpem in ſpem credidit:
vt fieret pater multarum gẽtium,
ſecundum quod dictum eſt ei: Sic
erit ſemen tuum,ſicut ſtellæ cœli,
19 & arena maris. Et non infirmatus
eſt fide: nec conſiderauit corpus
ſuum emortuum, cùm iam ferè
centum eſſet annorum, & emor-
20 tuam vuluam Saræ. In repromiſ-
ſione etiam Dei non hæſitauit
diffidentia: ſed confortatus eſt fi-
21 de,dans gloriam Deo: pleniſſimè
ſciens quia quæcunque promiſit
22 Deus, potens eſt & facere: ideo
& reputatum eſt illi ad iuſtitiam.
23 Non eſt autem ſcriptum tantum
propter ipſum, quia reputatum
24 eſt illi ad iuſtitiam. Sed,& propter
nos, quibus reputabitur creden-
tibus in eum,qui ſuſcitauit Ieſum
Chriſtum Dominum noſtrum à
25 mortuis, qui traditus eſt propter
deli-

*ſecundum propoſitum Dei gratuitum in ipſa fidei donatione, vt iuſtitiam conſequatur. Vnde & ipſa iuſtitia eiuſdem gratiæ donum eſt; non autem debitum operum: ſic enim Dauid dixit beatum eſſe hominem, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus, hoc eſt, cui dat iuſtitiam, aut fidem, vnde iuſtitiam conſequatur: non per opera liberi ſui arbitrij, hoc verò dixit Pſalm.*31. Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir,cui non imputauit Dominus peccatum. *Qua periphraſi ſignificat Dauid donatione gratiæ remiſſa peccata, non iuſtitia operum, ex ipſo arbitrio ſine vlla gratia procedentium: & ſic in remiſſione peccatorum, & iuſtificatione neceſſarium eſſe donum gratiæ; opera verò ex arbitrio nudo nihil valere. Sic igitur liquido conſtat, Abrahamum non fuiſſe ex operibus arbitrij iuſtificatum, nec gloriam habuiſſe ex ſe, ſed gloriam,quam habuit, à Deo habuiſſe.* 9 *Sed nunquid hæc beatitudo, quæ eſt in donatione gratiæ, & imputatione fidei,ad iuſtificationem, inuenitur tantùm in circunciſis,hoc eſt, Iudæis?* 10 *minime quidem,imò etiam in præputio, hoc eſt,in Gentilibus.* 11 *Hoc verò ſatis conſtat exemplo eiuſdem Abrahami: dictum enim eſt reputatam illi eſſe fidem ad iuſtitiam. Hæc verò quãdo reputata fuit? nunquid cum erat circunciſus, vel dum adhuc præputium haberet? certè*

Digitized by Google

delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. *cum adhuc Gentilis esset, & præputium haberet. 12 Imo verò ipsam Circumcisionem posteà habuit in signum iustitiæ, quam habuerat ex spiritu fidei, cum adhuc præputium haberet, quo signo constitutus est pater omnium credentium, tum Gentilium, & qui habent præputium, quibus fides reputanda erat secundum gratiam ad iustitiam, & donanda erat ex gratia: tum etiam Iudæorum, & eorum, qui circuncidendi erant, & ita non Iudæorum tantum, sed etiam Gentilium, qui sectantur vestigia, & fidem, quam ipse Abraham habuit, cùm adhuc esset incircuncisus. 13 Nam quod promisit Deus Abrahæ, quod in semine eius benedicendæ essent gentes omnes, & hac ratione heres totius mundi futurus esset, quia in ipso totus orbis benedicendus erat; aut quòd Deus promisit semini, & filiis Abrahæ (quod idem est) non erat adimplendum in eius posteris ex sola lege, ex eo inquam solùm, quod legis essent auditores, & eam scriptam haberent, sed adimplendum erat per sanctitatem, & iustitiam fidei: 14 si enim qui habent legem, hoc ipso, quod eam habent, signati sunt heredes spiritualis benedictionis Abrahami Patris sui, qui fuit in vera sanctitate, & iustitia, frustra erit fides, nullius momenti, & exinanita ad consequutionem iustitiæ, quod est planè absurdum. Imò verò abolita, & irrita esset ipsamet promißio, quia sola lege, & illius notitia nullus iustificari posset, & à peccato liberari, in quo posita est benedictio promissa, ac proinde nullus consequeretur promißionem. Id quod 15 facile constat, quia lex non est causa benedictionis, sed potius iræ, & supplicij; quia 16 si lex non esset, non esset transgreßio, & peccatum, quod est causa supplicij, ipsa verò notitia sola legis non iuuat ad illius obseruationem; ergo de se potius iram, & supplicium affert, cum sit occasio transgreßionis: Est 17 igitur promißio obtinenda ex fidei spiritu, siquidem non ex sola notitia legis, vt probatum est, vt per gratiam Dei, quæ per fidem subministratur nobis, sit firma, & vera promißio, quia illam consequimur: quæ aliàs ex sola legis notitia esset inanis, cum eam nullo modo consequi possemus. Firma, inquam, sit promißio omnibus filiis Abrahæ, & semini eius, non illis tantum, qui ex lege sunt, hoc est, Iudæis, verum etiam illis, qui habent fidem Abrahæ, etiamsi sint Gentiles: vtrisque enim non per legem firma erit promißio benedictionis, sed per fidem Abrahæ, qui est pater omnium nostrum, tam Gentilium, quàm Iudæorum. Sic enim Scriptura Genes. 17. dicit.* Quia Patrem multarum gentium posui te, *ante 18 Deum, cui adhibuisti fidem, iustificatus es. Quique viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, cum homines abiectos, & nullius pretij, quales sunt Gentes alienæ à vera cognitione vocet, & faciat Abrahæ filios secundum fidem, non minus, quàm illos, qui secundum carnem*

Digitized by Google

nem etiam ex illo sunt, qui 19 *contra spem, quam in natura habebat, & ex qua potius desperabat, credidit, & spem habuit diuinæ promißionis, &* 20 *meruit esse pater multarum Gentium, cùm dictum fuit illi Genes. cap. 13. &* 15. Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli, & arena maris. *Et non fuit eius fides imbecillis, nec vlla ratione attendit sterilitatem suam, & vxoris defectis viribus generandi, sed roboratus fide, dedit gloriam Deo, persuasum sibi habens, Deum posse præstare ei, quidquid promittit, etiam si naturæ vires superet. Et ideò quia ex fide dedit gloriam Deo, reputatum est illi ad iustitiam, quod ex dono fidei, non ex suis operibus gratiam habuisset coram Deo. Nec tantum propter ipsum, vt eius celebretur iustitia apud homines, scriptum hoc est, sed propter nos, quibus reputabitur, hoc est, donabitur fides ad iustitiam consequendam, credentibus, inquam, in eum, qui suscitauit Iesum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, vt merito paßionis eius, & sanguine à peccatis emundaremur, & surrexit, vt eius resurrectione ad fidem adduceremur (hæc enim inanis esset, si Christus non surrexisset) & fide ad iustificationem perueniremus.*

ANNOTATIONES.

1. Illa particula, *ergo*, illationis est ex præcedentibus, & ita concludit ex omnibus, quæ dixerat in 3. cap.

2. Illa interrogatio affirmatiua extorquet sensum negatiuum, qui sequitur ex dictis 3. cap. & exprimitur in paraphrasi.

3. Illa particula *enim* verè est causalis, & non assertiua, vt falsò existimat Adamus: probat enim conclusionem, vt constat ex contextu.

4. Totum id debet subintelligi, quia ratio Apostoli deducit ad absurdum, quod Abraham haberet gloriam, hoc est, in hoc gloriaretur, & non apud Deum, id est, non in Deo, tribuendo illi, quod habebat, merito ergo subintelligitur, quod diximus.

5. Ille est sensus illorum verborum, *quod enim dicit scriptura*, & probat deinde, Abrahamum non potuisse in se, sed in Domino gloriari: quia non habuit ex operibus solius liberi arbitrii iustitiam, sed ex fide gratis collata.

6. Ostendit, quod dixerat: *reputatum*; id est, donatam esse Abrahamo iustitiam, quia donata fuit fides, non tamen fuisse ex suo arbitrio sola legis notitia iustificatum, & ita ex illa particula, reputata est fides ad iustitiam, id est, donata, colligit, quod dixerat, Abrahamum non potuisse gloriari in operibus, & ita ex se nihil habuisse peculiare, vt demonstret parem esse omnium causam in negotio iustificationis.

7. Potest etiam litera illius textus aliter ordinari, si hoc modo legatur,

tur, *non operati, credenti autem*, vt ad literam eſt in Græco, vel ita, vt particula *non* poſtponatur participio operanti, & aliquid ſuppleatur hoc modo, *operanti non* (ſupple) *tribuitur iuſtitia*: quia iam non eſſet gratia, ſi operibus daretur: vel etiam ſi non poſtponatur, hoc modo, *non operanti* (ſupple) *tribuitur iuſtitia*, vt illud, *non*, cadat ſupra *tribuitur*, quia iam iuſtitia non eſſet ſecundum gratiam, quod enim imputatur operanti, ſecundum debitum datur, credenti autem iuſtitia imputatur, & datur ſecundum gratiam, quia etiam fides donata fuit Abrahamo, qua iuſtitiam conſequeretur.

8. Particula *autem* hic non eſt continuatiua, ſed aduerſatiua.

9. Infert quod intenderat præcedentibus capitibus, nempe parem eſſe cauſam Iudæorum & Gentilium, circuncisionis, & præputii in negotio iuſtificationis.

10. Vtraque illa interrogatione indicat Paulus ſenſum, quem in paraphraſi expreſsimus; priori quidem interrogatione ſenſum negatiuum; cum interrogatio affirmatiua ſimpliciter poſita hanc vim habeat, vt indicet ſenſum negatiuum; ſecunda verò interrogatione; etiam ſi ſit affirmatiua, denotat ſenſum affirmatiuum, ratione illius particulæ *etiam*, quare idem eſt ac dicere, *imò etiam in præputio, &c.*

11. Probat reperiri etiam in præputio exemplo eiuſdem Abrahæ.

12. Illa particula, &, vim habet in eo loco particulæ, *quin*, *potius*, vel *imò, verò*.

13. Oſtendit Abrahamum futurum patrem eorum tantum, qui ſectantur fidem, & opera illius, non autem illorum, qui tantum gloriantur habere legem, quales ſunt Iudæi, qui ſolum literæ inhærent, nomine autem promiſsionis intelligit rem promiſſam iuxta illud ad Galat. 3. *Vt pollicitationem ſpiritus accipiamus*, & ad Hebræos 6. *hæreditabunt promiſsiones*, & cap. 11. ad Hebr. ſæpius ſic accipit.

14. Confirmat id, quod dixerat, nempe promiſsiones in Abrahamo factas eſſe fideli poſteritati, non autem habenti ſolùm legem: tum quia ſequeretur fidem nullius eſſe momenti: tum etiam quia potius irrita eſſet promiſsio. Illud autem *hæredes ſunt*, non denotat heredes, qui iam ſint conſequuti hereditatem promiſsionis, alioquin non rectè inferret *abolita eſt promiſsio*, ſiquidem conſequuti eſſent; ſed denotat ſignatos heredes ſpiritualis benedictionis, hoc eſt, iuſtitiæ: & ſic rectè ſequitur, ſi ex lege eſſet acquirenda hæc benedictio, abolitam fore promiſsionem.

15. Probat hoc poſterius, nempe abolitam eſſe promiſsionem, ſi ex lege futuram diceremus conſequutionem illius.

16. Probat legem iram operari, vbi planè loquitur de lege morali, & non ſolum ceremoniali, vt probaui 1. 2. quæſt. 114. art. 5. & ſatis conſtat Paulum ceremoniarum nullam hactenus feciſſe mentionem.

17. Illa

17. Illa verba *ex fide*, conclusionem continent, qua contendebat probare benedictionem futuram ex fide, & promissione.

18. Verba illa, *ante Deum*, addidit Paulus veteri Scripturæ, attendens verum sensum illius, quia Abraham futurus erat Pater spiritualis multorum, & ita futurus erat Pater eorum ante Deum.

19. Hæc verba referuntur non ad proximè præcedentia, sed ad priora, quæ de Abrahamo dixit, *cui adhibuisti fidem, qua iustificatus es*, & mutat personam, quod frequens est in scriptura, iuxta illud ad Galat. 6. *Huiusmodi instruite in spiritu lenitatis considerans teipsum, ne & tu tenteris.*

20. Particula *Vt* in Græco non est τὸ ἵνα, hoc est, *Vt*, sed εἰς τὸ, id est, *per hoc*, & facit sensum, quem dixi.

DVÆ ALIÆ NOTATIOnes circa hoc Caput.

DVo alia supersunt notanda in hoc capite, alterum est particulam, *apud* significare *coram*, vt est illud Luc. 2. *Apud Deum, & homines*, secundum aliquorum expositionem, & alibi frequenter: Sed aliquando significat *in*, vt est illud Psalm. 35. *Apud te est fons vitæ*, hoc est in te, Psalm. 36. *Apud Dominum gressus hominis*, *& substantia mea apud te est.* Et Psalm. 129. *Apud Dominum misericordia*, Psalm. 21. *Apud te laus mea*; dicit ergo Paulus, si Abraham iustificatus est suis operibus, gloriam apud se habere, id est, in seipso, non apud Deum gloriari, hoc est, gloriam suam non esse in Dei virtute, & brachio, neque à Deo, quod deducit vt absurdum Paulus. In hunc sensum interpretatur Augustinus hunc locum in Præfatione Psalmi 31.

Alterum est de verbo *imputo*, & *reputo*, quo vtitur Paulus in hoc capite numer. 7. & in Græco est, λογίζομαι, quod supputare, aut computare, & imputare, & reputare significat; est autem sensus, quem in paraphrasi diximus in hunc modum: id, quod operanti ex se, & sua virtute respondet, non imputatur illi, aut supputatur, & numeratur inter sua ex gratuita aliqua donatione, sed verè computatur omnino secundum debitum, quasi suum ex iustitia, & merces laboris sui. Ei verò, qui ex se non habet opus, quo tale aliquid mereatur, credit tamen in eum, qui iustificat impium, imputatur, & adscribitur, non secundum debitum, hoc est, non quasi suum sit ipsum credere, & fides ad iustitiam, sed secundum gratiam, quia ex gratuita voluntate illi datur fides ad iustitiam consequendam; quare & ipsa iustitia, sicut & initium eius

CAPVT III.

1 QVid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circumci-
2 sionis? Multum per omnem mo-
dum. Primùm quidem, quia cre-
3 dita sunt illis eloquia Dei. Quid
enim, si quidam illorum non cre-
diderunt? Nunquid increduli-
tas illorum fidem Dei euacuauit?
4 Absit. Est autem Deus verax: om-
nis autem homo mendax, sicut
scriptum est: vt iustificeris in ser-
monibus tuis, & vincas cùm iu-
5 dicaris. Si autem iniquitas nostra
iustitiam Dei commendat, quid
6 dicemus? Nunquid iniquus est
Deus, qui infert iram? (secũdum
hominem dico.) Absit. Alioquin
quomodo iudicabit Deus hunc
7 mundum? Si enim veritas Dei in
meo mendacio abundauit in glo-
riam ipsius; quid adhuc & ego tan-
8 quam peccator iudicor? & non
(sicut blasphemamur, & sicut a-
iunt quidam nos dicere) faciamus
mala, vt veniant bona? quorum
9 damnatio iusta est. Quid ergo?
præcellimus eos? Nequaquam.
Causati enim sumus Iudæos, &
Græcos, omnes sub peccato esse,
10 sicut scriptum est: quia non est iu-
stus quisquam; nõ est intelligens,
11 non est requirens Deum: omnes
12 declinauerunt, simul inutiles fa-
cti sunt; nõ est qui faciat bonum,
13 non est vsque ad vnum. Sepul-
chrum patens est guttur eorum,
linguis suis dolosè agebant: Ve-
ne-

PARAPHRASIS eiusdem capitis.

SI 1 *ergo quæ dixi vera sunt, vt apud Deum æqua sit sors Iudæi, & Gentilis, quidnam eximij habet Iudæus, quo Gentilem antecellat, aut quæ vtilitas est circumcisionis, si præputium in circumcisionem reputari potest?* 2 *Multum sanè;* 3 *potissimum verò, quia eloquia Dei credita, & commissa sunt populo Iudaico circumciso, quia ipsa circumcisione in populum sanctum, & electum signatus erat, eloquia inquam Dei, hoc est, non tantùm ea, in quibus verus Dei cultus docetur, sed etiam ea, in quibus promissiones factæ populo Iudaico continentur, in quo non fecit taliter omni nationi.* 4 *Quamuis enim quidam eorum fuerint increduli, tamen eorum incredulitas non effecit, vt Deus non præstiterit promissa sua fidelia populo illi, nec irritas fecit Dei promissiones: cùm Deus verax sit, & in promissis suis seruãdis fidelis: mendacem enim esse, & infidelem, hominis est, non Dei. Sic enim de Deo scriptum est in Psalm. 50.* Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. *Vbi ideo postulauit Dauid misericordiam peccati, quod commisit dicens.* Miserere mei, &c. *Et iterum.* Quoniam iniquitatẽ meam ego cognosco, & malum coram te feci, & tibi soli peccaui: miserere, inquam, mei, vt iustificeris in sermonibus tuis. *Dum enim promissiones tuæ, quibus pœnitentibus ve-*

Digitized by Google

nenum aspidum sub labiis eorum.
14 Quorum os maledictione, & a-
maritudine plenum est: Veloces
15 pedes eorum ad effundendum
sanguinē: Contritio, & infelicitas
16 in viis eorum. Et viam pacis non
17 cognouerunt: Non est timor Dei
18 ante oculos eorum. Scimus autē
19 quoniam quæcumque lex loqui-
tur, iis, qui in lege sunt, loquitur;
vt omne os obstruatur, & subdi-
20 tus fiat omnis mundus Deo: quia
ex operib⁹ legis nō iustificabitur
omnis caro coram illo. Per legem
21 enim cognitio peccati. Nunc au-
tem sine lege iustitia Dei manife-
stata est: testificata à Lege, & Pro-
22 phetis. Iustitia autem Dei per fi-
dem Iesu Christi, in omnes & su-
per omnes, qui credunt in eum,
23 non enim est distinctio: oēs enim
peccauerunt, & egent gloria Dei:
24 iustificati gratis per gratiam ipsi-
us, per redemptionem, quæ est in
25 Christo Iesu, quem proposuit
Deus propitiationem, per fidem
in sanguine ipsius, ad ostēsionem
iustitiæ suæ, propter remissionem
præcedentium delictorum, in su-
26 stentatione Dei, ad ostensionem
iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit
ipse iustus, & iustificans eum, qui
27 est ex fide Iesu Christi. Vbi est er-
go gloriatio tua? Exclusa est. Per
quam legem? Factorum? Non:
28 sed per legem fidei. Arbitramur
enim iustificari hominem per fi-
dem sine operibus legis. An Iu-
dæo-

veniam promisisti, veræ inueniantur, iustitia tua etiam elucescit, qui peccati præbes veniam, & iudicium hominum, vincis, qui putant te non dimissurum peccata: 5 si igitur, iniquitas nostra commendabilem & illustrem reddit Dei iustitiam, qua iustus, & fidelis est in promissis, vt dictum est, iniquè ipse videtur agere, qui peccata punit, ex quibus iustitia sua commendatur: hoc obiicio more carnalium, & imprudentium: 6 nequaquam tamen dicendum est ita, aliàs efficeretur Deum non iudicaturum peccata. Si 7. enim quia ex meo mendacio veritas Dei fit illustrior, Deus non deberet punire, non essem iudicandus de mendacio. 8 sic etiam potius facienda essent mala, vt inde venirent bona, sicut quidam dicunt nos prædicare, hanc notam nobis falsò inurentes: sed qui ad hunc modum loquuntur, & suadent, digni sunt pœna: consequens ergo fit Deum non esse iniquum, qui punit peccata, etiam si ex illis illustrior fiat eius iustitia, & bonitas. 9 Quid ergo dicendum est, nunquid Iudæus antecedit cæteris gentibus, cum ei credita sint eloquia Dei, nunquid inquam antecellit in negotio iustificationis erga Deum? nequaquam. Nam paulò ante reddita causa ostendimus, & probauimus, cap. 1. & 2. & Iudæos, & Gentiles pares esse sub peccato, sicut scriptum est, &c. Quæ testimonia de Iudæis intelligi negare nullus potest: sicut enim

dæorum Deus tantùm? Nonne
29 & gentium? Imò & gentiũ. Quo-
niam quidem vnus est Deus, qui
30 iustificat circumcisionem ex fide,
& præputium per fidem: Legem
31 ergo destruimus per fidem? Ab-
sit: sed legem statuimus.

nim lex quæcumq; cum eis loquitur quibus datur, sic lex Moysis vobiscum, quibus data est, ô Iudæi, loquitur. Vos ergo, asserit, sub peccato esse, vt ita os claudatur asserẽtibus etiam Iudæis se sine peccato esse, & totus mundus agnoscat se Deo obnoxium, & gratiæ ipsius indigum esse, per quam solam iustificandus est, qui est in peccato, & non per opera in sola legis notitia facta, quæ ex sola legis notitia, sine Christi gratia fieri non possunt, vt ita factores legis iustificentur, & non illi, qui solùm legem habentes sunt illius quasi auditores, cum planè & Iudæi legem habeant, & in peccato sint, vt ostensum est, 10 *lex enim etiamsi ex se moralia præcepta includat, non potest ad iustitiam perducere, quia illa solum præstat notitiam peccati, non autem subministrat vires. Hoc verò tempore Euangelij sine adiutorio scriptæ legis Moysis iustificatio, qua nos Deus iustos facit,* 11 *& quam Moyses, & Prophetæ futuram promiserunt, per Christi aduentũ, & Euangelium, manifestè propalata est, ea inquàm iustificatio, quæ nobis datur per fidem Iesu Christi; qua fide mouemur, & excitamur ad illam, manifestatur in omnes,* 12 *& super omnes, qui credunt in eum siue Græci, siue Iudæi sint, quia apud Deum non est distinctio: omnes enim, vt dixi, peccauerunt, & indigent Dei iustitia; qua iustificat impium gratis* 13 *quæ est gloria Dei, ob quam glorificatur ab omnibus, qui gratis iustificantur per ipsius gratiam soluto pretio in eorum redemptionem, quæ est per Christum, quem Deus proposuit propitiatorem, in quo totum mundum sibi reconciliaret etiam à peccatis præcedentibus, per fidem, qua credimus, & confidimus expiari virtute ipsius passionis, vt ita Deus declaret se* 14 *veracem, & fidelem esse in promissis per remissionem peccatorum, quæ à principio Deus patienter tolerauit ostendendo iustitiam, & fidelitatem suam hoc nostro tempore: quo ad impleuit promissa; vt ita innotescat ipsum esse fidelem, & iustificatorem eius, qui fidem habet Christi, & quærit ex fide, non ex lege iustificari.* 15 *vbi est ergo Iudæe, causa gloriandi contra Gentilem? omnino sublata est, cum iam non habeas, quod ad iustitiam attinet, in quo gloriari contra Gentilem possis, si quidem omnes sub peccato estis, vt iam ostendi, & indigetis gratia Dei,* 16 *sed per quid sublata est omnis causa gloriandi? nunquid quia iustitiam habes à lege? non quidem: quia cum lex ostendat tantum, quid debeas agere, nec spiritum subministret, vt id facias; si per illam tantùm iustificareris, gloriari posses: exclusa ergo est causa gloriandi per spiritum fidei, existimo enim hominem*

iustifi-

Digitized by Google

iustificari per fidem non solum credendo, sed ex illius spiritu legem obseruando: quia vt cap. 2. diximus, apud Deum factores legis iustificabuntur. Existimo itaque iustificari hominem per fidem adimplendo legem sine operibus, quæ ipse faciat ex sola legis notitia, quia talia facere nequit, non tamen sine operibus factis spiritu fidei. Hoc vero & de Iudæis, qui putant se habere legem, & id sufficere, & de gentibus intelligo: Deus enim non est Iudæorum tantum, sed etiam gentium: vnus enim Deus est, qui & iustificat circumcisos Iudæos per fidem, & Gentes, quæ præputium habent etiam per fidem. Sed nunquid hoc ipso irritam facimus, & abolemus 17 *legem, vt illa iam amplius non sit? Absit. imo in hoc ostendimus, quid ipsa possit, cum sit litera tantum exterius sonans, & merito dicimus per fidem solum obseruandam eam esse, vt nos iustificet: quare & illam stabilimus per spiritum fidei, quæ absque tali spiritu obseruari non posset. Fundamentum enim legis obseruandæ, est spiritus fidei, & gratia, sine quo lex aliàs quasi inanis esset. Et* 18 *ita fides legem quasi nutantem stabilire videtur, dum facit eam obseruari, quæ ex se vires non posset ad sui obseruationem præstare.*

ANNOTATIONES.

1. Obiicit contra ea, quæ dixit in 1. cap.
2. Respondet sequentibus verbis obiectioni propositæ.
3. Particula *primum* non significat initium sermonis, quia non numerat Paulus alias vtilitates circumcisionis, sed significat idem, quod potissimùm. Ostendit autem, in quo populus Iudaicus præstiterit populo Gentilico, & quæ fuerit vtilitas circumcisionis, quia soli populo circumciso tradita sunt eloquia Dei, vt in paraphrasi diximus; quo sequitur nullam aliam fuisse vtilitatem circumcisionis, vt deduximus 1. 2. d. 130 c. 2. & disp. 184. c. 3.
4. Ostendit quamuis aliqui ex Iudæis fuerint increduli, scilicet in deserto, nihilominus Dei promissiones factas populo suo adimplendas esse.
5. Obiicit deinde contra id, quod modo dicebat.
6. Soluit quæstionem deducendo ad absurdum hoc modo: quia si ita verum esset; Deus non iudicaret mundum, Deus autem iudicat mundum, iusti ergo, &c.
7. Probat deinde proponens in se ipso exemplum, abutitur enim sua persona pro quauis alia.
8. Deducit ad aliud absurdum, & interrogatio illa negans, *& non potius, &c.* extorquet sensum affirmantem, vt in paraphrasi.

notitiam, in qua gloriabantur Iudæi, prosequitur in 4. cap. hoc idem exemplo Abrahami, qui non virtute operum iustificatus est, sed fide, cùm adhuc esset incircumcisus, & Gentilis. Ex quo colligit ita commune esse omnibus etiam Gentilibus iustificari apud Deum, sicut & circumcisis, cum omnes per fidem non per sua opera iustificentur. Quod dixerat cap. 2. illis verbis, præputium condemnabit circumcisionem, &c. *& ita prosequitur id, quod proposuerat ca. 2. parem esse causam Iudæorum, & Gentilium in iustificatione apud Deum, nec Iudæos habere aliquid peculiare, in quo verè gloriari possent, quod ad remißionem peccatorum pertineret; & vt constabit ex discursu capitis, hic non contendit ostendere Paulus impotentiam circumcisionis sicut ostendit in epistola ad Galatas; sed Gentilem incircumcisum ita iustificari, sicut circumcisum, vt ita communis sit eorum causa. Probat autem, vt dixi, exemplo Abrahæ, qui incircumcisus iustificatus est ex fide.*

CAPVT IV.

QVid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum

PARAPHRASIS.

SI ergo hæc ita sunt, quid dicemus peculiare Abrahamum Patrem no-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

2 ſtrum ſecũdum carnem? Si enim
Abraham ex operibus iuſtifica-
tus eſt, habet gloriam, ſed non a-
3 pud Deum. Quid enim dicit Scri-
ptura? Credidit Abraham Deo: &
4 reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Ei
autem qui operatur, merces non
imputatur ſecundum gratiam,
5 ſed ſecundum debitum. Ei verò
qui non operatur, credenti au-
tẽ in eum, qui iuſtificat impium,
reputatur fides eius ad iuſtitiam
ſecundum propoſitũ gratiæ Dei.
6 Sicut & Dauid dicit beatitudi-
nem hominis, cui Deus accepto
7 fert iuſtitiam ſine operibus: Bea-
ti quorum remiſſæ ſunt iniquita-
tes, & quorum tecta ſunt pecca-
8 ta. Beatus vir, cui non imputauit
9 Dominus peccatum. Beatitudo
ergo hæc in circumciſione tan-
tum manet, an etiam in præpu-
tio? Dicimus enim quia reputa-
ta eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam.
10 Quomodo ergo reputata eſt? in
circumciſione, an in præputio?
Non in circumciſione, ſed in
11 præputio. Et ſignum accepit cir-
cumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ
fidei, quæ eſt in præputio: vt ſit
pater omnium credentium per
præputium, vt reputetur & illis
12 ad iuſtitiam: & ſit pater circum-
ciſionis, non iis tantùm, qui ſunt
ex circumciſione, ſed & iis qui
ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in
præputio patris noſtri Abrahæ.
13 Non enim per legem promiſſio
Abra-

*noſtrum carnalem habuiſſe in iuſtifi-
catione, ratione cuius potior eſſet eius
cauſa, & ita etiam omnium Iudæo-
rum ex eo deſcendentium in negocio
iuſtificationis, quam Gentilium? nihil
ſane.* 2 *Si enim* 3 *Abraham ex o-
peribus factis ſolo libero arbitrio iu-
ſtificatus eſt, & non ex gratia, habe-
ret ex quo gloriari poſſet in ſe, & non
apud Deum, nec de illo diceretur:
qui gloriatur, in Domino glorietur.*
4 *Hoc verò manifeſtè falſum eſt, cum*
5 *ſcriptura oppoſitum dicat, quid
autem dicit?* Credidit Abraham
Deo, & reputatum eſt illi ad iuſti-
tiam, *hoc eſt, iure optimo bonum, &
iuſtitiam feciſſe iudicatus eſt, fides
autem eſt donum Dei: ergo fides ei
donata eſt, vt ſanctior fieret, ac pro-
inde non habuit, in quo gloriari poſ-
ſet ex ſe, ſed tantùm ex Deo: quia ſi ex
ſe magis iuſtificatus eſſet, fides non
eſſet reputata ad iuſtitiam: nam iu-
ſtitia donum Dei eſt, & ita non di-
ceretur Abraham ex dono habuiſſe
iuſtitiam, ſed ex debito, ſine do-
natione aliqua gratuita. Ei verò,
qui* 6 *operatur ex ſua virtute, &
arbitrio, id, quod prouenit ex operi-
bus illius, non datur vllo modo ſe-
cundum gratiam, ſed ſecundum de-
bitum abſque vlla gratia, & dona-
tione retribuitur: ei verò, qui* 7 *ex
ſe non habet opera cum ſola legis no-
titia, credit* 8 *tamen in eum, qui iu-
ſtificat impium, reputatur fides ad
iuſtitiam non ſecundum debitum, ſed
ſecun-*

Abrahæ.aut semini eius, vt heres
esset mundi: sed per iustitiam fi-
14 dei. Si enim qui ex lege, heredes
sunt: exinanita est fides, abolita
15 est promissio: Lex enim iram o-
peratur, vbi enim non est lex; nec
16 præuaricatio. Ideò ex fide, vt se-
cundum gratiam firma sit pro-
missio omni semini, non ei qui ex
lege est solùm, sed & ei qui ex fide
est Abrahæ, qui pater est omnium
17 nostrum (sicut scriptum est: quia
patrem multarum gentium posui
te) ante Deum, cui credidisti, qui
viuificat mortuos, & vocat ea, quę
non sunt, tanquam ea quæ sunt:
18 qui contra spem in spem credidit:
vt fieret pater multarum gẽtium,
secundum quod dictum est ei: Sic
erit semen tuum, sicut stellæ cœli,
19 & arena maris. Et non infirmatus
est fide: nec considerauit corpus
suum emortuum, cùm iam ferè
centum esset annorum, & emor-
20 tuam uuluam Saræ. In repromis-
sione etiam Dei non hæsitauit
diffidentia: sed confortatus est fi-
21 de, dans gloriam Deo: plenissimè
sciens quia quæcunque promisit
22 Deus, potens est & facere: ideo
& reputatum est illi ad iustitiam.
23 Non est autem scriptum tantum
propter ipsum, quia reputatum
24 est illi ad iustitiam. Sed, & propter
nos, quibus reputabitur creden-
tibus in eum, qui suscitauit Iesum
Christum Dominum nostrum à
25 mortuis; qui traditus est propter
deli-

secundum propositum Dei *gratuitum in ipsa fidei donatione, vt iustitiam consequatur. Vnde & ipsa iustitia eiusdem gratiæ donum est; non autem debitum operum: sic enim* Dauid *dixit beatum esse hominem, cui* Deus *accepto fert iustitiam sine operibus, hoc est, cui dat iustitiam, aut fidem, vnde iustitiam consequatur: non per opera liberi sui arbitrij, hoc verò dixit Psalm.*31. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. *Qua periphrasi significat* Dauid *donatione gratiæ remissa peccata, non iustitia operum, ex ipso arbitrio sine vlla gratia procedentium: & sic in remissione peccatorum, & iustificatione necessarium esse donum gratiæ; opera verò ex arbitrio nudo nihil valere. Sic igitur liquido constat, Abrahamum non fuisse ex operibus arbitrij iustificatum, nec gloriam habuisse ex se, sed gloriam, quam habuit, à* Deo *habuisse.* 9 *Sed nunquid hac beatitudo, quæ est in donatione gratiæ, & imputatione fidei, ad iustificationem, inuenitur tantùm in circuncisis, hoc est, Iudæis?* 10 *minime quidem, imò etiam in præputio. hoc est, in* Gentili*bus.* 11 *Hoc verò satis constat exemplo eiusdem Abrahami: dictum enim est reputatam illi esse fidem ad iustitiam. Hæc verò quãdo reputata fuit? nunquid cum erat circuncisus, vel dum adhuc præputium haberet? certè*
cum

delicta nostra, & resurrexit pro-
pter iustificationem nostram.

*cum adhuc Gentilis esset, & præpu-
tium haberet. 12 Imo verò ipsam
Circumcisionem posteà habuit in signum iustitiæ, quam habuerat ex spiritu
fidei, cum adhuc præputium haberet, quo signo constitutus est pater omnium
credentium, tum Gentilium, & qui habent præputium, quibus fides reputan-
da erat secundum gratiam ad iustitiam, & donanda erat ex gratia: tum et-
iam Iudæorum, & eorum, qui circuncidendi erant, & ita non Iudæorum tan-
tum, sed etiam Gentilium, qui sectantur vestigia, & fidem, quam ipse Abra-
ham habuit, cùm adhuc esset incircuncisus. 13 Nam quod promisit Deus
Abrahæ, quod in semine eius benedicendæ essent gentes omnes, & hac ratione
heres totius mundi futurus esset, quia in ipso totus orbis benedicendus erat;
aut quòd Deus promisit semini, & filiis Abrahæ (quod idem est) non erat ad-
implendum in eius posteris ex sola lege, ex eo inquam solùm, quod legis essent
auditores, & eam scriptam haberent, sed adimplendum erat per sanctitatem,
& iustitiam fidei: 14 si enim qui habent legem, hoc ipso, quod eam habent,
signati sunt heredes spiritualis benedictionis Abrahami Patris sui, qui fuit in
vera sanctitate, & iustitia, frustra erit fides, nullius momenti, & exinanita
ad consequutionem iustitiæ, quod est planè absurdum. Imò verò abolita, &
irrita esset ipsamet promissio, quia sola lege, & illius notitia nullus iustificari
posset, & à peccato liberari, in quo posita est benedictio promissæ, ac proinde
nullus consequeretur promissionem. Id quod 15 facile constat, quia lex non
est causa benedictionis, sed potius iræ, & supplicij; quia 16 si lex non esset,
non esset transgreßio, & peccatum, quod est causa supplicij, ipsa verò notitia
sola legis non iuuat ad illius obseruationem; ergo de se potius iram, & suppli-
cium affert, cum sit occasio transgreßionis: Est 17 igitur promißio obtinen-
da ex fidei spiritu, siquidem non ex sola notitia legis, vt probatum est, vt per
gratiam Dei, quæ per fidem subministratur nobis, sit firma, & vera promis-
sio, quia illam consequimur: quæ aliàs ex sola legis notitia esset inanis, cum
eam nullo modo consequi possemus. Firma, inquam, sit promißio omnibus fi-
liis Abrahæ, & semini eius, non illis tantum, qui ex lege sunt, hoc est, Iudæis,
verum etiam illis, qui habent fidem Abrahæ, etiamsi sint Gentiles: vtrisque
enim non per legem firma erit promißio benedictionis, sed per fidem Abrahæ,
qui est pater omnium nostrum, tam Gentilium, quàm Iudæorum. Sic enim
Scriptura Genes. 17. dicit.* Quia Patrem multarum gentium posui te,
ante 18 Deum, cui adhibuisti fidem, iustificatus es. Qui*que viuificat mor-
tuos, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, cum homines abiectos,
& nullius pretij, quales sunt Gentes alienæ à vera cognitione vocet, & fa-
ciat Abrahæ filios secundum fidem, non minus, quàm illos, qui secundum car-
nem*

nem etiam ex illo sunt, qui 19 *contra spem, quam in natura habebat, & ex*
qua potius desperabat, credidit, & spem habuit diuinæ promißionis, & 20
meruit esse pater multarum Gentium, cùm dictum fuit illi Genes. cap. 13. &
15. Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli, & arena maris. *Et non fuit eius*
fides imbecillis, nec vlla ratione attendit sterilitatem suam, & vxoris defe-
ctis viribus generandi, sed roboratus fide, dedit gloriam Deo, persuasum sibi
habens, Deum posse præstare ei, quidquid promittit, etiam si naturæ vires su-
peret. Et ideò quia ex fide dedit gloriam Deo, reputatum est illi ad iustitiam,
quod ex dono fidei, non ex suis operibus gratiam habuisset coram Deo. Nec
tantum propter ipsum, vt eius celebretur iustitia apud homines, scriptum hoc
est, sed propter nos, quibus reputabitur, hoc est, donabitur fides ad iustitiam
consequendam, credentibus, inquam, in eum, qui suscitauit Iesum à mortuis,
qui traditus est propter delicta nostra, vt merito paßionis eius, & sanguine
à peccatis emundaremur, & surrexit, vt eius resurrectione ad fidem addu-
ceremur (hæc enim inanis esset, si Christus non surrexisset) & fide ad iustifica-
tionem perueniremus.

ANNOTATIONES.

1. Illa particula, *ergo*, illationis est ex præcedentibus, & ita concludit ex omnibus, quæ dixerat in 3. cap.

2. Illa interrogatio affirmatiua extorquet sensum negatiuum, qui sequitur ex dictis 3. cap. & exprimitur in paraphrasi.

3. Illa particula *enim* verè est causalis, & non assertiua, vt falsò existimat Adamus: probat enim conclusionem, vt constat ex contextu.

4. Totum id debet subintelligi, quia ratio Apostoli deducit ad absurdum, quod Abraham haberet gloriam, hoc est, in hoc gloriaretur, & non apud Deum, id est, non in Deo, tribuendo illi, quod habebat, merito ergo subintelligitur, quod diximus.

5. Ille est sensus illorum verborum, *quid enim dicit scriptura*, & probat deinde, Abrahamum non potuisse in se, sed in Domino gloriari: quia non habuit ex operibus solius liberi arbitrii iustitiam, sed ex fide gratis collata.

6. Ostendit, quod dixerat: *reputatum*, id est, donatam esse Abrahamo iustitiam, quia donata fuit fides, non tamen fuisse ex suo arbitrio sola legis notitia iustificatum, & ita ex illa particula, reputata est fides ad iustitiam, id est, donata, colligit, quod dixerat, Abrahamum non potuisse gloriari in operibus, & ita ex se nihil habuisse peculiare, vt demonstret parem esse omnium causam in negotio iustificationis.

7. Potest etiam litera illius textus aliter ordinari, si hoc modo legatur,

tur,

tur, *non operati, credenti autem*, vt ad literam eſt in Græco, vel ita, vt particula *non* poſtponatur participio operanti, & aliquid ſuppleatur hoc modo, *operanti non* (ſupple) *tribuitur iuſtitia*: quia iam non eſſet gratia, ſi operibus daretur: vel etiam ſi non poſtponatur, hoc modo, *non operanti* (ſupple) *tribuitur iuſtitia*, vt illud, *non*, cadat ſupra *tribuitur*, quia iam iuſtitia non eſſet ſecundum gratiam, quod enim imputatur operanti, ſecundum debitum datur, credenti autem iuſtitia imputatur, & datur ſecundum gratiam, quia etiam fides donata fuit Abrahamo, qua iuſtitiam conſequeretur.

8. Particula *autem* hic non eſt continuatiua, ſed aduerſatiua.

9. Infert quod intenderat præcedentibus capitibus, nempe parem eſſe cauſam Iudæorum & Gentilium, circuncisionis, & præputii in negotio iuſtificationis.

10. Vtraque illa interrogatione indicat Paulus ſenſum, quem in paraphraſi expreſsimus; priori quidem interrogatione ſenſum negatiuum; cum interrogatio affirmatiua ſimpliciter poſita hanc vim habeat, vt indicet ſenſum negatiuum; ſecunda verò interrogatione; etiam ſi ſit affirmatiua, denotat ſenſum affirmatiuum, ratione illius particulæ *etiam*, quare idem eſt ac dicere, *imò etiamsi in præputio*, &c.

11. Probat reperiri etiam in præputio exemplo eiuſdem Abrahæ.

12. Illa particula, &, vim habet in eo loco particulæ, *quin*, *potius*, vel *imò*, *verò*.

13. Oſtendit Abrahamum futurum patrem eorum tantum, qui ſectantur fidem, & opera illius, non autem illorum, qui tantum gloriantur habere legem, quales ſunt Iudæi, qui ſolum literæ inhærent, nomine autem promiſsionis intelligit rem promiſſam iuxta illud ad Galat. 3. *Vt pollicitationem ſpiritus accipiamus*, & ad Hebræos 6, *hæreditabunt promiſsiones*, & cap. 11. ad Hebr. ſæpius ſic accipit.

14. Confirmat id, quod dixerat, nempe promiſsiones in Abrahamo factas eſſe fideli poſteritati, non autem habenti ſolùm legem: tum quia ſequeretur fidem nullius eſſe momenti: tum etiam quia potius irrita eſſet promiſsio. Illud autem *hæredes ſunt*, non denotat heredes, qui iam ſint conſequuti hereditatem promiſsionis, alioquin non rectè inferret *abolita eſt promiſsio*, ſiquidem conſequuti eſſent; ſed denotat ſignatos heredes ſpiritualis benedictionis, hoc eſt, iuſtitiæ: & ſic rectè ſequitur, ſi ex lege eſſet acquirenda hæc benedictio, abolitam fore promiſsionem.

15. Probat hoc poſterius, nempe abolitam eſſe promiſsionem, ſi ex lege futuram diceremus conſequutionem illius.

16. Probat legem iram operari, vbi planè loquitur de lege morali, & non ſolum ceremoniali, vt probaui 1. 2. quæſt. 114. art. 5. & ſatis conſtat Paulum ceremoniarum nullam hactenus feciſſe mentionem.

17. Illa

17. Illa verba *ex fide*, conclusionem continent, quã contendebat probare benedictionem futuram ex fide, & promissione.

18. Verba illa, *ante Deum*, addidit Paulus veteri Scripturæ, attendens verum sensum illius, quia Abraham futurus erat Pater spiritualis multorum, & ita futurus erat Pater eorum ante Deum.

19. Hæc verba referuntur non ad proximè præcedentia, sed ad priora, quæ de Abrahamo dixit, *cui adhibuisti fidem, qua iustificatus est*, & mutat personam, quod frequens est in scriptura, iuxta illud ad Galat. 6. *Huiusmodi instituite in spiritu lenitatis considerans teipsum, ne & tu tenteris.*

20. Particula *Vt* in Græco non est τὸ ἵνα, hoc est, *Vt*, sed εἰς τὸ, id est, *per hoc*, & facit sensum, quem dixi.

DVÆ ALIÆ NOTATIOnes circa hoc Caput.

DVo alia supersunt notanda in hoc capite, alterum est particulam, *apud* significare *coram*, vt est illud Luc. 2. *Apud Deum, & homines*, secundum aliquorum expositionem, & alibi frequenter: Sed aliquando significat *in*, vt est illud Psalm. 35. *Apud te est fons Vitæ*, hoc est in te, Psalm. 36. *Apud Dominum gressus hominis, & substantia mea apud te est.* Et Psalm. 129. *Apud Dominum misericordia*, Psalm. 21. *Apud te laus mea*; dicit ergo Paulus, si Abraham iustificatus est suis operibus, gloriam apud se habere, id est, in seipso, non apud Deum gloriari, hoc est, gloriam suam non esse in Dei virtute, & brachio, neque à Deo, quod deducit vt absurdum Paulus. In hunc sensum interpretatur Augustinus hunc locum in Præfatione Psalmi 31.

Alterum est de verbo *imputo*, & *reputo*, quo vtitur Paulus in hoc capite numer. 7. & in Græco est, λογίζομαι, quod supputare, aut computare, & imputare, & reputare significat; est autem sensus, quem in paraphrasi diximus in hunc modum: id, quod operanti ex se, & sua virtute respondet, non imputatur illi, aut supputatur, & numeratur inter sua ex gratuita aliqua donatione, sed verè computatur omnino secundum debitum, quasi suum ex iustitia, & merces laboris sui. Ei verò, qui ex se non habet opus, quo tale aliquid mereatur, credit tamen in eum, qui iustificat impium, imputatur, & adscribitur, non secundum debitum, hoc est, non quasi suum sit ipsum credere, & fides ad iustitiam, sed secundum gratiam, quia ex gratuita voluntate illi datur fides ad iustitiam consequendam; quare & ipsa iustitia, sicut & initium eius

F gratis

gratis omnino ei donatur: supponit verò semper Paulus fidem esse donum Dei. Quocirca si Abraham iustificatus est, vel creuit in iustitia ex fide, quod idem est, sequitur ex dono Dei iustificatum esse. Porrò autem non loqui Paulum de imputatione gratuita superuenienti post fidem, hoc est, de acceptatione, qua Deus velit illam fidem acceptam habere, vt quæ aliàs non iustificaret, iustificare reputetur impium ex beneuolentia, & fauore Dei, vt contendunt hæretici huius temporis, constat; quia perinde esset, ac dicere hominem iustum non esse re vera, sed acceptari ex beneuolentia Dei, ac si esset iustus: cùm ergo dixit, semper fidem reputari secundum gratiam, intelligit ex gratuita voluntate, qua donatur initium. Quod verò dixit imputari, non est quod ex acceptatione superuenienti fiat iustus, sed quia fides datur gratis ad consequendam iustitiam. Quocirca excluditur error hæreticorum huius temporis de acceptatione superueniente, qua putant hominem sola fide, sine aliquo alio, iustum à Deo reputari. Hoc etiam probatur, quia Abraham quando credidit Deo, iam erat iustus, & reputatum est illi ad iustitiam, id est, ad augmentum; constat autem ad augmentum non esse necessariam nouam imputationem superuenientem, sed quodcunque opus virtutis ex se magis sanctificare, quando fit à iusto, vt 1. 2. quæstione. 114. articulo 8. dixi, & ibidem disputatione 220. capite 5. Ex eo verò, quod fides sit augmentum iustitiæ, optimè sequitur, & initium iustificationis non esse ex operibus solius arbitrij, vt ostendi 1. 2. quæstione 114. articulo 5. sed augmentum etiam imputatur, non ex iustitia operum arbitrij, sed ex gratia in radice, qua gratis donatur bonum opus. Quare non satis est, si dicamus fidem hoc loco accipi pro fide in homine iusto per dilectionem operante, si cum hoc asseramus hanc fidem reputari, vt iustificet superaddita acceptatione, & fauore, quia hæc fides formata, & operans per charitatem, secundum debitum, & ex se iustificat sicut albedo dealbat. Dicitur ergo reputari ipsa fides formata secundum gratiam; quia initium gratis donatum fuit: quo pacto Augustinus interpretari videtur hunc locum in libro ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagij; & in tractatu 29. 72. 82. in Ioannem. Cæterùm poterat esse difficultas, quomodo Paulus adducat illud Abrahami; fides eius reputata est ad iustitiam, cùm etiam in scriptura dicatur, alia opera deputata esse ad iustitiam, vt Psalmus 105. *stetit Phinees, &c.* vere non tantum fides, sed etiam opera deputantur ad iustitiam, id est, computantur tanquam benefacta, quibus iustificetur homo apud Deum, magis ac magis.

Respon-

Respondeo, eo testimonio solum voluisse Paulum ostendere ex aliquo loco, & in aliquo casu ex dono Dei iustificari hominem, scilicet fide, quam quidem esse donum Dei non probat Paulus, sed supponit: & ad hoc adducit illud Abrahami. Cumq; scriptura non dicat hominem ex operibus factis sola legis notitia iustificari, colligitur ex dono Dei contingere iustificationem. Quando verò in Psalmo dicitur opus illud deputatum ad iustitiam, non intelligit scriptura opus factum ex sola legis notitia, & viribus arbitrij. Ita igitur intelligendum est illud Psalm. 105. *Et stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei in iustitiam in generatione, & generationem in sempiternum.* Vt datum fuerit illi ex Dei gratia, & fide illud opus facere, quod computaretur ad iustitiam. Sic autem satis ostenditur, quod contēdit Paulus, Abrahamum non habuisse, in quo gloriari posset: quia si fides reputata est ad iustitiam, hanc accepit secundum propositum gratiæ, & donationis Dei. Aliqui volunt hîc loqui Paulum de operibus ceremonialibus, sine quibus iustificatur homo. Verùm iam ostendimus, & de moralibus intelligi, & cùm dicitur Psalm. 31. *Beati quorum, &c.* Non intelligitur sine operibus ceremonialibus, hoc est, non operanti opera ceremonialia: hoc enim falsum est, quia operans illa non ex sola notitia legis, sed ex fide iustificabatur; intelligit ergo non ex operibus ex sola notitia legis factis, quod etiam de operibus arbitrii verum est.

ARGVMENTVM
Capitis V.

Cum ostendisset iam cap. 3. & 4. radicem, & originem iustificationis tam in Gentili, quàm in Iudæo esse fidem per Christum, & non solum legis notitiam, aut scripturam illius, hoc capite ostendit fructum huius iustificationis in nobis.

Digitized by Google

Capvt V.

1 IVstificati ergo ex fide, pacem
habeamus ad Deum per Domi-
num nostrum Iesum Christum:
2 per quem & habemus accessum
per fidem in gratiam istam, in qua
stamus, & gloriamur, in spe glo-
3 riæ filiorum Dei. Non solùm au-
tem, sed & gloriamur in tribula-
tionibus: scientes quod tribula-
4 tio patientiam operatur. Patien-
tia autem probationem, probatio
5 verò spem. Spes autem non con-
fundit: quia charitas Dei diffusa
est in cordibus nostris per Spiri-
tum sanctum, qui datus est nobis.
6 Vt quid enim Christus, cùm ad-
huc infirmi essemus, secundum
tempus pro impiis mortuus est?
7 Vix enim pro iusto quis moritur:
nam pro bono forsitan quis au-
8 deat mori. Commendat autem
charitatem suam Deus in nobis:
quoniam cùm adhuc peccatores
essemus, secundum tempus, Chri-
stus pro nobis mortuus est. Mul-
9 tò igitur magis nunc iustificati in
sanguine ipsius; salui erimus ab
ira per ipsum. Si enim cùm inimi-
10 ci essemus, recõciliati sumus Deo
per mortem filii eius: multò ma-
gis reconciliati, salui erimus in vi-
11 ta ipsius. Non solùm autem: sed
& gloriamur in Deo per Domi-
num nostrum Iesum Christum,
per quem nunc reconciliationem
12 accepimus. Propterea sicut per v-
num hominem peccatũ in hunc
mun-

PARAPHRASIS.

Sic 1 Ergo iustificati virtute fidei cùm Deo pacem retineamus, & conseruemus cum ipso per Christum Dominum nostrum, cuius merito habemus 2 fidem, qua in gratiam istam remißionis peccatorum, & reconciliationis cum Deo promouemur, in qua perseueramus, & gloriamur ex hoc, quod speramus nos tandem gloriam consequuturos Filiorum Dei. Nec tantùm in hac spe gloriamur, sed etiam gloriamur in tribulationibus: scimus enim, quod res aduersæ ad patientiam nos exercent, patientia verò probatiores nos efficit, sicut fornax aurum, ex probatione verò in ærumnis constantior spes nostra redditur, & securior, ex hac verò spe non afficiemur pudore, sicut homines, qui quod diu expectarunt, nõ consequuntur. Nec enim vanam spem habemus, cum in arrhabonem huius promißionis habeamus iam Spiritum sanctum, qui nobis charitatem, in qua speramus, donauit, & cum ea seipsum. 3 Ad quid enim Christus cum adhuc 4 essemus peccatores, pro nobis impiis mortuus est tempore à Patre definito 5 in cuius spe omnes antea iustificati sunt, 6 nisi vt in spem inde nos erigeret firmißimam, videntes illius erga nos immensam, & nunquam auditam charitatem? 7 vix enim inuenies, qui etiam pro viri iusti, & innocentis vita tuenda mori velit. 8 Dixi vix quia forsan aliquis reperiri

posset,

mundum intrauit, & per pecca-
tũ mors, & ita in omnes homines
mors pertransiit, in quo omnes
13 peccauerunt. Vsque ad legem e-
nim peccatum erat in mundo:
peccatum autem non imputaba-
14 tur, cùm lex non esset. Sed regna-
uit mors ab Adam; vsq; ad Moy-
sen, etiam in eos qui non pecca-
uerunt in similitudinem præua-
ricationis Adæ, qui est forma fu-
15 turi. Sed non sicut delictũ, ita, &
donũ; si enim vnius delicto mul-
ti mortui sunt: multò magis gra-
tia Dei, & donum, in gratia vnius
hominis IesuChristi in plures ab-
16 undauit. Et non sicut per vnum
peccatum, ita & donum: nam iu-
dicium quidem ex vno, in con-
demnationem: gratia autem ex
multis delictis, in iustificationẽ.
17 Si enim vnius delicto, mors re-
gnauit per vnum: multò magis
abundantiam gratiæ, & donatio-
nis, & iustitiæ accipientes, in vita
regnabũt per vnum Iesum Chri-
18 stum. Igitur sicut per vnius deli-
ctum, in omnes homines in con-
demnationem: sic & per vnius iu-
stitiam, in omnes homines in iu-
19 stificationem vitæ. Sicut enim
per inobedientiam vnius homi-
nis, peccatores constituti sunt
multi: ita & per vnius obeditio-
nem, iusti constituentur multi.
20 Lex autem subintrauit, vt abun-
daret delictum. Vbi autem abun-
dauit delictum, superabundauit
gra-

posset, qui pro iusto, & bono aliquo
mori sustineat. 9 *Declarauit verò*
Deus insignem fuisse vim sui amoris
erga nos singularem, & inauditã; qui
cùm adhuc essemus iniusti, & pecca-
tores 10 *præfinito tempore pro no-*
bis mortuus est; potiori ergo ratione
nunc in spem erigimur iam iustificati,
& amici facti, cum tam insignis sit
eius erga nos charitas, quà salui eri-
mus ab ira iudicij sui, & conseque-
mur gloriam filiorum Dei. Si enim
cùm essemus Deo inimici tanta fuit
erga nos charitas eius, vt reconcilia-
ret nos sibi per mortem filij sui: multò
magis sperare debemus reconciliatos
iam, liberandos esse ab ira ipsius,
quam merebamur. Nec tantùm spe-
ramus saluos nos fore ab ira, sed e-
tiam speramus gloriam filiorum Dei
11 *consequuturos merito, & paßione*
Christi, quo etiam iustificati cum Deo
reconciliati sumus, atque 12 *ob eam*
causam, vt videlicet Deo reconcilia-
remur, sicut per vnum hominem A-
damum peccatum intrauit in mundo,
& cum illo mors in omnes homines,
quia omnes in illo peccauerunt; &
contrahendi ex illo peccato neceßita-
tem habuerunt; 13 *sic etiam per v-*
num hominem Christum venit iusti-
tia in mundum; & per iustitiam vi-
ta, & ita in omnes homines vita per-
transiit, qui in ipso iustificati sunt, qui
solum potuit esse causa iustitiæ, &
vitæ spiritualis, nec aliquid [illegible]
ipsum, etiam ipsa lex afferre [illegible]

F 3 potuit

Google

21 gratia: vt sicut regnauit peccatum
in mortem : ita & gratia regnet
per iustitiam in vitam æternam
per Iesum Christum Dominum
nostrum.

*potuit contra peccatum remedium
aliquod; 14 adhuc enim lege lata
peccatum vim habebat. Nec illa so-
lum aboleri potuit peccatum, aut in
ea inueniri remedium; 15 sed adeò
infirma lex est contra peccatum, vt potius ipsa fuerit occasio peccati, & rui-
næ, ad peccatum namque non imputatur, quando non est lex id, quod lege la-
ta incipit imputari: tantum abest, vt lex ipsa remedium afferat contra pecca-
tum: ergo lege auferri non potuit, sed 16 potius vim suam habuit peccatum,
contra humanum genus ab Adamo, & toto tempore Moysis legislatoris, &
legis ipsius, vt toto hoc tempore nihil esset, quod contra peccatum reme-
dium afferre posset; non solum adultis, qui propria voluntate peccaue-
runt: sed etiam infantibus, qui originale tantum habuerunt, nec adhuc pecca-
uerant imitando præuaricationem sui primi parentis Adami, qui fuit figura
noui Adami 17 futuri per dissimilitudinem tamen causæ, cùm Adamus fue-
rit delicto suo causa nostræ mortis, & peccati: Christus autem dono suæ gratiæ
fuerit causa nostræ salutis, & vitæ. Sed adhuc in causa dispari non fuit per
omnia similitudo: non enim eodem modo se habuit delictum Adæ ad indu-
cendum peccatum, & mortem in genus humanum, 18 sicut meritum Chri-
sti ad viuificandum, & liberandum idem genus humanum à peccatis: si enim
19 vnius Adami delicto omnes ab eo propagati reatum incurrerunt, multo
potentior est gratia Dei, 20 & donatio in gratiam, quam nobis fecit do-
nando vnum hominem Christum Iesum, vt 21 in multos deriuetur ad iusti-
ficationem, & liberationem à peccato, quam fuit Adæ peccatum ad perden-
dum genus humanum. 22 Præterea non sicut ex vno homine dimanauit
peccatum ad perdendum, ita se habuit donum, quod diximus ad saluandum,
quia iudicium damnationis deriuatum est ex vno delicto, quod omnes ab A-
damo traxerunt; ex multis autem, & variis delictis, & originis, & actionis
Christus gratia sua nos liberauit, & iustificauit. 23 Si enim vnius Adami
delicto omnes damnationem mortis incurrerunt, multo maiori ratione per
meritum vnius Christi fiet, vt abundantem gratiam. & iustitiam accipientes
regnent in vita spirituali liberati à morte peccati. 24 Constat igitur, quam-
uis sit dissimile in aliquo meritum Christi, merito, & delicto Adami, vt o-
stensum est, esse tamen similitudinem in eo, (quod initio dixi) vt sicut vnius
Adami delicto in omnes homines peccatum peruenit, quod condemnationis,
& mortis causa fuit; sic per vnius Christi iustitiam, & meritum gratia deri-
uata est in genus humanum, vt iustificaretur, & viueret: sicut enim merito in-
obedientiæ vnius hominis peccato obnoxij facti sunt omnes, qui ex ipso nati
sunt.*

Digitized by Google

sunt, sic per vnius Christi obedientiam iusti constituentur omnes, qui per spiritum fidei ex ipso renascentur. 25 *Solus ergo Christus potuit esse causa vitæ spiritualis, & remedium contra peccatum, lex vero non potuit remedium afferre,* 26 *sed potius lege lata effectum est, vt plura essent peccata; si solum literam illius attendas, & vires arbitrij: quare, & lege lata maior fuit, & noua occasio peccati, ideoq; abundantior necessaria fuit gratia, quam per Christum genus humanum contra occasionem peccati, aut commissi, aut imminentis semper habuit, vt* 27 *sicut peccatum vim suam habuit ad mortem inferendam, ita etiam, imò abundantius, & efficacius gratia destrueret peccatum, & regnaret per iustificationem in vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum.*

ANNOTATIONES.

1. Habemus, legit Ambrosius in expositione 1. cap. in illud, *iustus autem ex fide viuit*, & sensus non differt, si vno, vel altero modo legamus. Vulgata emendata legit *habeamus*.

2. Variant etiam hic exemplaria, vt notat Adamus, sed parua est differentia, emendata legunt *habemus*.

3. Quidam codices legunt ἔτι γάρ, id est, *iam enim*, noster interpres legit εἰς τί, id est *ad quid*, aut *vt quid*, sed in idem recidit; his enim verbis sequentibus probat, quod dixerat, quare spes non confundatur. Id vero supra probauerat, ex eo, quod habemus arrhabonem, qui tanti valoris est, quanti ipsa beatitudo quam speramus, nunc autem probat ex voluntate, & amore illius, à quo speramus habere id, quod speramus.

4. Cum dicit *adhuc essemus infirmi*, non ideo dicit, quia antea quam passio Christi exhiberetur, nō præcesserint aliqui iusti, & post aduentum tantum fuerint, cum iusti nunquam in Ecclesia defuerint, sed quia quotquot salui facti sunt, in Christo iustificati sunt ab initio mundi, & ita Christus pro impiis, qui ex se impij erant, & essent, nisi ipse venisset, mortuus est. Particula autem *adhuc* non significat temporis durationem, sed ordinem, id est cum homines ex se adhuc essent peccatores, pro illis mortuus est.

5. Illud *secundum tempus* denotat terminum à Patre præfixum solutioni, in cuius spe ab initio temporis iustificauit, quotquot iustificati sunt.

6. Totum illud positum sub num. 6. supplendum est, quod præcedens interrogatio implicitum habet.

7. Pro-

7. Probat, quod dixerat firmissimam esse nostram spē, ex eo, quod Christus ita dilexit nos, vt inaudita esset eius erga nos dilectio.

8. Particula, *nam* causam reddit illius, quod dixerat, vix pro iusto aliquem mori; quare pro eodem vsurpat iustum, & bonum, nec accipit iustum pro iustitia, vt Hieronymus quæst. 7. ad Aglasiam, sed pro homine, vt Chrysostomus, vt sic opponat ei, quod dixerat antea.

9. Aut sane illud *commendat*, idem est, quod commendabilem facit, iuxta illud 2. ad Cor. 10. *sed quem Deus commendat*, hoc est bonis operibus, & gratia sua commendabilem facit.

10. Hic additur in vulgata emendata illud, *secundum tempus*, quod supra positum est, in Græco nō habetur: referri autem debet ad illa verba, *mortuus est*, vt sit sensus, præfinito tempore mortuus est.

11. Quia dixerat suprà iustificatos nos gloriari in spe gloriȩ filiorum Dei, iterum illud repetit; & id significat illa particula *in Deo*: probauit enim id, quod proposuerat, scilicet nos gloriari spe gloriæ, probauit autem id ex charitate, quam Deus habuit erga nos; & postquam inde deduxerat nos sperare liberandos esse ab ira, subiungit; *non solum autem, sed etiam gloriamur*: quasi dicat, non tantum speramus liberandos nos esse ab ira, sed etiam glorificandos esse; & hoc est, gloriamur in Deo.

12. Eo loco pro particula, *propterea* in Græco est διὰ τοῦτο, id est, *propter hoc*, vel *ob eam causam*, & incipit enarrare principium nostræ salutis: & sicut ostenderat principium nostræ perditionis, nempe quomodo in vno homine inceperit peccatum, & quomodo ab vno Christo salus initium habuerit, & ita inquit, *propterea*, quasi dicat, *ob eā causam, aut quapropter*, vt denotet causam finalem, vt reconciliaremur per Christum, sicut per vnum hominem mors, ita per Christum vita nobis donata est.

13. Quæ clausa sunt virgulis, suppleri debent in textu particulari, quia sermo illius absolutus non est.

14. Sequentibus verbis probat, quod subintellectum erat, Christum scilicet solum attulisse remedium; quia nec lex potuit, & ita cum lege adhuc perseuerasse regnum peccati. Est sensus Augustini in lib. expositionis epistolæ ad Rom. cap. 27. & lib. 6. contra Iulianum cap. 4.

15. Probat lege non fuisse sublatum peccatum. In textu dicitur *peccatum autem*, loco illius particulæ *autem*, posuimus aduersatiuam, *sed*, in Græco autem est particula δὲ, quæ est aduersatiua, & aliquando Latinè redditur *autem*: illa vero aduersatiua efficit sensum causalem in eo loco, quasi dicat, peccatum adhuc in lege fuit, cum lex non tollat peccatum, sed potius occasione legis incipiat imputari, quod antea non imputabatur ad peccatum, quando lex non erat.

16. Illa

Digitized by Google

16. Illa particula *sed*, est aduersatiua reddens contrarium sensum, non illius, quod proximè ante dixerat Paulus illis verbis: *Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*, sed illius, quod subintelligitur in verbis Pauli, quodque in paraphrasi addidimus, & est quasi conclusio præcedentium, videlicet, *ergo lege non potuit auferri peccatum*. Posteà verò optimè sequitur, *sed regnauit mors, &c.* vt in paraphrasi.

17. Vox *futuri*, non debet referri ad tempus Pauli, sed primi Adami, vt ad Colos. 2. *Quæ sunt vmbra futurorum*, & dicitur Adamus primus de terra terrenus, & secundus de cœlo cœlestis. 1. ad Cor. 15. dicitur autè ibi secundus, qui dicitur *futurus*. Huius loci, & totius huius comparationis, quam facit Apostolus, optimam expositionem habet Augustinus epist. 89. quæst 3.

18. Donum appellat non gratiam, aut iustificationem, aut auxilium illius nobis collatum; sed primam gratiam, & donum, scilicet Christum, quem generi humano Deus dicitur donasse, vt ita fiat benè comparatio meriti Christi cum peccato Adæ, quorum differentiam sumpserat declarandam: si enim intelligeret donum gratiæ nobis datum, deberet etiam intelligi delictum non Adæ, sed totius generis humani: ibi autem intelligi delictum Adæ, constat ex sequentibus, ex quibus etiam patet, per donum intelligere Paulum meritum Christi, quod infrà obedientiam appellat.

19. Ostendit in quo sit dissimilitudo inter primum, & secundum Adamum in dispari causa, & primum in efficacia, & virtute, aut valore, quia Christus potentior est ad saluandum, quam Adamus ad perdendum.

20. Appellat gratiam Dei, & donum in gratia vnius Christi, benignitatem Dei, & liberalitatem erga nos in donando nobis redemptore iuxta illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, &c.* & ita inquit, potentius fuisse hoc donum, scilicet Christum, & liberalitatem gratiæ Dei donantis nobis Christum, potentiorem, inquam, ad saluandum, quàm delictum Adæ ad perdendum.

21. Diximus *in multos*, quod in textu dicitur *in plures*, quia non intelligit Paulus plures comparatè, sed absolutè, hoc est, multos: constat enim gratiam Christi cum efficacia non deriuari in plures comparatè, quàm Adæ peccatum, & in Græco non dicitur πλείονας, sed πολλούς.

22. Ostendit deinde aliam dissimilitudinem in eo, quod proposuerat, & ita incipit à particula, *&*, quam nos *præterea* interpretamur, quia nouam differentiam assignat, & repetit, quòd proposuerat: probat autem posteriorem differentiam sequentibus verbis. Prior differentia fuit in efficacia; posterior vero in multitudine effectus. In Græco ita habetur ad literam, *Et non sicut per vnum peccatorem*, donum, est autem

eeclipticus locus & concisus: significat verò, quod nos interpretati sumus, parum enim refert dicere peccatum, aut peccatorem, in idem enim vtrumque redit. Si autem legamus peccatorem, sensus est ita ordinandus. Non sicut per vnum peccatorem, supple, fuit præuaricatio, ita fuit donum, supple, Christi *ad saluandum*.

23. Illa particula *enim* quæ in Græco est γάρ, & communiter causalis est, hic non reddit causalem sensum; quod enim sequitur, non videtur, cuius causam reddere posit, & particula illa aliquando in Græco non reddit sensum causalem. Si tamen esset illatiua particula, planior esset contextus. Possumus etiam dicere esse repetitionem eius, quod dixerat n. 19. est enim eadem sententia, & sic illa particula *enim* erit causalis. Reddit autem causam non eius, quod proxime præcesserat, sed illius, quod dixerat num. 18. cuius eandem reddit causam numero illo 19. hunc autem locum explicui 3. part. quæst. 1. art. 2. vbi ostendi obscuriorem esse sensum Pauli, quia nō videtur ipse prosequi eam comparationem, quam proposuerat, tamen eo modo, quo nos sumus interpretati, planior est.

24. Illa est conclusio ex præcedentibus: verùm non colligit discrimen inter Christum, & Adamum, quod probauit, sed potius similitudinem aliquam, quam supra dixerat illis verbis, *propterea sicut per vnum hominem*, & ita colligendo repetit, quod ibi dixerat.

25. Totum hoc suppletur vsque ad numer. 27. vt illa particula *autem*, quæ hic aduersatiua est, congruat contextui, & est vltima conclusio, quam supra Paulus proposuerat num. 11.

26. Particula *Vt* non significat causam finalem, sed euentum rei; vt sæpe in scriptura: quando verò dicitur per legem plura fuisse peccata, & ideo abundasse gratiam, plura, inquam, quam si lex lata non esset, non debet intelligi ita de facto accidisse, vt plura in illo populo fuerint peccata propter scriptam legem, quam in Gentili, qui non habuit scriptam legem: hoc enim sine fundamento crederemus, tum quia Deus non tribuisset dilecto populo legem, ex qua plura essent futura peccata, nec tanti facienda esset lex, si ita futurum erat; tum etiam quia simul cum lege dedit gratiam populo ad illius obseruationem, & ita plures sancti viri fuerunt in Iudaico populo, quā in aliis; sed solum significat abundasse peccatum per legem, hoc est, legem ex se occasionem esse plurium peccatorum, nisi gratiam cum illo coniungas: rectè tamen infert, sicut delictum hoc modo, id est, occasio delicti abundauit, sic etiam abundantiorem debuisse esse gratiam ad victoriam; quo enim plura præcepta, eo maior difficultas, & eo abundantior debet esse gratia. Quare non est sententia Pauli sic accipienda, quasi prius Deus sineret ingredi peccatum, vt posteà tempore aduentus Christi abundaret

Digitized by Google

ret gratia contra peccatum, quia si semel damnati essent homines per peccatum, iam gratia Christi nõ regnaret contra peccatum, quod præcessit: sed ita vt peccatum, quod ex se propter Adamum vim habebat mortis, & contractum erat in vnoquoque nascentium, ex lege nullum habuerit remedium; imo verò ex lege maior fuerit occasio peccandi; ex Christo tamen orta fuerit gratia contra peccatum, & eo maior ad obseruandam legem, quo maior occasio peccandi ex ipsa lege fuit, hęc autem gratia communicata fuerit ab initio mundi, quo Christi gratia, & Euangelium per fidem regnat, & remedium affert contra peccatum; qua de causa ipse Christus dicitur agnus occisus ab origine mundi.

27. Cum dicitur in hoc capite regnasse peccatum in morte, vt ita, & iustitia regnaret in vita per Christum, non est ita accipiendum, quasi toto tempore ante Christi aduentum regnauerit peccatum absq; remedio. Deinde aduentu Christi incœperit gratia regnare contra peccatum, & omnino illud vincere: tum quia ante aduentum Christi remedium fuit contra peccatum, ex eadem Christi gratia, quæ ab initio communicata est: tum etiam quia post Christum etiam multa peccata manent, & regnant, quæ gratia Christi non vincuntur, sed dicitur regnasse peccatum, quatenus ex se, & ex Adæ præuaricatione vim habebat, contra quod ab origine mundi pugnauit regnum gratiæ Christi in vita, & vim habebat superandi illud: quod si aliqui victi fuerunt peccato, non vitio, & defectui gratiæ, sed eorum malitiæ deputandum est. Cum hoc tamen verum est, aliquibus paruulis non fuisse concessum remedium, quod eis applicari posset, vt ostendi 1. parte, disp. 96. Nec satis est si dicat aliquis, ideo regnasse peccatum ante Christi aduentum, quia in paruulis contra originale peccatum nullum erat remedium; post Christi autem aduentum fuit: tum quia verius est, semper fuisse remedium ante Christi aduentum etiam paruulis per gratiam Christi, tum etiam, quia regnum peccati non tantum est in peccato originis, sed etiam in peccato actionis; contra peccatum autem actionis semper fuit regnum gratiæ ab origine mundi: eodem modo accipiendum est illud ad Galat. 3. *Sed omnia conclusit scriptura sub peccato, vt promissio fide ex Iesu Christo daretur credentibus*, hoc est, lex scripta ex se nihil aliud fuit, quam occasio peccati, si literam tantum, & scripturam attendas: ideoque necesse fuit, vt fides daretur ad legis obseruationem, & ad consequendas promissiones, quæ solum obseruantibus legem conceduntur.

Google

ARGVMENTVM
CAPITIS VI.

QVia dixerat in fine capitis præcedentis, gratiam abundasse, vbi abundauerat peccatum, tollit in hoc cap. 6. falsam, & impiam opinionem, quam inde, quis concipere posset, permanendi in peccato, & peccata multiplicandi, vt vberiorem gratiam consequeretur. Et docet, iam per iustificationem, & Baptismum consepultos, & mortuos peccato, potius debere nos in nouitate vitæ Deo seruire, & fructificare, quam iterum ad peccata redire.

CAPVT VI.

1 QVid ergo dicem⁹? Manebi-
mus in peccato vt gratia ab-
2 undet? Absit. Qui enim mortui
sumus peccato, quomodo adhuc
3 viuemus in illo? An ignoratis fra-
tres, quia quicunq; baptizati su-
mus in Christo Iesu, in morte i-
4 psius baptizati sumus? Consepul-
ti enim sumus cum illo per Ba-
ptismum in mortem: vt quomo-
do Christus surrexit à mortuis per
gloriam Patris, ita & nos in no-
uitate vitæ ambulemus. Si enim
5 complantati facti sumus simili-
tudini mortis eius: simul & resur-
6 rectionis erimus: hoc scientes,
quia vetus homo noster simul
tru-

PARAPHRASIS.

QVid 1 ergo dicemus? manebimus adhuc sub 2 dominatu fomitis, obedientes illius desideriis, & multiplicantes peccata, vt gratia abundet? 3 Absit. Quomodo enim, qui iã semel renũciauimus regno peccati, adhuc eius suggestioni obtemperabimus? 4 siquidem quicunq; baptizati sumus Baptismo, instar Christi, & ad similitudinem mortis illius baptizati sumus, vt sicut Christus vitæ mortali mortuus est, ita & nos peccato moriamur: ipsa enim ceremonia Baptismi denotat ipsam Christi sepulturam, & nos instar illius sepeliri; vt quemadmodum ille mortuus vitæ mortali sepultus est, ita & nos mor-

Digitized by Google

crucifixus est, vt destruatur cor-
pus peccati, vt vltrà non seruia-
7 mus peccato. Qui enim mortuus
8 est, iustificatus est à peccato. Si au-
tem mortui sumus cum Christo:
credimus quia simul etiam viue-
9 mus cum illo: Sciẽtes quod Chri-
stus resurgens ex mortuis, iam
non moritur, mors illi vltra non
10 dominabitur. Quod enim mor-
tuus est, peccato mortuus est se-
mel: quod autẽ viuit, viuit Deo.
11 Ita & vos existimate, vos mortuos
quidem esse peccato, viuentes au-
tem Deo, in Christo Iesu, Domi-
12 no nostro. Non ergo regnet pec-
catum in vestro mortali corpore,
vt obediatis concupiscentiis eius.
13 Sed neq; exhibeatis membra ve-
stra arma iniquitatis peccato: sed
exhibete vos Deo, tanquam ex
mortuis viuentes: & membra ve-
14 stra arma iustitiæ Deo. Peccatum
enim vobis non dominabitur:
non enim sub lege estis, sed sub
15 gratia. Quid ergo? Peccabimus,
quoniam non sumus sub lege,
16 sed sub gratia? Absit. An nescitis
quoniam cui exhibetis vos ser-
uos ad obediendum, serui estis e-
ius, cui obeditis, siue peccati ad
mortem, siue obeditionis ad iu-
17 stitiam? Gratias autem Deo quòd
fuistis serui peccati, obedistis au-
tem ex corde in eam formam do-
18 ctrinæ in quam traditi estis. Libe-
rati autem à peccato, serui facti
19 estis iustitiæ. Humanum dico,
pro-

mortui vitæ peccati sepeliamur. Quocirca non solum mortui sumus peccato in Baptismo, sed etiam sepulti. Hæc autem configuratio cum Christo in nobis fit ad hoc, vt quomodo Christus mortuus resurrexit à mortuis per virtutem Patris, & suam, quæ est gloria ipsius; ita & nos mortui iam peccato, ei amplius non seruiamus, sed vlterius pergamus in operibus vitæ nouæ; quam consequuti sumus, 5 *Si enim insiti, & incorporati sumus morti Christi, similitudinem illius in nobis exprimentes: similiter etiam & resurrectionis similes* 6 *esse debemus, virtutem ad hoc recipientes, vt in bonis operibus fructificantes à statu peccati resurgamus: scimus enim veterem illam vitam, qua viximus secundum desideria peccati, crucifixam esse cum Christo in baptismo, sicut dictum est, vt abolito* 7 *corpore peccati, deinceps non exhibeamus membra nostra ad seruiendum iniquitati:* 8 *sed ita nos habeamus, quasi qui mortui sunt: hi enim amplius non peccant, sed à peccato liberi sunt, cùm corpus mortuum operationem non habeat. Nos autem ita mortui sumus peccato, vt tamen non simus omnino mortui, & sine vlla vita, aut operatione, sed simul etiam viuimus, sicut Christus (qui mortuus est) viuit: Christus enim postquam resurrexit post mortem, iam amplius non est morti subiectus, quod enim* 9 *mortuus est causa nostri peccati,*

propter infirmitatem carnis ve-
ſtræ; ſicut enim exhibuiſtis mem-
bra veſtra ſeruire immunditiæ, &
iniquitati ad iniquitatẽ; ita nunc
exhibete membra veſtra ſeruire
20 iuſtitiæ in ſanctificationem. Cùm
enim ſerui eſſetis peccati, liberi
21 fuiſtis iuſtitiæ. Quẽ ergo fructum
habuiſtis tunc in illis, in quibus
nunc erubeſcitis? Nam finis il-
22 lorum mors eſt. Nunc verò libe-
rati à peccato, ſerui autem facti
Deo, habetis fructum veſtrum in
ſanctificationem, finem verò vi-
23 tam æternam. Stipendia enim
peccati mors; Gratia autem Dei,
vita æterna in Chriſto Ieſu Domi-
no noſtro.

cati, vt illud deſtrueret, ſemel mortuus eſt, iam verò à morte excitatus viuit immortalem vitam Deo conformem. Ita ergo vos fratres reputate vos mortuos eſſe vitæ peccati, ſed adeptos vitam iuſtitiæ merito Chriſti, in qua viuere debetis ſecundum Deum in bonis operibus. Non itaq; iam amplius dominetur in vobis peccati fomes, vt conſenſum præbeatis concupiſcentiis illius, neque accommodetis membra corporis veſtri huic fomiti inſtrumenta, quibus armetur ad operandam iniquitatẽ. 10 *ſed mentem veſtram, & vos Deo conſecrate, tanquã ex mortuis reſurgentes in vitam, cui mors vltra non dominetur, & membra veſtra ſint arma, & inſtrumenta, quibus Deus vos ad iuſtitiam promoueat. Sic enim peccatum deinceps, quod eſt mors animæ, in vobis non dominabitur amplius.* 11. *Quod iure optimo à vobis peto, quia non eſtis ſub lege, & dominio peccati, & fomitis, ſed eſtis iam ſub poteſtate, & dominio gratiæ.* 12 *At dicet aliquis; ſi non ſumus ſub nuda litera legis, ſed ſub gratia, & habemus adiutorium ab illa ad legem implendam, & vt iuſtificemur à peccato, prout libuerit, parum nocebit iterum, atq; iterum peccare? Verum hoc abſurdum eſt:* 13 *quoniam qui ſemel ſe alicui conſtituit ſeruum ad obediendum, obſtrictus illi manet, & deuinctus, ſiue quis conſtituat ſe ſeruum peccati obediendo deſideriis carnis: ſic enim manet morti deſtinatus, & vt careat gratia Dei, & vt æterna pœna mortis puniatur, nec amplius ſui iuris manet, aut liber. Siue quis conſtituat ſe ſeruum ad obediendum Deo, quæ obedientia ducit ad iuſtitiam: iam enim ratione huius ſeruitutis deuinctus manet, vt ſemper obſequatur Deo, & amplius iuſtificetur. Gratias autem ago Deo, quod cùm antea eſſetis ſerui peccati, iam ab eo per Chriſti gratiam liberati, iuſtificati, ac proinde quaſi manumiſſi traditi eſtis ex corde in ſeruitutem iuſtitiæ ſecundum formam doctrinæ Euangelicæ.* 14 *Abſurdum igitur erit non perſiſtere in hac ſeruitute, ſed ad priorem, quæ eſt peccati, vos iterum relabi.* 15 *Rem autem facilem à vobis exigo, cum maiora iure poſſem poſtulare, vt Baruch c. 4. poſtulauit, videlicet,*

licet. Sicut fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, decies tantum iterum
conuertentes requirite eum. *Ego verò id peto, vt quanto studio exhiben-
tes membra vestra instrumenta peccati,* 16 *hactenus seruiuistis omni pecca-
torum generi, ex vno in aliud magis sordescentes, ita nunc tanta solicitudine
efficiatis membra vestra instrumenta Dei, ad obtemperandum iustitiæ, & o-
mni generi virtutum, vt in sanctitate crescatis: quia cum serui essetis antea
peccati, iam à peccato liberi, facti estis serui iustitiæ, & sanctitatis.* 17 *Qua-
re eo labore, quo antea ob seruitutem peccato seruiebatis, debetis nunc iustitiæ
inseruire.* 18 *Imo potiori ratione sic iustitiæ obtemperare debetis, cum ex ser-
uitute peccati nullum fructum alium habeatis,* 19 *neq; habituri sitis, quam
erubescentiam ipsius peccati: finis enim, & fructus futurus peccati est mors:
seruitutis autē, quia iam liberati à peccato addicti estis iustitiæ, habetis nunc
fructum copiosum iustitiæ, & sanctitatis augmentum,* 20 *futurum autem
fructum habebitis copiosum, vitam scilicet æternam, stipendium enim, & re-
tributio, quæ peccatum in alia vita manet, est æterna mors, & damnatio.* 21
Gratia autem Dei est fons, ex quo prouenit vita æterna.

ANNOTATIONES.

1. Est præoccupatio, vt in argumento capitis exposuimus.

2. Sub peccato, idem est, quod sub fomite ad noua peccata perpetranda: sic enim, si maneret homo sub fomite, videbatur fore, vt abundaret delictum ad hoc, vt abundaret gratia, non autem, si tantum homo in reatu præteriti peccati maneret.

3. Illo verbo, *absit*, reiicit Paulus absurdam obiectionē, sicut & alibi.

4. Quasi dicat, nullo modo rationi consentaneum est. Deinde cùm dicit, *an ignoratis* reddit rationem, quare non sit consentaneum ex professione, quam in Baptismo fecimus, & hanc rationem etiam interrogando proponit.

5. Quæ sequūtur, aut continent eandem rationem repetitam, quam tradidit num. 4 si illud *complantati* non significat aliam insitionem in Christo in Baptismo, quam per figuram, & repræsentationem, aut quod verius puto, si denotat insitionem in Christo, tanquam in vite, ex qua habemus virtutem per baptismum, vt dicam in annotatione in fine capitis, tunc erit altera ratio, qua probat propositum, quare scilicet non debeamus iam peccare. Et illud *enim* reddit causam non eius, quod proxime præcesserat, sed quod supra proposuerat: quasi dicat. Altera ratio est, &c. quomodo autem Baptismus signum, & forma sit mortis, sepulturæ, & resurrectionis Christi, in materia de Baptismo diximus.

6. Illud

6. Illud *erimus*, quod in textu habetur, non significat ita esse certò futurum, siquidem contingere potest, vt simus cum Christo mortui in Baptismo, & iustificati, & deinde non perseueremus in noua vita, sed denotat quales esse debeamus.

7. Corpus peccati appellat congeriem, & vniuersitatem peccatorum, vel certè ipsum nostrum corpus ad peccatum inuitans, nō quod destruatur, vt prorsus non sit, sed vt non exerceat vires suas ad desideria carnis perficienda.

8. Illud, *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato*, solet ita exponi. Qui mortuus peccato in Baptismo, & iustificatione, iam iustificatus, & emundatus est à peccato. Sed reuera hic sensus non quadrat contextui Pauli, qui exhortatur homines semel iustificatos, ne amplius peccent. Neque enim contendit ostendere semel iustificatos iam esse liberos à peccato præterito, sed admonet eos, vt sicut mortui morte corporali iam non peccant, ipsi etiam spiritualiter mortui peccato non peccent amplius.

9. Illud *mortuus est peccato*, non est accipiendum eodem modo, sicut cum Paulus dicit, nos mortuos peccato; nos enim, inquit, mortuos esse peccato, hoc est, in nobis destructam esse vitam peccati. Christum verò mortuum fuisse peccato, hoc est, ad destruendum peccatum, quod nos interpretati sumus *causa nostri peccati*: & in toto contextu exhortatur, vt ita nos geramus in morte peccati, & vita gratiæ, sicut Christus, qui semel mortuus est vitæ corporali, at verò iam excitatus semper viuit, vt patet ex contextu.

10. Aliqui interpretantur, *sicut ex mortuis viuentes*, hoc modo, sicut dignum est, quia ex morte peccati ad vitam gratiæ suscitati estis. Sed existimo Paulum seruare similitudinem illam Christi, qui resurgens ex mortuis iam non moritur, &c. Ita exhortatur Romanos, vt ipsi exhibeant se Deo, vt suscitatos, qui iam non moriuntur, ex quo concludit, *Peccatum enim in vobis non dominabitur.*

11. Reddit rationem, quare ab illis petat, vt amplius non peccent, nec moriantur morte peccati. Aliqui ita exponunt, *non estis sub lege*, hoc est, in statu legis Moysis, vbi peccatum dominabatur. Sed mihi hęc expositio non placet, quia etiam in statu legis Moysis auferebatur peccatum per gratiam Christi. Alii dicunt, esse sub lege, idem esse, quod non habere solum legis notitiam, sed adiutorium gratiæ. Sed neque mihi hæc interpretatio placet, quia hic Paulus non loquitur de lege præcepti, sed de lege dominij, & principatus, vt constat ex sequenti capite, in quo hoc ipsum prosequitur, & ita reliquum huius capitis ad hoc tendit, vt iustificati amplius non peccent, quia non sunt sub dominio peccati.

Digitized by Google

12. Per figuram præoccupationis respondet obiectioni, vt in paraphrasi. Sed notandum, eam obiectionem secundum opinionem aliquorum inde oriri, quia dixerat prius, eos iam non esse sub lege, sed sub gratia, quasi inde inferret aliquis: si ergo legem non habemus, peccare poterimus iam liberè, quia nihil impedit. Ego tamen existimo inde oriri non potuisse obiectionem. Primo quia si in eo sensu dixisset Paulus, iam non esse eos sub lege, quia cessauit lex, non bene inferretur inde, ergo liberum erit iam peccare: sed potius, ergo iam liberum erit facere sine peccato, quidquid volumus, quia vbi non est lex, nec peccatum, aut præuaricatio esse potest, iuxta eundem Apostolum suprà cap. 4. tum etiam, quia Paulus non dixit eos non esse sub lege Moysis, quia iam cessauerit, quasi intelligeret solum de ceremoniali, sed intellexit de lege tota etiam morali, quæ non cessauerat: cum igitur adhuc ipsi legem haberent, contra quam peccare possent, dixit eos non esse sub lege, hoc est, non habere solam literam legis, quæ non præstat virtutem ad sui obseruationem, vt suprà sæpius dictum est, sed habere simul gratiæ adiutorium. Obiectio ergo illa inde oriri non potuit, quia dixerat Paulus, eos non esse sub sola litera legis, quæ iustificare non poterat, nec adiuuare ad sui obseruationem, sed ex eo, quod dixerat eos esse sub gratia, quasi diceret: si gratiæ adiutorium nobis offertur, & ad iustificationem, & ad obseruandam legem, interim liberum erit nobis peccare, vt libuerit.

13. Hæc est repetitio frequens in scriptura, dum dicitur. *Nescitis, quoniam cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis.* Simile est Psalm. 86. *Cuius participatio eius, &c.* & Isai. 9. *Habitantibus in regione vmbra mortis lux orta est eis.*

14. Totum illud suppletur, quod est in eo numero: id enim ex sententia Pauli facile colligitur.

15. Extenuat rem, quam petit, vt eos ad studium virtutis exhortetur. Vel, vt alii volunt, humanum dicit, cum eos appellauit seruos iustitiæ, crassius loquens more humano, nempe eos appellans seruos iustitiæ, quos antea seruos peccati dixit.

16. Quod dicit, *iniquitati in iniquitatem*, idem est, quod nos diximus, omni generi peccatorum.

17. Conclusio illa subintellecta est, quæ ex præcedentibus facile colligitur.

18. Addit nouam rationem ex fructu peccati, & iustitiæ.

19. Illud *habituri sitis*, de futuro additum est. Postquam enim Paulus ostendit fructum, quem ex peccato hactenus habuerunt, esse solam erubescentiam, subiungit, finem futurum esse mortem, vt ostendat eis non solum hactenus non habuisse bonum aliquem fructum, sed neq;

eos vnquam habituros: eodem modo & iustitiæ assignat fructum, & finem: fructum autem intelligit iam præsentem, scilicet iustificationis augmentum, finem verò appellat fructum futurum, vitam scilicet æternam.

20. Finem appellat hic fructum, qui in futurum expectatur.

21. Cum posset dicere iustitiæ stipendium est vita æterna, noluit appellare stipendium, sed vt indicaret fontem meritorum, quorum stipendium est vita æterna, dixit, gratia autem Dei vita ęterna, ita August. epist. 105. & lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 8. & 9.

ARGVMENTVM
CAPITIS VII.

Prosequitur id, quòd sexto capite dixerat, quomodo scilicet iustificati noua vita Deo seruire debeant, eo quod non maneant sub dominio, & seruitute peccati, sed gratiæ, quod illis verbis dixerat, Quia non estis sub lege, sed sub gratia; *id ergo prosequitur, & similitudine legis matrimonij declarat, quomodo iustificati liberi sint à lege peccati, vt possint iam Christo seruire. Quod verò de lege matrimonij dixit, idem dicere potuit de lege cuiusuis alterius dominij, & seruitutis. Vt autem melius intelligamus contextum capitis, qui maxime obscurus est, quod frequenter Paulus vtatur nomine legis, nec in eadem omnino significatione; notandum est, dupliciter*

capi

capi legem à Paulo in hoc capite. Primum pro iure potestatis in aliquem, deinde pro lege præcepti. Contendit itaq; iustificatos per spiritum fidei, non esse amplius sub iure seruitutis peccati, & ita seruire debere Deo: quando autem legem vsurpet pro iure seruitutis, & dominij, quando verò pro præcepto, in progressu Paraphrasis videbimus. Cæterum in fine capitis vtriusque meminit, legis scilicet membrorum, quæ dicitur lex in priori sensu; & legis mentis, quæ dicitur lex posteriori modo.

CAPVT VII.

1 AN ignoratis fratres (scientibus enim legé loquor) quia lex in homine dominatur, quan-
2 to tempore viuit? nam quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege vi-
3 ri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri: vt non sit adultera si fuerit cum alio viro.
4 Itaq; fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi: vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificetis Deo.
5 Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem

PARAPHRASIS eiusdem capitis.

OPtimè quidem nostis (scientibus enim, quidnam sit lex, loquor) ius seruitutis, aut potestatis tandiu alicuius hominis dominari, & eum sibi subiectum facere, vt alterius esse non possit, quandiu ipsum imperium 1 *perseuerat. Vt in potestate matrimonij constat: viuente enim viro ita ius dominij in illo perseuerat, & mulier sub illius potestate est, vt alteri non possit corpus suum tradere, sed adultera sit, si alteri copiam sui fecerit.* 2 *Mortuo autem viro ipsius libera est à viri potestate, & ita manet sui iuris, vt non sit adultera, si alteri viro se in matrimonium tradat.* 3 *Perinde estis vos com-*

gem erant, operabantur in mem-
bris nostris, vt fructificarēt mor-
6 ti. Nunc autem soluti sumus à le-
ge mortis, in qua detinebamur,
ita vt seruiamus in nouitate Spi-
ritus, & non in vetustate literæ.
7 Quid ergo dicemus? Lex pecca-
tum est? Absit. Sed peccatum nō
cognoui, nisi per legem: Nam
concupiscentiam nesciebam, nisi
lex diceret: non concupisces. Oc-
8 casione autem accepta, peccatum
per mandatum operatum est in
me omnem concupiscentiam. Si-
ne lege enim peccatū mortuum
9 erat. Ego autem viuebam sine le-
ge aliquando. Sed cum venisset
mandatum, peccatū reuixit. Ego
10 autem mortuus sum: & inuen-
tum est mihi mandatum, quod e-
rat ad vitam, hoc esse ad mortem.
11 Nam peccatum occasione acce-
pta per mandatum, seduxit me,
12 & per illud occidit. Itaq; lex qui-
dem sancta, & mandatum san-
13 ctum, & iustum, & bonum. Quod
ergo bonum est, mihi factum est
mors? Absit. Sed peccatum, vt
appareat peccatum, per bonum
operatum est mihi mortem: vt
fiat supra modum peccans pecca-
14 tum per mandatum. Scimus e-
nim quia lex spiritualis est, ego
autem carnalis sum, vænundatus
15 sub peccato. Quod enim operor,
non intelligo: non enim quod
volo bonum, hoc ago: sed quod
16 odi malum, illud facio. Si autem
quod

comparati cum potestate peccati; quia per corpus Christi, quod pro vobis oblatum est in cruce, mortui estis peccato, occidentes in vobis vitam peccati; ideoque & à potestate illius liberi estis, vt alterius esse poßitis, scilicet Christi, 4 qui resurrexit à mortuis, cuius resurrectionis vos similitudinem exprimitis in iustificatione vestra; 5 sitis, inquā, Christi, vt ita ei traditi fructum bonorum operum Deo offeratis per gratiam ipsius Christi. 6 Cum enim adhuc viueremus secundum carnalia desideria in peccato, vitiosi affectus, & paßiones, quæ occasione præcepti erant incitamenta peccatorum, aliàs verò, si præceptum non esset, non fuissent peccati incentiuum, dominabantur in carne nostra, vt in consensum allicerent. & in opus vitiosum, cuius fructus est mors animæ, ad quam ex peccato rei, & obligati manemus, nunc autem postquam iustificati sumus, liberi sumus ab hac seruitute, & obligatione mortis, sub cuius potestate detinebamur, vt iam deinceps tradamur Christo, & ei seruiamus spiritu nouo gratiæ suæ, 7 & non sola vetusta litera legis, & notitia illius ducti. 8 Dicet quis, ex dictis colligi, legem præcepti malam esse, cum per illam paßiones dominentur in nobis ad peccatum. Sed absit: 9 hoc enim absurdum est: præceptum enim bonum, iustum, & sanctum est, sed hoc tantum habet, quod notitiam præstat

Digitized by Google

quod nolo, illud facio: conſentio
17 legi, quoniam bona eſt. Nunc
autem iam non ego operor illud,
ſed quod habitat in me pecca-
18 tum. Scio enim quia non habitat
in me, hoc eſt, in carne mea, bo-
num. Nam velle adiacet mihi:
perficere autem bonum, non in-
19 uenio. Non enim quod volo bo-
num, hoc facio: ſed quod nolo
20 malum, hoc ago. Si autem quod
nolo, illud facio: iam non ego o-
peror illud, ſed quod habitat in
21 me peccatum. Inuenio igitur le-
gem, volẽti mihi facere bonum,
quoniam mihi malum adiacet.
22 Condelector enim legi Dei ſe-
cundum interiorem hominem:
23 video autẽ aliam legem in mem-
bris meis, repugnãtem legi men-
tis meæ, & captiuantem me in le-
ge peccati, quæ eſt in membris
24 meis. (Infelix ego homo, quis me
liberabit de corpore mortis hu-
25 ius? Gratia Dei per Ieſum Chri-
ſtum Dominum noſtrum.) Igi-
tur ego ipſe mente ſeruio legi
Dei, carne autem, legi peccati.

præſtat peccati, quòd aliàs ſine legis notitia ignoraretur: 10 niſi enim lex eſſet, quæ dicit, non concupiſces, *ignoraret homo, concupiſcentiam ſolam eſſe peccatum: lex ergo ſolum fuit occaſio, vt ea exiſtente 11 in homine concupiſcentia, quæ aliàs non eſſet peccatum, aut quia non eſſet prohibita, aut quia non eſſet vt peccatum cognita, ad peccatum imputaretur, & hac ratione, non alia, 12 dixi paßiones peccatorum, quæ per legem erant, operari in membris noſtris 13 abſq; lege enim, aut legis notitia fomes peccati vim non habet. Imò verò 14 cum quis eſt ſine lege, peccati conſcientiam non habet, & licitum ſibi putat, quod prohibitum lege non cognoſcit, atque ita ſine lege vitam habet, & longè diſtat à morte peccati. 15 Poſito autem præcepto fomes peccati vim habet, vt ad culpam, & ad illicitas concupiſcentias inducat, atque homo, qui ſine lege aliàs eſſet liber à morte peccati, mortem peccati incurrit. Quare & præceptum, quod ex ſe ad hoc eſt, vt hominem ad vitam virtutis dirigat, eſt mortis occaſio ex naturæ imbecillitate. 16 Nam peccati fomes præcepto poſito ſeducit hominem, & occidit, ad conſenſum contra præceptum inducens. Eſt itaque præceptum ſanctum, iuſtum, & bonum, ſi inſpicias id, quod præcipit, & ad quod inſtitutum eſt. Sed dices, ſi bonum eſt præceptum, quomodo eſt homini lethale? ſanè ipſum præceptum lethale non eſt, nec mortem animæ affert: ſed peccati fomes poſito bono præcepto, & ipſa naturæ imbecillitas cauſa mortis ſpiritualis eſt; 17 & occaſione præcepti apparet optimè praua fomitis inclinatio, & naturæ imbecillitas, 18 vniuerſaque illius malitia, & venenum 19 manifeſtatur. 20 Satis enim notum eſt legem ſanctam, & ſpiritualem, & ſecundum rationem*

 eſſe,

esse; 21 vnumquenque autem nostrum secundum veterem hominem, & inferiorem ipsius partem procliuem esse ad concupiscendum, quæ carnis sunt, contraria rationi, & sub tyrannide peccati, tanquam emptitium seruum constitutum: nam 22 quod quis secundum partem inferiorem 23 appetit, mentis intelligentia non iudicat conueniens. Non enim bonum, quod secundum rationem desiderat, & iudicat conueniens, reprimere scilicet motus carnis, caro operatur; sed malum, quod mens abominatur, scilicet carnis concupiscentiam, illud caro operatur, illicita desiderando. Quod si in illicitas concupiscentias caro prorumpit, quod ratio nollet, & odio habet, profectò homo sequitur in hoc regulam præcepti, & legis impositæ (quæ bona, & spiritualis est) secundum superiorem partem. 24 Tunc autem non dicitur homo illam concupiscentiam operari, sed fomes peccati, qui in ipso est, quod peccatum dixerim, quia in homine, hoc est, in parte inferiori hominis, nulla est prorsus ad bonum inclinatio: nam secundum partem superiorem in promptu esse solet homini velle, & desiderare, quod bonum est, reprimere nempe prauos carnis, & partis inferioris motus; id tamen opere exequi non semper potest: 25 non enim quod bene desiderat secundum rationem homo, scilicet nihil inordinatè concupiscere, secundum inferiorem partem facit; sed in malam concupiscentiam, quam secundum rationem reprimere vellet, prorumpit secundum carnem: quod si ita est, iam illud homo non dicitur operari, sed qui est in eo peccati fomes. 26 Sic ergo homo experiritur legem repugnantem sibi cupienti facere bonum; hæc autem est inclinatio carnis, quæ lex fomitis dicitur: hanc verò legem experitur homo ex mala, & praua inclinatione, quæ ei inhæret: condelectatur enim, & consentit legi Dei, quæ sancta est, & bona, secundum superiorem partem, nempe rationem: sed carne sua, & parte inferiori experitur legem aliam, & regulam contrariam legi bonæ, & spirituali, cui mens consentit, sub qua lege membrorum, quæ lex peccati dicitur, est quasi seruus emptitius. O hominem infelicem! 27 quis eum liberabit secundum superiorem partem, ne etiam seruus fiat secundum illam, consentiendo legi huius corporis ita ad peccatum procliuis? Gratia Dei, quam ex meritis Christi nobis præparauit Deus. 28 Hac igitur gratia homo idem mente sua, & superiori parte seruit legi Dei, quamuis carne, & parte inferiori sequatur legem, & normam peccati in motibus, quos ratio reprimere non potest, sicut vellet.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. Quidam interpretantur illud: *Quanto tempore viuit*, vt intelligatur de homine, qui quandiu viuit, obligatur lege: sic Augustin. lib. 83. quæstion. 66. & Theodoretus, & suadetur hoc ex eo, quod infra explicans hanc doctrinam Paulus inquit: *Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi;* vt inde inferat, eos non esse sub lege. Huic expositioni obstat primò, quod Paulus non vteretur bene similitudine vxoris, quam inquit esse sub lege viri, quamdiu viuit vir, & lex viri, seu potestas illius: ideoque Augustinus contendit, non per omnia similitudinem esse obseruandam, quod tamen mihi non placet, cum rectè possit tota similitudo applicari. Deinde obstat, quia Paulus ad hoc ostendit eos non esse sub lege, vt iam sint alterius, scilicet Christi, & hoc per bona opera, vt etiam monebat capite præcedenti. Sic autem potius essent sub legis obseruantia, sicut vxor quamdiu obedit marito, sub illius iure est. Alij exponunt illud; *quanto tempore viuit*, de lege, id est, quanto tempore lex viuit. Sic Origenes; & quamuis Chrysost. & Theophylact. mihi videantur cum Augustino consentire, tamen postea hanc expositionem videntur sequi. Hæc expositio mihi placet, sed non ita, vt per legem hic intelligamus, sicut ipsi intelligunt, legem veterem ceremoniarum, sed potestatem, & subiectionem peccati, quam appellat legem membrorum, vt planè constat ex contextu. Tum etiam quia, vt supra notaui, non fit mentio in hac epistola ad Romanos legis Mosaicæ ceremoniarum: imo in hoc capite Paulus loquitur de lege morali, quando loquitur de lege vt præceptum est, vt ostendi 1. 2. quæst. 109. art. 4. quomodo verò non obstet id, quod pro Augustino adducebatur, infra videbimus num. 3.

2. Hic omisi aliqua verba Pauli, quia eadem repetit.

3. Idem est mortificatos esse peccato, quod, vitam peccati, vel peccatum in seipsis destruxisse, aut in ipsis mortuum esse peccatum, & cum illo potestatem, & tyrannidem eius cessasse. Quare comparatio viri, & fœminæ optimè seruatur per omnia hoc modo, vt peccatum viro comparetur: viuente enim peccato homo est seruus illius, & sub potestate eius, vt alterius esse non possit, nisi per gratiam liberetur destructo peccato, sicut viuente viro, vxor est sub potestate ipsius; & homo, qui est sub lege, & potestate peccati, comparetur vxori, quæ est sub viro. Solum differentia est, quod lex matrimonij perit mortuo viro, & superstite vxore, lex autem seu potestas peccati perit mortuo peccato, & quodammodo mortuo ipso homine, qui vxori comparatur, quia peccatum viuebat in homine, maritus autem in seipso. Et ideo Paulus pro eodem accepit mortuos esse peccato, aut peccatū, & potestatem illius mortuam esse, quia idem est omnino. Quocirca fundamentum senten-

Digitized by Google

ſententiæ Auguſtini infirmum eſt. Hactenus autem nomine legis Paulus intelligit poteſtatem, & ius ſupra aliquem.

4. Facit mentionem reſurrectionis, quam imitari debemus per vitam nouam, quia proſequitur ſemper id, quod ſuperiori capite propoſuerat.

5. Similitudine vtitur mulieris, quæ ſub viro fructificat filiorum generatione.

6. Mutat perſonam, ſed eandem proſequitur ſententiam, & oſtendit, quomodo poteſtas peccati in nos ante iuſtificationem ius, & dominium habebat. Et ſicut mulier viro mortuo alteri poteſt tradere ſe, ſic nos liberi ſumus, vt Chriſto tradamur, poſt iuſtificationem.

7. Appellat vetuſtatem literæ non legem veterem Moyſis, quaſi illa iam eſſet abrogata, & Deo non eſſet in illa amplius ſeruiendum, quia ad rem non attinet hìc miniſter legis veteris, quod ad ceremonialia ſpectat, cum nunquam Paulus tractet in hac epiſtola de abrogatione ceremonialium præceptorum. Appellat ergo totam legem etiam moralem, vetuſtam literam, quia nihil amplius habet, quam oſtendere quid eſt faciendum, vel ſcriptura, vel verbo. Deinde appellat vetuſtam, non quia iam ſit antiquata, cum moralia præcepta manſerint, ſed propter legis imbecillitatem, & impotentiam: ſicut gratiam appellat nouum ſpiritum, non quia ſit noua in tempore, cum ab Adamo etiam fuerit, & ſit antiquior lege Moyſis, ſed propter vigorem illius, qui nunquam deficit.

8 Illa obiectio tantum occaſionem habuit ex illo, quod dixerat in hoc capite num. 6. quia hactenus in hoc capite non fecit mentionem legis præcepti, ſed legis in alio ſenſu, vt explicaui.

9. Totum illud ſuppleri debet, quod inſinuat illa aduerſatiua, *ſed peccatum non cognoui*, &c. Hæc enim denotat, legem non eſſe malam, ſed hoc tantum habere, vt notitiam ſolum præſtet peccati, & rectè operandi.

10. Non loquitur de quacunque concupiſcentia, ſed de illicita, vt vxoris, vel rei alienæ; neque dicit non alio modo hanc potuiſſe eſſe notam, niſi per legem, quia per dictamen rationis etiam cognoſci potuit, hoc eſſe peccatum, ſed ideo quia lex ſcripta attulit notitiam peccati, quod aliàs à multis non exiſtimaretur peccatum, id autem dicit in propria perſona, non quia ita eſſet, ſed ea phraſi oſtendit id, quod multis contingeret.

11. Dicit *in me* eadem phraſi, & quod de ſe dicit, de alio quouis intelligit.

12. Idem dixerat num 6. hoc autem nunc dicit his verbis. *Occaſione autem accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.*

tium. Hoc est, occasione ex præcepto accepta, peccatum, quod est fomes peccati, causa fuit concupiscentiæ illicitæ.

13. Peccatum mortuum idem est, quod fomitem peccati sine vi esse, vt inducat ad peccatum, quia sine præcepto non est illicita concupiscentia.

14. Illa particula *autem*, cum dicit, *ego autem*, est aduersatiua non continuatiua, & in persona sua ostendit id, quod in vnoquoque contingit. Cùm verò, inquit, *viuebam sine lege*, non est idem, quod esse sine lege, sed vitam habere sine lege, est non incurrere mortem peccati: sine lege enim peccatum non est, & ita nec mors peccati. Quare illud non dicit, quia ipse aliquando vitam mortalem duxerit sine lege: & per legem non intelligit legem Moysis, sed quancunque; cum hactenus semper de lege morali quacunque prohibente loquutus sit.

15. Cum loquitur de præterito, nō denotat fuisse prius tempus aliquod, in quo nullum peccatum vim haberet, & deinde venisse tempus legis, in quo peccatum incœperit; sed idem est, ac si de præsenti diceret, vt ostendat, quomodo si lex non esset, nec peccatum esse posset, aut culpa. Cum autem ponitur lex, aut ea quomodocunque supposita, iam incipit vim habere fomes peccati, vt ad culpam inducat: hoc autem dicit ad ostendendum vim legis, & quo pacto sit occasio peccati, & per illam dicantur passiones operari. Idem dixerat num. 6. viuere autem sine lege non est tantum non sentire molestiam illius, sed non incurrere mortem peccati, quia sine lege peccatum non est, vnde nec mors spiritualis animæ. Hac solum ratione dicitur 2. ad Corinth. 3. promulgatio legis ministratio mortis, quia lex est occasio mortis transgressoribus, cum tamen ipsa, quod attinet ad id, quod præcipit, bona sit, vt Paulus in hoc capite dicit. Prædicatio verò Euangelij appellatur ibi à Paulo ministratio spiritus, quia ipse prædicabat, fidem Christi necessariam ad implendam legem, quæ est spiritus adiuuans, vt infra cap. 10. *hoc est verbum fidei, quod prædicamus vobis.* Et sicut promulgatio legis dicitur ministratio mortis, sic dicitur 1. ad Cor. 15. Virtus peccati, hoc est, potentia peccati, lex. Sicut, & in hoc cap. nu. 14. peccatum, quod mortuum erat sine lege, dicitur per legem reuixisse.

16. Per peccatum intelligit fomitem peccati.

17. Ibi ponitur particula *vt*, quæ hic non significat finalem causam, cum ad id non fuerit propositum præceptum, sed significat euentum, vt sæpe alibi in scriptura.

18. Idem notandum, quod superiori numero.

19. *Peccatum*, id est, fomitem peccati, *supra modum peccare*, quod est, su-

ARGVMENTVM
CAPITIS VI.

QVia dixerat in fine capitis præcedentis, gratiam abundasse, vbi abundauerat peccatum, tollit in hoc cap. 6. falsam, & impiam opinionem, quam inde, quis concipere posset, permanendi in peccato, & peccata multiplicandi, vt vberiorem gratiam consequeretur. Et docet, iam per iustificationem, & Baptismum consepultos, & mortuos peccato, potius debere nos in nouitate vitæ Deo seruire, & fructificare, quam iterum ad peccata redire.

CAPVT VI.

1 QVid ergo dicem⁹? Manebi-
mus in peccato vt gratia ab-
2 undet? Absit. Qui enim mortui
sumus peccato, quomodo adhuc
3 viuemus in illo? An ignoratis fra-
tres, quia quicunq; baptizati su-
mus in Christo Iesu, in morte i-
4 psius baptizati sumus? Consepul-
ti enim sumus cum illo per Ba-
ptismum in mortem: vt quomo-
do Christus surrexit à mortuis per
gloriam Patris, ita & nos in no-
uitate vitæ ambulemus. Si enim
5 complantati facti sumus simili-
tudini mortis eius: simul & resur-
6 rectionis erimus: hoc scientes,
quia vetus homo noster simul
cru-

PARAPHRASIS.

QVid 1 ergo dicemus? manebimus adhuc sub 2 dominatu fomitis, obedientes illius desideriis, & multiplicantes peccata, vt gratia abundet? 3 Absit. Quomodo enim, qui iã semel renũciauimus regno peccati, adhuc eius suggestioni obtemperabimus? 4 siquidem quicunq; baptizati sumus Baptismo, instar Christi, & ad similitudinem mortis illius baptizati sumus, vt sicut Christus vitæ mortali mortuus est, ita & nos peccato moriamur: ipsa enim ceremonia Baptismi denotat ipsam Christi sepulturam, & nos instar illius sepeliri; vt quemadmodum ille mortuus vitæ mortali sepultus est, ita & nos mor-

Digitized by Google

crucifixus est, vt destruatur cor-
pus peccati, vt vltrà non seruia-
7 mus peccato. Qui enim mortuus
8 est, iustificatus est à peccato. Si au-
tem mortui sumus cum Christo:
credimus quia simul etiam viue-
9 mus cum illo: Sciẽtes quod Chri-
stus resurgens ex mortuis, iam
non moritur, mors illi vltra non
10 dominabitur. Quod enim mor-
tuus est, peccato mortuus est se-
mel: quod autẽ viuit, viuit Deo.
11 Ita & vos existimate, vos mortuos
quidem esse peccato, viuentes au-
tem Deo, in Christo Iesu, Domi-
12 no nostro. Non ergo regnet pec-
catum in vestro mortali corpore,
vt obediatis concupiscentiis eius.
13 Sed neq; exhibeatis membra ve-
stra arma iniquitatis peccato: sed
exhibete vos Deo, tanquam ex
mortuis viuentes: & membra ve-
14 stra arma iustitiæ Deo. Peccatum
enim vobis non dominabitur:
non enim sub lege estis, sed sub
15 gratia. Quid ergo? Peccabimus,
quoniam non sumus sub lege,
16 sed sub gratia? Absit. An nescitis
quoniam cui exhibetis vos ser-
uos ad obediendum, serui estis e-
ius, cui obeditis, siue peccati ad
mortem, siue obeditionis ad iu-
17 stitiam? Gratias autem Deo quòd
fuistis serui peccati, obedistis au-
tem ex corde in eam formam do-
18 ctrinæ in quam traditi estis. Libe-
rati autem à peccato, serui facti
19 estis iustitiæ. Humanum dico,
pro-

*mortui vitæ peccati sepeliamur. Quo-
circa non solum mortui sumus pecca-
to in Baptismo, sed etiam sepulti. Hæc
autem configuratio cum Christo in
nobis fit ad hoc, vt quomodo Christus
mortuus resurrexit à mortuis per
virtutem Patris, & suam, quæ est
gloria ipsius; ita & nos mortui iam
peccato, ei amplius non seruiamus, sed
vlterius pergamus in operibus vitæ
nouæ; quam consequuti sumus, 5 Si
enim insiti, & incorporati sumus
morti Christi, similitudinem illius in
nobis exprimentes: similiter etiam
& resurrectionis similes 6 esse de-
bemus, virtutem ad hoc recipientes,
vt in bonis operibus fructificantes à
statu peccati resurgamus: scimus e-
nim veterem illam vitam, qua vixi-
mus secundum desideria peccati, cru-
cifixam esse cum Christo in baptismo,
sicut dictum est, vt abolito 7 corpo-
re peccati, deinceps non exhibeamus
membra nostra ad seruiendum ini-
quitati: 8 sed ita nos habeamus,
quasi qui mortui sunt: hi enim am-
plius non peccant, sed à peccato liberi
sunt, cùm corpus mortuum operatio-
nem non habeat. Nos autem ita mor-
tui sumus peccato, vt tamen non si-
mus omnino mortui, & sine vlla vi-
ta, aut operatione, sed simul etiam
viuimus, sicut Christus (qui mor-
tuus est) viuit: Christus enim post-
quam resurrexit post mortem, iam
amplius non est morti subiectus, quod
enim 9 mortuus est causa nostri pec-*

cati,

Google

propter infirmitatem carnis vestræ; sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatē; ita nunc exhibete membra vestra seruire
20 iustitiæ in sanctificationem. Cùm enim serui essetis peccati, liberi
21 fuistis iustitiæ. Quē ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis il-
22 lorum mors est. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vi-
23 tam æternam. Stipendia enim peccati mors; Gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.

cati, vt illud destrueret, semel mortuus est, iam verò à morte excitatus viuit immortalem vitam Deo conformem. Ita ergo vos fratres reputate vos mortuos esse vitæ peccati, sed adeptos vitam iustitiæ merito Christi, in qua viuere debetis secundum Deum in bonis operibus. Non itaq; iam amplius dominetur in vobis peccati fomes, vt consensum præbeatis concupiscentiis illius, neque accommodetis membra corporis vestri huic fomiti instrumenta, quibus armetur ad operandam iniquitatē, 10 *sed mentem vestram, & vos Deo consecrate, tanquā ex mortuis resurgentes in vitam, cui mors vltra non dominetur, & membra vestra sint arma, & instrumenta, quibus Deus vos ad iustitiam promoueat. Sic enim peccatum deinceps, quod est mors animæ, in vobis non dominabitur amplius.* 11. *Quod iure optimo à vobis peto, quia non estis sub lege, & dominio peccati, & fomitis, sed estis iam sub potestate, & dominio gratiæ.* 12 *At dicet aliquis; si non sumus sub nuda litera legis, sed sub gratia, & habemus adiutorium ab illa ad legem implendam, & vt iustificemur à peccato, prout libuerit, parum nocebit iterum, atq; iterum peccare? Verum hoc absurdum est:* 13 *quoniam qui semel se alicui constituit seruum ad obediendum, obstrictus illi manet, & deuinctus, siue quis constituat se seruum peccati obediendo desideriis carnis: sic enim manet morti destinatus, & vt careat gratia Dei, & vt æterna pœna mortis puniatur, nec amplius sui iuris manet, aut liber. Siue quis constituat se seruum ad obediendum Deo, quæ obedientia ducit ad iustitiam: iam enim ratione huius seruitutis deuinctus manet, vt semper obsequatur Deo, & amplius iustificetur. Gratias autem ago Deo, quod cùm antea essetis serui peccati, iam ab eo per Christi gratiam liberati, iustificati, ac proinde quasi manumissi traditi estis ex corde in seruitutem iustitiæ secundum formam doctrinæ Euangelicæ.* 14 *Absurdum igitur erit non persistere in hac seruitute, sed ad priorem, quæ est peccati, vos iterum relabi.* 15 *Rem autem facilem à vobis exigo, cum maiora iure possem postulare, vt Baruch c. 4. postulauit, videlicet,*

Digitized by Google

licet. Sicut fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, decies tantùm iterum conuertentes requirite eum. *Ego verò id peto, vt quanto studio exhibentes membra vestra instrumenta peccati,* 16 *hactenus seruiuistis omni peccatorum generi, ex vno in aliud magis sordescentes, ita nunc tanta solicitudine efficiatis membra vestra instrumenta Dei, ad obtemperandum iustitiæ, & omni generi virtutum, vt in sanctitate crescatis: quia cum serui essetis antea peccati, iam à peccato liberi, facti estis serui iustitiæ, & sanctitatis.* 17 *Quare eo labore, quo antea ob seruitutem peccato seruiebatis, debetis nunc iustitiæ inseruire.* 18 *Imo potiori ratione sic iustitiæ obtemperare debetis, cum ex seruitute peccati nullum fructum alium habeatis,* 19 *neq; habituri sitis, quam erubescentiam ipsius peccati: finis enim, & fructus futurus peccati est mors: seruitutis autē, quia iam liberati à peccato addicti estis iustitiæ, habetis nunc fructum copiosum iustitiæ, & sanctitatis augmentum,* 20 *futurum autem fructum habebitis copiosum, vitam scilicet æternam, stipendium enim, & retributio, quæ peccatum in alia vita manet, est æterna mors, & damnatio.* 21 *Gratia autem Dei est fons, ex quo prouenit vita æterna.*

ANNOTATIONES.

1. Est præoccupatio, vt in argumento capitis exposuimus.

2. Sub peccato, idem est, quod sub fomite ad noua peccata perpetranda: sic enim, si maneret homo sub fomite, videbatur fore, vt abundaret delictum ad hoc, vt abundaret gratia, non autem, si tantum homo in reatu præteriti peccati maneret.

3. Illo verbo, *absit*, reiicit Paulus absurdam obiectionē, sicut & alibi.

4. Quasi dicat, nullo modo rationi consentaneum est. Deinde cùm dicit, *an ignoratis* reddit rationem, quare non sit consentaneum ex professione, quam in Baptismo fecimus, & hanc rationem etiam interrogando proponit.

5. Quæ sequūtur, aut continent eandem rationem repetitam, quam tradidit num. 4 si illud *complantati* non significat aliam insitionem in Christo in Baptismo, quam per figuram, & repræsentationem, aut quod verius puto, si denotat insitionem in Christo, tanquam in vite, ex qua habemus virtutem per baptismum, vt dicam in annotatione in fine capitis, tunc erit altera ratio, qua probat propositum, quare scilicet non debeamus iam peccare. Et illud *enim* reddit causam non eius, quod proxime præcesserat, sed quod supra proposuerat: quasi dicat. Altera ratio est, &c. quomodo autem Baptismus signum, & forma sit mortis, sepulturæ, & resurrectionis Christi, in materia de Baptismo diximus.

6. Illud

6. Illud *erimus*, quod in textu habetur, non significat ita esse certò futurum, siquidem contingere potest, vt simus cum Christo mortui in Baptismo, & iustificati, & deinde non perseueremus in noua vita, sed denotat quales esse debeamus.

7. Corpus peccati appellat congeriem, & vniuersitatem peccatorum, vel certè ipsum nostrum corpus ad peccatum inuitans, nō quod destruatur, vt prorsus non sit, sed vt non exerceat vires suas ad desideria carnis perficienda.

8. Illud, *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato*, solet ita exponi. Qui mortuus peccato in Baptismo, & iustificatione, iam iustificatus, & emundatus est à peccato. Sed reuera hic sensus non quadrat contextui Pauli, qui exhortatur homines semel iustificatos, ne amplius peccent. Neque enim contendit ostendere semel iustificatos iam esse liberos à peccato præterito, sed admonet eos, vt sicut mortui morte corporali iam non peccant, ipsi etiam spiritualiter mortui peccato non peccent amplius.

9. Illud *mortuus est peccato*, non est accipiendum eodem modo, sicut cum Paulus dicit, nos mortuos peccato; nos enim, inquit, mortuos esse peccato, hoc est, in nobis destructam esse vitam peccati. Christum verò mortuum fuisse peccato, hoc est, ad destruendum peccatum, quod nos interpretati sumus *causa nostri peccati*: & in toto contextu exhortatur, vt ita nos geramus in morte peccati, & vita gratiæ, sicut Christus, qui semel mortuus est vitæ corporali, at verò iam excitatus semper viuit, vt patet ex contextu.

10. Aliqui interpretantur, *sicut ex mortuis viuentes*, hoc modo, sicut dignum est, quia ex morte peccati ad vitam gratiæ suscitati estis. Sed existimo Paulum seruare similitudinem illam Christi, qui resurgens ex mortuis iam non moritur, &c. Ita exhortatur Romanos, vt ipsi exhibeant se Deo, vt suscitatos, qui iam non moriuntur, ex quo concludit, *Peccatum enim in vobis non dominabitur.*

11. Reddit rationem, quare ab illis petat, vt amplius non peccent, nec moriantur morte peccati. Aliqui ita exponunt, *non estis sub lege*, hoc est, in statu legis Moysis, vbi peccatum dominabatur. Sed mihi hęc expositio non placet, quia etiam in statu legis Moysis auferebatur peccatum per gratiam Christi. Alii dicunt, esse sub lege, idem esse, quod non habere solum legis notitiam, sed adiutorium gratiæ. Sed neque mihi hæc interpretatio placet, quia hic Paulus non loquitur de lege præcepti, sed de lege dominij, & principatus, vt constat ex sequenti capite, in quo hoc ipsum prosequitur, & ita reliquum huius capitis ad hoc tendit, vt iustificati amplius non peccent, quia non sunt sub dominio peccati.

Digitized by Google

12. Per figuram præoccupationis respondet obiectioni, vt in paraphrasi. Sed notandum, eam obiectionem secundum opinionem aliquorum inde oriri, quia dixerat prius, eos iam non esse sub lege, sed sub gratia, quasi inde inferret aliquis; si ergo legem non habemus, peccare poterimus iam liberè, quia nihil impedit. Ego tamen existimo inde oriri non potuisse obiectionem. Primo quia si in eo sensu dixisset Paulus, iam non esse eos sub lege, quia cessauit lex, non bene inferretur inde, ergo liberum erit iam peccare; sed potius, ergo iam liberum erit facere sine peccato, quidquid volumus, quia vbi non est lex, nec peccatum, aut præuaricatio esse potest, iuxta eundem Apostolum suprà cap. 4. tum etiam, quia Paulus non dixit eos non esse sub lege Moysis, quia iam cessauerit, quasi intelligeret solum de ceremoniali, sed intellexit de lege tota etiam morali, quæ non cessauerat: cum igitur adhuc ipsi legem haberent, contra quam peccare possent, dixit eos non esse sub lege, hoc est, non habere solam literam legis, quæ non præstat virtutem ad sui obseruationem, vt suprà sæpius dictum est, sed habere simul gratiæ adiutorium. Obiectio ergo illa inde oriri non potuit, quia dixerat Paulus, eos non esse sub sola litera legis, quæ iustificare non poterat, nec adiuuare ad sui obseruationem, sed ex eo, quod dixerat eos esse sub gratia, quasi diceret: si gratiæ adiutorium nobis offertur, & ad iustificationem, & ad obseruandam legem, interim liberum erit nobis peccare, vt libuerit.

13. Hæc est repetitio frequens in scriptura, dum dicitur. *Nescitis, quoniam cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis.* Simile est Psalm. 86. *Cuius participatio eius, &c.* & Isai. 9. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.*

14. Totum illud suppletur, quod est in eo numero: id enim ex sententia Pauli facile colligitur.

15. Extenuat rem, quam petit, vt eos ad studium virtutis exhortetur. Vel, vt alii volunt, humanum dicit, cum eos appellauit seruos iustitiæ, crasſius loquens more humano, nempe eos appellans seruos iustitiæ, quos antea seruos peccati dixit.

16. Quod dicit, *iniquitati in iniquitatem,* idem est, quod nos diximus, omni generi peccatorum.

17. Conclusio illa subintellecta est, quæ ex præcedentibus facile colligitur.

18. Addit nouam rationem ex fructu peccati, & iustitiæ.

19. Illud *habituri sitis*, de futuro additum est. Postquam enim Paulus ostendit fructum, quem ex peccato hactenus habuerunt, esse solam erubescentiam, subiungit, finem futurum esse mortem, vt ostendat eis non solum hactenus non habuisse bonum aliquem fructum, sed neq;

capi legem à Paulo in hoc capite. Primum pro iure potestatis in aliquem, deinde pro lege præcepti. Contendit itaq; iustificatos per spiritum fidei, non esse amplius sub iure seruitutis peccati, & ita seruire debere Deo: quando autem legem vsurpet pro iure seruitutis, & dominij, quando verò pro præcepto, in progressu Paraphrasis videbimus. Cæterum in fine capitis vtriusque meminit, legis scilicet membrorum, quæ dicitur lex in priori sensu; & legis mentis, quæ dicitur lex posteriori modo.

CAPVT VII.

1 AN ignoratis fratres (scientibus enim legẽ loquor) quia lex in homine dominatur, quan-
2 to tempore viuit? nam quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege vi-
3 ri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri: vt non sit adultera si fuerit cum alio viro.
4 Itaq; fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi: vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificetis Deo.
5 Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem

PARAPHRASIS eiusdem capitis.

OPtimè quidem nostis (scientibus enim, quidnam sit lex, loquor) ius seruitutis, aut potestatis tandiu alicuius hominis dominari, & eum sibi subiectum facere, vt alterius esse non possit, quandiu ipsum imperium 1 perseuerat. Vt in potestate matrimonij constat: viuente enim viro ita ius dominij in illo perseuerat, & mulier sub illius potestate est, vt alteri non possit corpus suum tradere, sed adultera sit, si alteri copiam sui fecerit. 2 Mortuo autem viro ipsius libera est à viri potestate, & ita manet sui iuris, vt non sit adultera, si alteri viro se in matrimonium tradat. 3 Perinde estis vos com-

gem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarēt mor-
6 ti. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate Spiritus, & non in vetustate literæ.
7 Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum nō cognoui, nisi per legem: Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces. Oc-
8 casione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatū mortuum
9 erat. Ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatū reuixit. Ego
10 autem mortuus sum: & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.
11 Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me,
12 & per illud occidit. Itaq; lex quidem sancta, & mandatum san-
13 ctum, & iustum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: vt fiat supra modum peccans pecca-
14 tum per mandatum. Scimus enim quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, vænundatus
15 sub peccato. Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod
16 odi malum, illud facio. Si autem quod

comparati cum potestate peccati; quia per corpus Christi, quod pro vobis oblatum est in cruce, mortui estis peccato, occidentes in vobis vitam peccati; ideoque & à potestate illius liberi estis, vt alterius esse possitis, scilicet Christi, 4 *qui resurrexit à mortuis, cuius resurrectionis vos similitudinem exprimitis in iustificatione vestra;* 5 *sitis, inquā, Christi, vt ita ei traditi fructum bonorum operum Deo offeratis per gratiam ipsius Christi.* 6 *Cum enim adhuc viueremus secundum carnalia desideria in peccato, vitiosi affectus, & passiones, quæ occasione præcepti erant incitamenta peccatorum, aliàs verò, si præceptum non esset, non fuissent peccati incentiuum, dominabantur in carne nostra, vt in consensum allicerent, & in opus vitiosum, cuius fructus est mors animæ, ad quam ex peccato rei, & obligati manemus, nunc autem postquam iustificati sumus, liberi sumus ab hac seruitute, & obligatione mortis, sub cuius potestate detinebamur, vt iam deinceps tradamur Christo, & ei seruiamus spiritu nouo gratiæ suæ,* 7 *& non sola vetusta litera legis, & notitia illius dicti.* 8 *Dicet quis, ex dictis colligi, legem præcepti malam esse, cum per illam passiones dominentur in nobis ad peccatum. Sed absit:* 9 *hoc enim absurdum est: præceptum enim bonum, iustum, & sanctum est, sed hoc tantum habet, quod notitiam præstat*

Digitized by Google

quod nolo, illud facio: consentio
17 legi, quoniam bona est. Nunc
autem iam non ego operor illud,
sed quod habitat in me pecca-
18 tum. Scio enim quia non habitat
in me, hoc est, in carne mea, bo-
num. Nam velle adiacet mihi:
perficere autem bonum, non in-
19 uenio. Non enim quod volo bo-
num, hoc facio: sed quod nolo
20 malum, hoc ago. Si autem quod
nolo, illud facio: iam non ego o-
peror illud, sed quod habitat in
21 me peccatum. Inuenio igitur le-
gem, volẽti mihi facere bonum,
quoniam mihi malum adiacet.
22 Condelector enim legi Dei se-
cundum interiorem hominem:
23 video autẽ aliam legem in mem-
bris meis, repugnãtem legi men-
tis meæ, & captiuantem me in le-
ge peccati, quæ est in membris
24 meis. (Infelix ego homo, quis me
liberabit de corpore mortis hu-
25 ius? Gratia Dei per Iesum Chri-
stum Dominum nostrum.) Igi-
tur ego ipse mente seruio legi
Dei, carne autem, legi peccati.

præstat peccati, quòd aliàs sine legis notitia ignoraretur: 10 *nisi enim lex esset, quæ dicit,* non concupisces, *ignoraret homo, concupiscentiam solum esse peccatum: lex ergo solum fuit occasio, vt ea existente* 11 *in homine concupiscentia, quæ aliàs non esset peccatum, aut quia non esset prohibita, aut quia non esset vt peccatum cognita, ad peccatum imputaretur, & hac ratione, non alia,* 12 *dixi passiones peccatorum, quæ per legem erant, operari in membris nostris* 13 *absq; lege enim, aut legis notitia fomes peccati vim non habet. Imò verò* 14 *cum quis est sine lege, peccati conscientiam non habet, & licitum sibi putat, quod prohibitum lege non cognoscit, atque ita sine lege vitam habet, & longè distat à morte peccati.* 15 *Posito autem præcepto fomes peccati vim habet, vt ad culpam, & ad illicitas concupiscentias inducat, atque homo, qui sine lege aliàs esset liber à morte peccati, mortem peccati incurrit. Quare & præceptum, quod ex se ad hoc est, vt hominem ad vitam virtutis dirigat, est mortis occasio ex naturæ imbecillitate.* 16 *Nam peccati fomes præcepto posito seducit hominem, & occidit, ad consensum contra præceptum inducens. Est itaque præceptum sanctum, iustum, & bonum, si inspicias id, quod præcipit, & ad quod institutum est. Sed dices, si bonum est præceptum, quomodo est homini lethale? sanè ipsum præceptum lethale non est, nec mortem animæ affert: sed peccati fomes posito bono præcepto, & ipsa naturæ imbecillitas causa mortis spiritualis est;* 17 *& occasione præcepti apparet optimè praua fomitis inclinatio, & naturæ imbecillitas,* 18 *vniuersaque illius malitia, & venenum* 19 *manifestatur.* 20 *Satis enim notum est legem sanctam, & spiritualem, & secundum rationem*

esse; 21 vnumquenque autem nostrum secundum veterem hominem, & inferiorem ipsius partem procliuem esse ad concupiscendum, quæ carnis sunt, contraria rationi, & sub tyrannide peccati, tanquam emptitium seruum constitutum: nam 22 quod quis secundum partem inferiorem 23 appetit, mentis intelligentia non iudicat conueniens. Non enim bonum, quod secundum rationem desiderat, & iudicat conueniens, reprimere scilicet motus carnis, caro operatur; sed malum, quod mens abominatur, scilicet carnis concupiscentiam, illud caro operatur, illicita desiderando. Quod si in illicitas concupiscentias caro prorumpit, quod ratio nollet, & odio habet, profecto homo sequitur in hoc regulam præcepti, & legis impositæ (quæ bona, & spiritualis est) secundum superiorem partem. 24 Tunc autem non dicitur homo illam concupiscentiam operari, sed fomes peccati, qui in ipso est, quod peccatum dixerim, quia in homine, hoc est, in parte inferiori hominis, nulla est prorsus ad bonum inclinatio: nam secundum partem superiorem in promptu esse solet homini velle, & desiderare, quod bonum est, reprimere nempe prauos carnis, & partis inferioris motus; id tamen opere exequi non semper potest: 25 non enim quod bene desiderat secundum rationem homo, scilicet nihil inordinatè concupiscere, secundum inferiorem partem facit; sed in malam concupiscentiam, quam secundum rationem reprimere vellet, prorumpit secundum carnem: quod si ita est, iam illud homo non dicitur operari, sed qui est in eo peccati fomes. 26 Sic ergo homo experiritur legem repugnantem sibi cupienti facere bonum; hæc autem est inclinatio carnis, quæ lex fomitis dicitur: hanc verò legem experitur homo ex mala, & praua inclinatione, quæ ei inhæret: condelectatur enim, & consentit legi Dei, quæ sancta est, & bona, secundum superiorem partem, nempe rationem: sed carne sua, & parte inferiori experitur legem aliam, & regulam contrariam legi bonæ, & spirituali, cui mens consentit, sub qua lege membrorum, quæ lex peccati dicitur, est quasi seruus emptitius. O hominem infelicem! 27 quis eum liberabit secundum superiorem partem, ne etiam seruus fiat secundum illam, consentiendo legi huius corporis ita ad peccatum procliuis? Gratia Dei, quam ex meritis Christi nobis præparauit Deus. 28 Hac igitur gratia homo idem mente sua, & superiori parte seruit legi Dei, quamuis carne, & parte inferiori sequatur legem, & normam peccati in motibus, quos ratio reprimere non potest, sicut vellet.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

1. Quidam interpretantur illud: *Quanto tempore viuit*, vt intelligatur de homine, qui quandiu viuit, obligatur lege: sic Augustin. lib. 83. quæstion. 66. & Theodoretus, & suadetur hoc ex eo, quod infra explicans hanc doctrinam Paulus inquit: *Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi*; vt inde inferat, eos non esse sub lege. Huic expositioni obstat primò, quod Paulus non vteretur bene similitudine vxoris, quam inquit esse sub lege viri, quamdiu viuit vir, & lex viri, seu potestas illius: ideoque Augustinus contendit, non per omnia similitudinem esse obseruandam, quod tamen mihi non placet, cum rectè possit tota similitudo applicari. Deinde obstat, quia Paulus ad hoc ostendit eos non esse sub lege, vt iam sint alterius, scilicet Christi, & hoc per bona opera, vt etiam monebat capite præcedenti. Sic autem potius essent sub legis obseruantia, sicut vxor quamdiu obedit marito, sub illius iure est. Alij exponunt illud; *quanto tempore viuit*, de lege, id est, quanto tempore lex viuit. Sic Origenes; & quamuis Chrysost. & Theophylact. mihi videantur cum Augustino consentire, tamen postea hanc expositionem videntur sequi. Hæc expositio mihi placet, sed non ita, vt per legem hic intelligamus, sicut ipsi intelligunt, legem veterem ceremoniarum, sed potestatem, & subiectionem peccati, quam appellat legem membrorum, vt planè constat ex contextu. Tum etiam quia, vt supra notaui, non fit mentio in hac epistola ad Romanos legis Mosaicæ ceremoniarum: imo in hoc capite Paulus loquitur de lege morali, quando loquitur de lege vt præceptum est, vt ostendi 1. 2. quæst. 109. art. 4. quomodo verò non obstet id, quod pro Augustino adducebatur, infra videbimus num. 3.

2. Hic omisi aliqua verba Pauli, quia eadem repetit.

3. Idem est mortificatos esse peccato, quod, vitam peccati, vel peccatum in seipsis destruxisse, aut in ipsis mortuum esse peccatum, & cum illo potestatem, & tyrannidem eius cessasse. Quare comparatio viri, & fœminæ optimè seruatur per omnia hoc modo, vt peccatum viro comparetur: viuente enim peccato homo est seruus illius, & sub potestate eius, vt alterius esse non possit, nisi per gratiam liberetur destructo peccato, sicut viuente viro, vxor est sub potestate ipsius; & homo, qui est sub lege, & potestate peccati, comparetur vxori, quæ est sub viro. Solum differentia est, quod lex matrimonij perit mortuo viro, & superstite vxore, lex autem seu potestas peccati perit mortuo peccato, & quodammodo mortuo ipso homine, qui vxori comparatur, quia peccatum viuebat in homine, maritus autem in seipso. Et ideo Paulus pro eodem accepit mortuos esse peccato, aut peccatū, & potestatem illius mortuam esse, quia idem est omnino. Quocirca fundamentum senten-

sententiæ Augustini infirmum est. Hactenus autem nomine legis Paulus intelligit potestatem, & ius supra aliquem.

4 Facit mentionem resurrectionis, quam imitari debemus per vitam nouam, quia prosequitur semper id, quod superiori capite proposuerat.

5. Similitudine vtitur mulieris, quæ sub viro fructificat filiorum generatione.

6. Mutat personam, sed eandem prosequitur sententiam, & ostendit, quomodo potestas peccati in nos ante iustificationem ius, & dominium habebat. Et sicut mulier viro mortuo alteri potest tradere se, sic nos liberi sumus, vt Christo tradamur, post iustificationem.

7. Appellat vetustatem literæ non legem veterem Moysis, quasi illa iam esset abrogata, & Deo non esset in illa amplius seruiendum, quia ad rem non attinet hîc minister legis veteris, quod ad ceremonialia spectat, cum nunquam Paulus tractet in hac epistola de abrogatione ceremonialium præceptorum. Appellat ergo totam legem etiam moralem, vetustam literam, quia nihil amplius habet, quam ostendere quid est faciendum, vel scriptura, vel verbo. Deinde appellat vetustam, non quia iam sit antiquata, cum moralia præcepta manserint, sed propter legis imbecillitatem, & impotentiam: sicut gratiam appellat nouum spiritum, non quia sit noua in tempore, cum ab Adamo etiam fuerit, & sit antiquior lege Moysis, sed propter vigorem illius, qui nunquam deficit.

8 Illa obiectio tantum occasionem habuit ex illo, quod dixerat in hoc capite num. 6. quia hactenus in hoc capite non fecit mentionem legis præcepti, sed legis in alio sensu, vt explicaui.

9. Totum illud suppleri debet, quod insinuat illa aduersatiua, *sed peccatum non cognoui*, &c. Hæc enim denotat, legem non esse malam, sed hoc tantum habere, vt notitiam solum præstet peccati, & rectè operandi.

10. Non loquitur de quacunque concupiscentia, sed de illicita, vt vxoris, vel rei alienæ; neque dicit non alio modo hanc potuisse esse notam, nisi per legem, quia per dictamen rationis etiam cognosci potuit, hoc esse peccatum, sed ideo quia lex scripta attulit notitiam peccati, quod aliàs à multis non existimaretur peccatum, id autem dicit in propria persona, non quia ita esset, sed ea phrasi ostendit id, quod multis contingeret.

11. Dicit *in me* eadem phrasi, & quod de se dicit, de alio quouis intelligit.

12. Idem dixerat num 6. hoc autem nunc dicit his verbis. *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*

tum. Hoc est, occasione ex præcepto accepta, peccatum, quod est fomes peccati, causa fuit concupiscentiæ illicitæ.

13. Peccatum mortuum idem est, quod fomitem peccati sine vi esse, vt inducat ad peccatum, quia sine præcepto non est illicita concupiscentia.

14. Illa particula *autem*, cum dicit, *ego autem*, est aduersatiua non continuatiua, & in persona sua ostendit id, quod in vnoquoque contingit. Cùm verò, inquit, *viuebam sine lege*, non est idem, quod esse sine lege, sed vitam habere sine lege, est non incurrere mortem peccati: sine lege enim peccatum non est, & ita nec mors peccati. Quare illud non dicit, quia ipse aliquando vitam mortalem duxerit sine lege: & per legem non intelligit legem Moysis, sed quancunque, cum hactenus semper de lege morali quacunque prohibente loquutus sit.

15. Cum loquitur de præterito, nō denotat fuisse prius tempus aliquod, in quo nullum peccatum vim haberet, & deinde venisse tempus legis, in quo peccatum incœperit; sed idem est, ac si de præsenti diceret, vt ostendat, quomodo si lex non esset, nec peccatum esse posset, aut culpa. Cum autem ponitur lex, aut ea quomodocunque supposita, iam incipit vim habere fomes peccati, vt ad culpam inducat: hoc autem dicit ad ostendendum vim legis, & quo pacto sit occasio peccati, & per illam dicantur passiones operari. Idem dixerat num. 6. viuere autem sine lege non est tantum non sentire molestiam illius, sed non incurrere mortem peccati, quia sine lege peccatum non est, vnde nec mors spiritualis animæ. Hac solum ratione dicitur 2. ad Corinth. 3. promulgatio legis ministratio mortis, quia lex est occasio mortis transgressoribus, cum tamen ipsa, quod attinet ad id, quod præcipit, bona sit, vt Paulus in hoc capite dicit. Prædicatio verò Euangelij appellatur ibi à Paulo ministratio spiritus, quia ipse prædicabat, fidem Christi necessariam ad implendam legem, quæ est spiritus adiuuans, vt infra cap. 10. *hoc est verbum fidei, quod prædicamus vobis*. Et sicut promulgatio legis dicitur ministratio mortis, sic dicitur 1. ad Cor. 15. Virtus peccati, hoc est, potentia peccati, lex. Sicut, & in hoc cap. nu. 14. peccatum, quod mortuum erat sine lege, dicitur per legem reuixisse.

16. Per peccatum intelligit fomitem peccati.

17. Ibi ponitur particula *vt*, quæ hic non significat finalem causam, cum ad id non fuerit propositum præceptum; sed significat euentum, vt sæpe alibi in scriptura.

18. Idem notandum, quod superiori numero.

19. *Peccatum*, id est, fomitem peccati, *supra modum peccare*, quod est, supra

Digitized by Google

ostendat contingere interdum, vt gratia Dei homo seruiat Dei legi, quam bonam, & sanctam esse dixit, corruptione verò carnis, sequatur regulam peccati, id est, prauæ inclinationis, & ita resumit id, quod initio proposuerat, nempe iustificatos non esse amplius sub potestate fomitis per gratiam Christi, vt ita seruiant Deo, sicut proposuerat etiam superiori capite.

ARGVMENTVM
CAPITIS VIII.

PRosequitur illud, quod proposuerat cap. 7. iustificatos scilicet per gratiam Christi, & consequenter liberatos à lege, & seruitute peccati, debere iam potius Deo seruire, quam iterum ad peccatum labi, vt in hoc ipsius Christi exprimant figuram, vt dixerat 6. capite.

CAPVT VIII.

1 NIhil ergo nunc damnationis
est iis, qui sunt in Christo
Iesu, qui non secundum carnem
2 ambulant. Lex enim spiritus vi-
tæ in Christo Iesu liberauit me à
3 lege peccati, & mortis. Nam quod
impossibile erat legi, in quo infir-
mabatur per carnem: Deus Fi-
lium suum mittens in similitu-
dinem carnis peccati, & de pec-
cato damnauit peccatum in car-
4 ne, vt iustificatio legis implere-
tur in nobis, qui non secundum
carnem ambulamus, sed secun-
dum

PARAPHRASIS
eiusdem capitis.

QVi 1 Ergo iam per Christum iustificati sunt, & eiusdem gratia non consentiunt prauis motibus exterioris hominis, & corporis obnoxij peccatis, non sunt sub potestate, & tyrannide peccati damnati: 2 Lex enim, id est, præceptum spirituale, & bonum, & consequenter vitæ; per Christi gratiam liberauit eos à 3 potestate, & iure seruitutis, peccati, & mortis. 4 Nam quod impossibile erat præcepto etiam sancto, & bono, quatenus illud ex se

 secun-

5 dum Spiritum. Qui enim secun-
dum carnẽ sunt: quæ carnis sunt
sapiunt: qui verò secundum Spi-
ritũ sunt: quæ sunt Spiritus sen-
6 tiunt. Nã prudentia carnis, mors
7 est: prudentia autem Spiritus, vi-
ta, & pax, quoniam sapientia car-
nis, inimica est Deo: legi enim
Dei non est subiecta; nec enim
8 potest. Qui autem in carne sunt,
9 Deo placere nõ possunt. Vos au-
tem in carne non estis, sed in Spi-
ritu: si tamen Spiritus Dei habi-
tat in vobis. Si quis autem Spiri-
tum Christi non habet, hic non
10 est eius. Si autem Christus in vo-
bis est; corpus quidem mortuum
est propter peccatum, spiritus ve-
rò viuit propter iustificationem.
11 Quòd si Spiritus eius, qui suscita-
uit Iesum à mortuis, habitat in
vobis: qui suscitauit Iesum Chri-
stum à mortuis, viuificabit, &
mortalia corpora vestra, propter
12 inhabitantem Spiritum eius in
vobis. Ergo fratres, debitores su-
mus non carni, vt secundum car-
13 nem viuamus. Si enim secundum
carnem vixeritis, moriemini: si
autem spiritu, facta carnis morti-
14 ficaueritis, viuetis. Quicunque
enim spiritu Dei aguntur, ij sunt
15 filij Dei. Non enim accepistis
spiritum seruitutis iterum in ti-
more, sed accepistis Spiritum a-
doptionis filiorum, in quo cla-
16 mamus, Abba; (Pater.) Ipse enim
Spiritus testimonium reddit Spi-
ritui

*secundum literam solam infirmum,
& imbecille est ratione infirmitatis
carnis, & naturæ nostræ, quæ nisi
adiuuetur, in ipsum præceptum, tan-
quam in scandalum impingit. Hoc er-
go, quod impossibile erat præcepto,
liberare scilicet nos à iure, & serui-
tute peccati,* 5 *fecit Deus mittendo
Filium suum in similitudinem homi-
nis peccatoris,* 6 *& ita per eum,
qui pro nobis peccatum, hoc est, ob-
latio pro peccato factus est,* 7 *vi-
cit fomitem in carne sua, vt ita lex,
& præceptum sanctum à nobis ple-
nè obseruaretur per auxilium gratiæ
ipsius:* 8 *& ita obseruatione legis,
& præceptorum omnium iustifica-
tionem, quæ in ipsius legis obserua-
tione esse dicitur, & quam lex sola
præstare non poterat, consequere-
mur non secundum desideria carnis;
sed secundum spiritum gratiæ Dei vi-
uentis.* 9 *Qui enim carnales sunt,
cogitant, quæ carnis sunt, & iis affi-
ciuntur: qui verò sequuntur spiritum
gratiæ, cogitant & sequũtur ea, quæ
sunt spiritui, & menti renouatæ per
gratiam consentanea:* 10 *& illa
carnis cogitatio, & affectus mortem
affert: spiritualium autem rerum
prudentia vita est, & pax. Est enim
illa carnis sapientia inimica Deo, legi
enim Dei non obedit:* 11 *ac proin-
de, qui acquiescunt carnalibus desi-
deriis, Deo non possunt placere; vos
autem non acquiescitis carni; sed spi-
ritui gratiæ,* 12 *Ideoque dixi vos,
qui*

ritui nostro, quòd sumus Filij
17 Dei. Si autem filij, & hæredes, hæ-
redes quidem Dei, cohæredes au-
tem Christi: si tamen compati-
18 mur, vt & conglorificemur. Exi-
stimo enim, quòd non sunt con-
dignæ passiones huius temporis,
ad futuram gloriam quæ reuela
19 bitur in nobis. Nam expectatio
creaturæ, reuelationem filiorum
20 Dei expectat. Vanitati enim cre-
atura subiecta est, non volens, sed
propter eum qui subiecit eam in
21 spe: quia & ipsa creatura libera-
bitur à seruitute corruptionis, in
libertatem gloriæ filiorum Dei.
22 Scimus enim, quòd omnis crea-
tura ingemiscit, & parturit vsque
23 adhuc: non solum autem illa, sed
& nos ipsi primitias Spiritus ha-
bentes, & ipsi intra nos gemimus
adoptionem filiorum Dei expe-
ctantes redemptionem corporis
24 nostri. Spe enim salui facti sumus.
Spes autem, quæ videtur, non est
spes: nam quod videt quis, quid
25 sperat? Si autem quod non vide-
mus, speramus: per patientiam
26 expectamus. Similiter autem &
Spiritus adiuuat infirmitatẽ no-
stram: nam quid oremus sicut o-
portet, nescimus: sed ipse Spiri-
tus postulat pro nobis gemitibus
27 inenarrabilibus. Qui autem scru-
tatur corda, scit quid desideret
Spiritus: quia secundum Deum
28 postulat pro sanctis. Scimus au-
tem quoniam diligẽtibus Deum,
omnia

qui secundum spiritum viuitis, consequutos esse iustificationem; 13 si tamen spiritus gratiæ in vobis fixit sedem suam, & non tantum ad tempus in vobis fuit. Qui enim non retinet Christi spiritum, & gratiam, ad ipsum Christum non pertinet: si autem Christus in vobis per suam gratiam est, efficitur, corpus vestrum mortuum esse peccato, vt iam amplius in ipso non regnet peccati imperium: spiritus verò mentis vestræ viuit vita iustificationis. 14 Quod si spiritus gratiæ Dei, qui Christum à mortuis suscitauit, in vobis permanet; idem, qui Christum suscitauit à morte corporali suscitabit etiam corpora vestra ad incorruptionem vitæ per ipsummet gratiæ spiritum, qui in vobis est. 15 Constat igitur nos, qui iustificati sumus à morte peccati, & quorum corpus mortuum est peccato, 16 debitores esse non corpori, vt secundum illius desideria viuamus, 17 sed spiritui, quo viuificati sumus. 18 Si enim desideria carnis secuti fuerimus, moriemur æterna damnatione: si autem spiritu gratiæ motus carnis represserimus, viuemus vita æterna, iam non morituri, & Christi resurrectionis figuram in nobis exprimentes: 19 qui enim tali spiritu Dei aguntur ad desideria carnis reprimenda, ij sunt verè Filij Dei. Dixi vos esse filios Dei gratia ipsius, & amore, non autem seruos: nam serui sunt, qui legis solum habent præ-

omnia cooperantur in bonum,
iis qui secundum propositum vo-
29 cati sunt sancti. Nam quos præ-
sciuit, & prædestinauit confor-
mes fieri imaginis Filii sui, vt sit
ipse primogenitus in multis fra-
30 tribus. Quos autem prædestina-
uit, hos & vocauit: & quos voca-
uit, hos & iustificauit: quos autem
iustificauit, illos & glorificauit.
31 Quid ergo dicemus ad hæc? Si
Deus pro nobis, quis contra nos?
32 Qui etiam proprio filio suo non
pepercit, sed pro nobis omnibus
tradidit illum: quomodo non et-
iam cum illo omnia nobis dona-
33 bit? Quis accusabit aduersus ele-
ctos Dei? Deus, qui iustificat:
34 quis est qui cōdemnet? Christus
Iesus, qui mortuus est, imo qui &
resurrexit, qui & est ad dexteram
Dei, qui etiam interpellat pro no-
35 bis. Quis ergo nos separabit à
charitate Christi? Tribulatio? an
angustia? an fames? an nuditas? an
periculum? an persecutio? an gla-
36 dius? (sicut scriptum est: Quia
propter te mortificamur tota
die: æstimati sumus sicut oues oc-
37 cisionis.) Sed in his omnibus su-
peramus propter eum qui dile-
38 xit nos. Certus sum enim quia
neque mors, neq; vita, neque an-
geli, neq; principatus, neque vir-
tutes, neq; instantia, neq; futura,
neq; fortitudo, neq; altitudo, ne-
39 que profundum, neque creatura
alia poterit nos separare à chari-
tate

ceptum, & timorem; quem vos, quos filios dixi, non ita accepistis 20 nunc per Dei gratiam, sicut olim Patres vestri, cum legem receperunt, 21 cuius litera solum pœnam proponebat, quæ seruorum est, non tamen tribuebat vires, & spiritum gratiæ; sed accepistis spiritum gratiæ, qui est proprius Filiorum Dei, & per quem Deum ipsum Patrē vocamus, & tanquam à Patre ab eo postulamus quidquid nobis necessarium est. 22 Ipse enim spiritus gratiæ animo iustorum tribuit, vnde testari possent se esse Filios Dei, nempe inuocationem illam filiorum, qua ipsum Deum vocamus, Abba, hoc est, Patrem: testari, inquam, possint se esse Filios Dei, ac proinde heredes non cuiusuis alterius rei, quam ipsiusmet Dei; 23 coheredes verò cum ipsomet Christo fratre nostro, 24 si eodem cum Christo spiritu forti animo molestias præsentis vitæ toleremus. Sic enim coheredes cum ipso erimus propter spiritum adoptionis, quem iustificati à Deo recipimus. 25 Aliàs enim existimo non esse condignas passiones huius vitæ ad futuram gloriam, cuius dixi nos esse heredes, nisi eodem spiritu cum ipso patiamur. 26 Porrò autem nos esse glorificandos cum Christo, quando reuelabitur nos esse filios Dei, ipsæ adhuc insensibiles creaturæ solicitè expectare videntur. Est enim toto hoc tempore, quousque fiat illa Filiorum Dei manifestatio, crea-
tura

Digitized by Google

tate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. *tura irrationalis corruptioni subiecta, & mutationi: vt interim homini in hac vita mortali degenti seruire possit, contra suam tamen naturalem inclinationem propter solam Dei voluntatem, qui ita illam mutationi subiecit, cum spe tamen suæ liberationis.* 27. *Siquidem ipsa etiam creatura liberanda est ab hac mutationis subiectione in imitationem etiam filiorum Dei. Scimus enim quicunque bene instituti sumus, totam hanc rerum machinam in modum parturientis dolere sub pondere seruitutis, in qua hominis causa seruire cogitur: sed etiam nos ipsi sentientes præsentis vitæ miseriam, & mortalitatis pondus vna cum reliqua creatura, & si spiritus primitias, & abundantiam habeamus, desideramus possidere ius, quod nunc habemus* 28 *adoptione filiorum Dei expectantes simul liberationem huius corporis nostri à seruitute corruptionis. Nos enim quantumuis magni appareamus, tantum spe salui, & iustificati sumus; non autem rei ipsius, hoc est, beatitudinis adoptione.* 29 *Res autem ipsa dum iam in manibus præstò est, amplius sperari non dicitur: cùm spes tantum sit futuri; quod enim quis* 30 *possidet, quid amplius sperare potest? Quod si ea natura est eius, quod speratur, vt non dicatur sperari, nisi id quod nondum possidemus: sequitur, vt interim dum differtur, æquanimiter toleremus mala præsentis vitæ, & per hanc ad immortalitatem perueniamus. Ideoque nos ipsi ingemiscimus redemptionem nostram expectantes,* 31 *& quemadmodum nos recipientes spiritum filiorum Dei clamamus, & inuocamus Deum Patrem: ita similiter ipse spiritus gratiæ adiuuat nos, & opitulatur in nostris gemitibus, & orationibus, sine quo nihil possemus; cum sine illo non solum nobis non possimus esse præsidio; sed nec postulare sciamus; sed ipse spiritus gratiæ pro nobis intercedit gemitibus inenarrabilibus corrigens nostras petitiones, dum eatenus tantum nos petere aliquid facit, quatenus ad Dei gloriam, & nostram salutem conducit. Deus autem, qui scrutatur corda, optimè nouit desiderium nostrum, & orationem ex spiritu gratiæ.* 32 *Nouit quoq; hoc desiderium esse secundum voluntatem ipsius, cui etiam placet nostra solutio à corpore mortali.* 33 *Et ideo non est dolendum, si interim cum Deus differt, aduersis opprimamur:* 34 *scimus autem diligentibus Deum, qui secundum prædestitionis propositum gratiæ congrua sua vocatione vocati sunt, & iustificati, omnia, etiam tribulationes, cooperari in bonum.* 35 *Quia quos præsciuit futuros sibi amicos dono gratiæ suæ, etiam eos prædestinauit conformes fieri per tribulationes, & labores filio suo, tanquam primogenito, & prædestinatorum omnium capiti. Quos autem ita prædestinauit sua æterna ordinatione in tem-*

Digitized by Google

in tempore vocauit, iustificauit, & tandem 36 *magnificauit, & gloriosos effecit in hac vita per multas tribulationes, vt aßimilarentur ita filio suo. Omnia ergo in bonum cooperantur electis, & ideo dolendum non est, si dum differtur præmium, interim aduersa patiamur.* 37 *Cum ergo tanta sit cura Dei erga nos, vt æterna sua prædestinatione omnia nobis cooperentur in bonum, quid adhuc in tribulatione positi dicere poßumus conuenientius esse, nisi patienter expectare, nec confidentiam amittere? Si Deus est pro nobis prædestinando, vocando, & iustificando, quis contra nos consurgere potest, qui nostram salutem, & spem impedire queat? Et si Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum, quomodo non* 38 *donabit nobis omnia reliqua ad salutem necessaria, & ad nostram spem consequendam? Quis audebit crimina intentare, & opponere aduersus electos Dei? Cum eos iustificet Deus à peccatis, quis erit, qui condemnationis sententiam proferat? Cum Christus Deus pro illis mortuus sit, & propter ipsos resurrexerit, & sedeat à dextris Dei interpellans pro nobis,* 39 *quis erit, qui condemnet?* 40 *Quid ergo, cum hæc omnia pro nobis sint, tam triste, & acerbum accidere potest, vt Dei* 41 *charitatem, qua per Christum diligit nos, impedire poßit? Tribulatio? an angustia? an fames?* 42 *nam & huiusmodi multa accident iustis, & Deo dilectis, sicut dicit scriptura Psalm.* 43 Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. *In his tamen, & aliis* 44 *victores facile euadimus gratia illius, qui dilexit nos. Siquidem & electis omnia hæc cooperantur in bonum ex amore, quo Deus eos prosequitur:* 45 *mihi enim persuasum hoc habeo,* 46 *neq; mortuos, neque viuentes, neque vllam angelicam potestatem, nec præsentia mala, nec futura,* 47 *neque fortitudinem aliquam, neque aliquid in cœlo sursum, neque in terra deorsum posse nos separare à charitate, qua Deus per Christum diligit nos.*

ANNOTATIONES.

1. Consequentia est ex illo præcedentis capit. *Quis me liberabit de corpore mortis huius, &c.* Et confirmat, quod dixerat initio illius capitis, lex in homine dominatur, quandiu viuit.

2. Appellat legem spiritualem, & vitæ præceptum illud, quod supra dixerat bonum esse, & sanctum, & de hac lege præcepti, non inquit simpliciter liberasse nos à lege, hoc est, à seruitute peccati, & fomitis, cum potius dixerit supra capite præcedenti, ipsam esse occasionem, vt contra nos peccatum vim habeat: sed dixit hanc spiritualem legem præcepti liberasse nos in Christo, id est, per gratiam Christi adhæren-

tes.

tes huic præcepto nos fuisse liberatos à seruitute peccati, sine qua nihilominus, cum præcepto ipso essemus sub potestate peccati. Illo autem modo loquendi, scilicet *(in Christo)* significari adiutorium Christi ostendi 1. 2. quæst. 114. art. 4.

3. Lex eo loco significat non præceptum, sed ius, & potestatem, vt sæpe in superiori capite.

4. Reddit rationem, quare non dixerit absolute homines liberatos esse per legem bonam à seruitute peccati, sed addit in Christo Iesu.

5. Illud *fecit*, suppleri debet, quia aliàs sensus manet eclipticus, & sic constat verus sensus, quem Paulus contendit.

6. Cum dicit *de peccato, &c.* præpositio *de*, causaliter accipitur, & significat idem, quod *per*, aut *propter*, sicut Ioann. 10. *De bono opere non lapidamus te*, id est, propter bonum opus, &c. vox autem *peccato*, cum inquit *de peccato damnauit peccatum* accipitur figurate: oblatio enim pro peccato dicitur in veteri testamento peccatum: Sic etiam Christus hic dictus est peccatum. Et 2. ad Corinth. 5. *Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* id est, hostiam pro peccato fecit eum Deus, vt exponit August. in Enchirid. cap. 41.

7. *Vicit peccatum in carne* idem est, quod habitans in nobis peccatum, de quo cap. 7. dicit autem *Vicit*, quia contra illud vires subministrat ad legem obseruandam: quare non est hic sermo de victoria contra peccatum iam commissum.

8. Obseruationem legis appellat iustificationem, sicut cap. 2. *Factores legis iustificabuntur.* Et ad Galat. 3. *Qui fecerit ea, viuet in illis*, vt explicui 1. 2. quæst. 114 art. 5.

9. Sequentibus reddit rationem, quare dixerit ambulantes secundum spiritum, non secundum carnem, consequutos esse iustificationem per Christum.

10. Non est cur illa causalis, quæ ibi ponitur, iterum repetatur: est enim eadem causa eius, quod dixerat, quam notaui num. 9.

11. Illa particula *autem*, quæ est continuationis nota, ibi habet vim quasi illationis.

12. Illud debet suppleri, vt intelligatur ad quid adduxit rationem illam num. 9.

13. Hoc dicit ad terrorem aliquorum imperfectorum.

14. Est eadem doctrina, quam dixerat cap. 6. exhortans, vt semel mortui peccato resurgant in nouitate vitæ spiritualis iam non mortui, quod hactenus semper prosequutus fuerat.

15. Prosequitur colligens idem ex superioribus.

16. Cum aliis seipsum etiam coniungit.

17. Illud suppleri debet vsq; ad nu. 18. vt sensus perfectus sit.

18. Reddit rationem, & ostendit fructum eius, quod dixerat esse vitam æternam etiam mortali corpori communicandam.

19. Reddit rationem, quare dixerit nos victuros æterna vita cum Christo, si facta carnis mortificauerimus: ratio verò est, quia, qui hæc agunt sunt filij, ac proinde heredes, &c.

20. Illa particula *iterum*, significat nunc, dicit autem *iterum* respectu temporis, quo populus Iudæorum accepit legem in timore.

21. Lex ipsa ex se tantum proponebat pœnam, quam timorem appellat Paulus: neque verò suggerebat interius bonum timorem, quo interdum homines mouentur à Deo ad bene operandum: quod enim posita pœna per legem, homo timore sancto, & bono moueatur ad bene operandum, & seruandam legem, non legis est, sed gratiæ Dei. Præterea Paulus non negat populum Iudæorum præter legis literam, & timorem, habuisse interiorem spiritum gratiæ per Christum; sed ostendit, quid habuerint ex sola virtute legis exterius sonantis. Cùm verò ait, *non enim accepistis*, particula *enim*, non reddit causam eius, quod proximè præcesit, vt constat, quia sic vix cohæreret contextus: sed eius, quod antea dixerat num. 11. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*, & quod sæpe dixerat, eos esse filios Dei.

22. Expositio, quam sequuti sumus, Græcorum est, nam in Græco textu sic legitur, αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, hoc est, testatur simul cum spiritu nostro, & à Latino nostro textu non est aliena. Nam reddere testimonium spiritui nostro, idem significare potest, nempe tribuere spiritui nostro id, quo testari posit, nos esse filios Dei, nempe inuocationem illam, qua inuocamus Deum Abba, id est, Patrem, quod non est seruorum; sed filiorum: dixerat enim antea, non accepisse eos spiritum in timore, quod est seruorum, sed spiritum filiorum: per spiritum autem intelligit non tertiam personam Trinitatis: sed spiritum gratiæ, vt late 1. 2. quæstione 112. articulo vltimo ostendi. Quod si cum Latinis hoc intelligamus de notitia, quam accepimus à spiritu gratiæ de nostra iustificatione; non debet intelligi esse cum certitudine illa infallibili, quam hæretici, & aliqui catholici putant se habere, quod sint in gratia; sed per testimonium intelligi debet vita sancta, & boni motus, quos homo iustus in se experitur, ex quibus coniectura quadam probabili, quæ tamen non pellat omnem formidinem, credat se esse iustificatum, & in gratia.

23. Dicimur coheredes Christo, vel quia simul cum Christo regnabimus videntes Deum, sicut ipse videt: vel quia gratiæ ipsius cooperatores sumus, & ita coheredes.

24. Dicit, *si tamen compatimur*, quasi conditionem adiiciens, vt hereditatem consequamur: quia si necessarium est in hac vita pati, vt fidem

dem, & præcepta Christi teneamus, forti animo tolerare debemus. & ita patiemur, non quomodocunque, sed cum Christo, quod est compati, id est, eodem spiritu cum ipso pati, vt cum eo heredes simus.

25. Alij exponunt, ita vt dicantur tribulationes huius vitæ non condignæ æternæ vitæ, quia in se minus habent molestiæ, quàm illa gaudii, iuxta illud 1. Cor. 4. *Quod momentaneum est, & leue, &c.* Sed quamuis pulchra sit expositio, contextui non quadrat: quia illa causalis *enim* non videtur cuius reddat causam, si hanc expositionem sequamur.

26. Hæc causa non est eius, quod immediatè præcesserat, *non sunt condigna passiones, &c.* vt aliàs sæpe in Paulo contingit, sed illius, quod dixerat paulò antea, nos esse heredes: & per figuram Prosopopeiam sensum tribuit creaturis insensibilibus, vt explicant Græci cum Chrysostomo.

27. Hic reddit causam illius, quod dixit, *subiecit eam in spe.*

28. Adoptionem, hoc loco intelligit Augustin. lib. 3 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. ipsam resurrectionis immortalitatem, quam appellat ibi secundam adoptionem Filiorum Dei. Sed melius, vt in paraphrasi, cum enim dicitur, *expectantes adoptionem*, non intelligitur ipsa adoptio, sed quod adoptione nobis promissum est, & ideo addidit, *redemptionem corporis nostri*, quasi diceret, quę adoptione nobis promissa est, & in illa continetur. Et ideo per figuram synechdochen appellauit adoptionem, contentum nomine continentis.

29. *Spes*, hoc loco idem est, quod res, quam quis sperat, sicut etiam 1. Pet. 1. *regeneratis in spem viuam*, hoc est, in vitam, quam speramus.

30. Posuit Paulus verbum, *videt*, quia visio Dei, quam speramus, est ipsa possessio boni, quod speramus, quare idem est videre, & possidere.

31. Illud *similiter* melius applicatur ad id, quod dixerat; *in quo clamamus Abba Pater*, quam ad proximè præcedentia, sed ego non intelligerem ea, quæ hic dicit, de Spiritu Sancto, quæ est tertia persona, sed de dono gratiæ ipsius, quem inquit pro nobis postulare, quia gratia adiuti clamamus, *Abba Pater*, & orationes nostras fundimus, vt oportet. Vnde Arriani malè hinc volunt colligere, Spiritum Sanctum esse creaturam, quæ intercedat pro nobis, quibus respondens Augustinus in epistola 121. inquit illud *postulat*, ita accipiendum, non quod ipse Spiritus Sanctus postulet, sed quòd faciat nos postulare, quæ phrasis in scriptura satis frequens est; & accepit Augustinus Spiritum S. pro tertia persona Trinitatis, sic etiam Nazianzenus oratione 36. num. 54. sed non est opus in has nos coniicere angustias. Nam Spiritus gratiæ, quem dixit supra nos accepisse, optimè dicitur postulare, & intercedere, & in

K 2 Græco

Græco non eſt poſtulare, ſed ἐντυγχάνει quod eſt intercedere, & hoc modo non habet locum Auguſtini expoſitio, quia Spiritus Sanctus non facit nos intercedere, nec ipſe intercedit.
32. Illa, quæ ſequuntur, ſupplet Theophylactus, & planior ita redditur ſenſus.
33. Illud quod in litera dicitur, *quia ſecundum Deum poſtulat*, explicari non debet cauſaliter, quia illa particula *quia*, ſignificat, *quod*, vt frequenter in ſcriptura, & commodius explicatur hoc modo: aliàs difficile explicaretur, cum non videatur cuius ſit cauſa, niſi ſequamur aliam expoſitionem hoc modo, Deus autem ſcit, id eſt, probat deſiderium noſtrum, quia videt ſecundum Deum nos poſtulare. Sed me iudice illud *ſcit* melius explicatur de ſola notitia, quam de approbatione, ſic autem non video, quomodo melius explicari poſsit.
34. Quamuis particula *autem*, ſit continuatiua, hic habet quaſi vim cauſalis, reddit enim cauſam illius, quod num 32. ſuppletum eſt, & maximè congruit contextui.
35. Optimam reddit rationem, vt ex contextu conſtat, quomodo omnia cooperentur in bonum etiam tribulationes, ex eo quod iuſti prædeſtinati ſunt, vt ſimiles ſint Filio Dei in laboribus, & tribulationibus.
36. Aliqui interpretantur de gloria alterius vitæ. Alij de augmento ſanctitatis in præſenti, quod fit per bona opera, & tribulationes: quorum expoſitio magis congruit contextui; præſertim cum emendata vulgata legat *magnificauit*.
37. Illis verbis, *quid ergo dicemus ad hæc?* loquitur ad eos, qui in hac vita patiuntur, vt patienter tolerent, & ita id, quod cœperat, proſequitur.
38. Ambroſius legit *donabit*, de futuro, & Græca exemplaria. Si verò legamus in præterito *donauit*, vt habent omnia ferè Latina, tunc accipiendum eſt ſecundum æternam Dei prædeſtinationem, vt in illa donatio facta intelligatur.
39 Illud *quis condemnabit?* iterum eſt repetendum, vt magis contextus congruat. Quomodo autem Chriſtus interpellet modo in cœlo, oſtendimus 3. part. diſp. 82.
40. Concluſio ex præcedentibus, ex quibus colligit, quod propoſuerat gloriandum eſſe in tribulationibus, & patienter expectandam promiſsionem, & ſpem.
41. Quidam accipiunt hic illud, *charitatem Chriſti*, erga nos, alij pro ea, qua nos Deum diligimus: & vtroque modo aptari poteſt ſenſus, placet tamen ſenſus paraphraſis, vt rectè reſpondeat contextui: dixerat enim prius: *Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat, quis eſt, qui condemnet?*

42. Illud

42. Illud *nihil quidem* suppletur, quod continet interrogatio illa.

43. In Græco est verbum ὑπερνικῶμεν, quod significat superuincere, aut facile vincere. Sic legit Augustin. de Gratia, & libero arbitrio cap. 7.

44. Hic reddit rationem, quare dixerit num. 40. Quis nos poterit separare, &c.

45. Illud, *neque mors, neque vita*, significat, neque mortuos, neque viuos, iuxta illud Iob 28. *perditio, & mors dixerunt*, hoc est, perditi, & mortui dixerunt. Aliqui ita explicant, neque mortis conminatio, neque vita à tyrannis promissa poterunt nos separare à charitate, &c. sed referunt hoc ad charitatem nostri erga Deum: nos tamen iuxta alium sensum, quem sequuti sumus de charitate Dei erga nos, alio modo interpretati sumus.

46. Illud *neque fortitudo*, non est in Græco, & non habet aliud, cui respondeat, & in aliquibus codicibus vulgatis non habetur.

ARGVMENTVM
CAPITIS IX.

CVM Multa videretur dixisse Paulus cum iniuria Iudæorum, quæ reuera non ita dicta erant: & in hoc capite tractaturus esset de reprobatione eorum, & prædestinatione Gentilis populi, prosequens idem quod proposuerat, scilicet, iustificationis gratiam, esse per fidei spiritum, non per legis notitiam, incipit hoc caput, ostendens se nō ex maleuolentia ea dixisse, quæ hactenus scripsit, aut dicturum ea, quæ sequuntur de eorum reprobatione, & de prædestinatione Gentiliū, iuramento affirmans quam bene affectus sit erga gen-

tem Iudaeorum. Deinde veritatem prosequitur huius reprobationis, & praedestinationis.

Capvt IV.

1 VEritatem dico in Christo Ie-
su, non mentior, testimoniū
mihi perhibente conscientia mea
2 in Spiritu sancto; quoniam tristi-
tia mihi magna est, & continuus
3 dolor cordi meo. Optabam enim
ego ipse anathema esse à Christo
pro fratribus meis, qui sunt co-
4 gnati mei secundum carnem, qui
sunt Israelitae, quorum adoptio
est filiorum, & gloria, & testamen-
tum, & legislatio, & obsequium,
5 & promissa; quorum Patres, & ex
quib. est Christus secundum car-
nem, qui est super omnia Deus
6 benedictus in secula. Amen. Non
autem, quod exciderit verbum
Dei. Non enim omnes qui ex Is-
rael sunt, ij sunt Israelitae: Ne-
7 que qui semen sunt Abrahae, o-
mnes filij: Sed in Isaac vocabi-
8 tur tibi semen: id est, non qui
filij sunt carnis, hi filij Dei: sed
qui filij sunt promissionis, aesti-
9 mantur in semine. Promissionis
enim verbum hoc est; secun-
dum hoc tempus veniam; & e-
10 rit Sarae filius. Non solum autem
illa: sed & Rebecca ex vno con-
cubitu habens, Isaac Patris nostri.
11 Cum enim nondum nati fuis-
sent, aut aliquid boni egissent, aut
mali, (vt secundum electionem
propo-

PARAPHRASIS eiusdem capitis.

VEritatem dico, & non mentior, testis est mihi Christus, & conscientia mea Spiritu sancto suggerente, quod mihi sit tristitia magna, & continuus dolor, 1 qui cor meum pro Iudaeis corrodit, quod deiecti sint à gratia Dei. 2 Hoc enim, & ipse affectus naturalis, quo gentem meam diligebam, antequam ad Christum conuersus essem, manifestè ostendit. Tunc enim ita eam ardenter amabam: vt optarem separari omninò à Christo pro fratribus meis Iudaeis, & cognatis secundum naturalem prosapiam, quos olim Christus adoptauit in filios ex promissione Patribus facta, pro quibus mirabilia fecit, ob quae & ipsi gloriosi sunt in orbe, & quibus testamentum, seu hereditas filiorum, tanquam singulare beneficium data fuit, & lex à Deo constituta, & religiosus cultus, & ceremoniae, factae etiam promissiones; ex quorum semine Christus, secundum carnem nasci voluit, qui est super omnia Deus benedictus in saecula, Amen. 3 Dolore ergo afficior pro fratribus meis, cum eos videam à facie Domini eiectos, & reprobos filiationem amisisse; non tamen tristor, quod existimem promis-
siones

12 propositum Dei maneret.) Non
ex operibus, sed ex vocante di-
13 ctum est ei: quia maior seruiet
minori, sicut scriptum est; Iacob
14 dilexi, Esau aũt odio habui. Quid
ergo dicemus? Nunquid iniqui-
15 tas apud Deũ? Absit. Moysi enim
dicit: Miserebor, cuius misereor:
& misericordiam præstabo, cuius
16 miserebor. Igitur non volentis,
neq; currentis, sed miserentis est
17 Dei. Dicit enim Scriptura Pha-
raoni: Quia in hoc ipsum excita-
ui te, vt ostendam in te virtutem
meam: & vt annuntietur nomen
18 meum in vniuersa terra. Ergo cu-
ius vult miseretur, & quem vult
19 indurat. Dicis itaq; mihi: Quid
adhuc quæritur? voluntati enim
20 eius quis resistit? O homo, tu quis
es, qui respõdeas Deo? Nunquid
dicit figmentum ei, qui se finxit:
21 Quid me fecisti sic? An non ha-
bet potestatem figulus luti, ex ea-
dem massa facere aliud quidem
vas in honorem, aliud verò in
22 contumeliam? Quòd si Deus vo-
lens ostendere iram, & notam fa-
cere potentiam suam, sustinuit in
multa patientia, vasa iræ, aptata in
23 interitum, vt ostenderet diuitias
gloriæ suæ in vasa misericordiæ,
24 quæ præparauit in gloriam. Quos
& vocauit nos non solùm ex Iu-
dæis, sed etiã ex Gentibus, sicut in
25 Osee dicit: Vocabo non plebem
meam, plebem meam: & non di-
lectam, dilectam: & non miseri-
cor-

*siones Dei irritas fuisse, quas promi-
sit Deus Abrahæ, & semini eius; quia
non omnes, qui ex Israele Patre nostro
sunt progeniti secundum carnem, ij
sunt Israelitæ veri secundum sensum
scripturæ, quibus Deus promisit: sicut*
4 *enim neq; omnes, qui sunt ex semi-
ne Abrahæ secundum carnem censen-
tur filij Abrahæ secundum sensum
scripturarum: & promissionis diui-
næ. Ideoque Genesis vigesimo primo:
non posteritas Ismaelis; sed solius
Isaac dicitur à Domino posteritas A-
brahæ: ita* 5 *etiam non omnes sunt
filij Dei, & adoptione eius potiri cen-
sendi sunt, quicunque secundum car-
nem sunt ex populo Israel; sed ad
quos pertinet promissio spiritualis
Abrahæ, & Israelis, ij sunt Filij Dei,
&* 6 *computantur inter Filios ve-
ros Israel: Sicut* 7 *enim Isaac fuit
natus supernaturali virtute ex Dei
promissione, quando* Genesis 18. *
Deus promisit dicens, secundum
hoc tempus veniam, & erit Saræ
filius; sic verum semen Abrahæ eo-
rum est, quos gratia, vel virtus pro-
missionis diuinæ regenerauit per fi-
dem. Non* 8 *solùm autem promis-
sio facta Saræ ostendit nobis ve-
ros filios esse, qui promissionis, &
gratiæ sunt participes; sed & Re-
becca eiusdem rei nobis exhibet ex-
emplum in eo, quod accidit, cum gra-
uida esset, & haberet in vtero duos
filios ex eodem Patre, & coitu se-
minatos; videlicet filios Dei, &
veros*

cordiam consecutam, misericor-
26 diam consecutam. Et erit in lo-
co, vbi dictum est eis: non plebs
mea vos: ibi vocabuntur filij Dei
27 viui. Isaias autẽ clamat pro Israel.
Si fuerit numerus filiorum Israel
tanquam arena maris, reliquiæ
28 saluæ fient. Verbum enim con-
summans, & abbreuians in æqui-
tate: quia verbum breuiatum fa-
29 ciet Dominus super terram: Et
sicut prædixit Isaias: nisi Domi-
nus Sabbaoth reliquisset nobis
semen, sicut Sodoma facti esse-
mus, & sicut Gomorrha similes
30 fuissemus. Quid ergo dicemus?
quod gentes quæ non sectaban-
tur iustitiam, appræhenderunt
iustitiam, iustitiam autem, quæ
31 ex fide est: Israel verò sectando
legẽ iustitiæ, in legem iustitiæ nõ
32 peruenit. Quare? Quia non ex
fide, sed quasi ex operibus: Of-
fenderunt enim in lapidem of-
33 fensionis, sicut scriptum est: ec-
ce pono in Sion lapidem offen-
sionis, & petram scandali: & o-
mnis qui credit in eum, non con-
fundetur.

vtros Israelitas æstimandos esse, non ex propagatione naturæ, sed gratia adoptionis ex diuina 9 electione: cũ enim duo illi filij nondum nati essent, nec aliquid boni, aut mali egissent, vt secundum electionem gratuitam, quæ non sit intuitu operum, propositum gratiæ, & liberalitatis Dei effectum haberet, non propter merita ipsorum, sed ex gratuita vocatione, quæ ex solo Deo est, dictum est Genes. 15. quia maior seruiet minori, sicut Malachiæ 1. scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: hoc est, Iacob decreui dare terram fertilem, Esau autem reieci ad aspera saxa. 11 Ex quibus constat non satis esse, vt computetur aliquis inter filios Israel natum esse, secundum carnalem generationem: cum Esau natus fuerit ex eodem patre, & matre, imo ex eodem semine cum Iacob: & tamen electus fuerit à Deo in hæreditatem Israel, & terram pinguem. Esau autem eiectus in terram illam sterilem, & saxosam: & filij Esau, qui maior erat, serui fuerint filiorum, & populi Iacob. Sic ergo non mirum, si non omnes ex Iacob descendẽtes sint verè Israelitæ, participes promissionis spiritualis, quam fecit Dominus illi populo, adoptans illum in filium, etiam si omnes sint ex illo populo secundum carnalem generationem; sed illi tantùm, qui nullis ipsorum præcedentibus meritis ad gratiam electi sunt, vt promissionis Abrahæ, & Iacob per fidem participes fiant, quam Deus quibusdam concessit; alijs verò, non pro vt ipsi placuit, nullo inter ipsos existente discrimine ex ipsorum arbitrio, & operibus. Quid ergo dicemus: Nunquid iniquus est Deus, qui ita vnum elegit ad gratiam suam, alium vero ab ea exclusit, pro vt ipsi placuit, nulla habita bonorum, aut malorum operum ratione? Absit, vt Deum iniustum dicamus.

Nam

Namcum Moyses Exod. 33. transeuntem Dominum ante ipsum deprecaretur
pro delicto populi sui, vt illis parceret. 12. Respondit, miserebor cuius
misereor, & misericordiam præstabo cuius miserebor. Ac si diceret,
miserebor cui placuerit mihi misereri; sic enim liberum est mihi, cum nulli
hoc debeam, sed opus sit liberalitatis, & misericordiæ meæ. Ex quo 13.
etiam fit vt misericordiam à Deo consequi, non sit volentis, & currentis ho-
minis, nec opus illius, sed solum Dei miserentis: dicit 14 enim scriptura etiã
Exod. 9. cum Dominus ad Pharaonem loqueretur per Moysem, vsque ad-
huc excitaui te, non tantùm permittendo, sed multa tum intus, tum foris
operando: cum viderem te per occasionem magis rebellem meis inspirationi-
bus, & prodigijs futurum: & inde manifestandam potentiam meam, &
magnificandum nomen meum in vniuersa terra. 15 Constat ergo Deo libe-
rum esse misereri, cuius voluerit, & quem voluerit à sua gratia eijcere, &
occasiones offerre, etiamsi sciat deteriorem futurum. 16 Fateri ergo debes
mihi, & dicere frustra hominem de Deo queri, aut illi iniustitiam aliquam
tribuere, cum ita sit Deo liberum facere, quod voluerit, vt nulla lex, nulla
ratio, aut obligatio ei possit 17. obsistere, quo minus faciat; quod volue-
rit. 18 Imo verò dicere debes contra quemcumque, qui de Deo queritur.
19 O homo tu quis es qui ita 20 disceptare audes cũ Deo? neq; enim fictile
vas disceptare iure potest, cũ figulo, & dicere, cur me fecisti hoc, vel illo modo,
& non vt ego vellem? Cum figulus habeat potestatem, neque vlla obligatio-
ne obstrictus sit facere ex eadem temperatura aliquod vas in vsus honestos,
aliud verò ad inhonestos. Minus ergo homo conqueri de Deo potest; quod
ipsius non sit misertus, sicut alterius, cum Deo hoc planè liberum sit, sicut fi-
gulo hoc, vel illo modo vas effingere. 21 Quod si impios tolerauit imman-
suetudine, 22 vt ostenderet exuberantem suam misericordiam erga electos,
quos in gloriam præparauit, vnde factum est, vt ostenderet iustitiam suam,
& potentiam in ipsos impios, quos tolerauit; 23 quis eum poterit culpare?
aut quid inde habet homo, vt disceptare propter hoc audeat cum Deo? 24
Dico autem vasa misericordiæ nos, quos vocauit; 25 non solum ex Iudæis,
sed etiam ex Gentibus: ex Gentibus quidem sicut dicit scriptura Oseæ primo:
Vocabo non plebem meam, &c. hoc est Gentes. quas hactenus non co-
gnoui pro plebe mea propter cultum idolorum, agnoscam pro plebe mea, &c.
Ex Iudæis vero sicut dixit Isaiæ 10. capite, etiam si fuerit numerus filiorum
Israel maximus, ex illis tamen reliquiæ, 26 hoc est paucissimi salui fient.
27 Sermonem enim, & sententiam, quam prædixit de ijs, quos saluaturus
erat ex Israel, opere 28 complebit, & perficiet. & illam restringet iusto, &
æquo iudicio, paucos tantum seruans ex illis: quia sententiam concisam, &

L bre-

breuem Deus faciet in terra: & sicut scripsit etiam 29 *Isai. 1. cap.* Nisi Dominus Sabbaoth, &c. *ac si diceret: nisi Dominus paucos ex nobis elegisset, fuissemus sicut populus Sodomæ, & Gomorrhæ omnes consumpti: hoc est parum abfuit, quo minus omnes essemus sicut Sodomorum, & Gomorrhæorum Gentes omnino reprobi, & eiecti à facie Domini. Quid ergo ex his, quæ dicta sunt, consequitur? hoc certe, quod Gentes, quæ non erant deditæ iustitiæ, & studio virtutum, consequutæ sunt iustitiam, ad fidem tamen conuersæ, & vocatæ; Israeliticus verò populus putans se sectari legem, in cuius obseruatione vera iustitia est apud Deum, id non fuit re ipsa assequutus. Quare? quia non ex spiritu fidei conatus est illam obseruare; (ex quo solùm obseruari verè potest) sed sola opera, & industria arbitrij, & adiutorio ipsius scripturæ exteriùs sonantis. Eos verò ex fide non contendisse sequi iustitiam patet: quia intuentes Christi humilitatem noluerunt ipsum agnoscere, vt promissum Meßiam, sed eum reiecerunt, & ita fuit illis scandalum, & veluti lapis offensionis,* 30 *sicut scriptum est: ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis, qui credit in eum non* 31 *confundetur, sed consequitur iustitiam, & salutem.*

ANNOTATIONES.

1. Illud, quod additum est, debet suppleri, vt congruant, quæ sequuntur; ad illud enim, vt diximus in argumento capitis, spectat iuramentum illud.

2. Varias expositiones huius loci adduxi 1. part. quæst. 24. art. 3. & hanc magis probaui. Ostendit ergo Paulus quanto prosequatur amore Iudæos, desiderans eorum salutem ex affectu, quo ipsos, & eorum legem semper prosequutus est.

3. Repetendum est, quod supra dixit, & supplendum totum vsque ad illud, *Non tamen contristor* propter hyperbaton, quod interposuit Paulus.

4. Quamuis Paulus non posuerit particulam causalem: tamen, quia reuera iuxta contextum contendit reddere rationem à simili per allegoriam eius, quod dixerat: ideo addidimus particulam *enim*, qua contextus commodè explicatur.

5. Particula, *id est*, quam habet Paulus interpretati sumus per *sic etiam*, quia illa est applicatio allegorica, vt ostendat, non vocari omnes filios Dei, qui secundum carnem sunt filij illius populi, quem sibi Dominus adoptauit, sed illos, ad quos promisio pertinet.

6. Æsti-

Digitized by Google

6. Æstimari in semine idem est, quod computari inter filios descendentes ex semine.

7. Hic probat, quod assumpserat num. 4. nempe non omnes esse veros Abrahæ filios, qui sunt ex semine illius, sed qui sunt promissionis participes. Est autem satis concisa oratio, quæ eo modo explicari debet, vt in paraphrasi.

8. Potuissent Iudæi dicere ad primum exemplum, non mirum Ismaelem fuisse reiectum, cum natus esset ex serua: propterea adhibet aliud, in quo proponit duos fratres ex eodem Patre, & eadem matre, imo ex eodem coitu seminatos.

9. Non transit hic Apostolus, vt recentiores aliqui falsò putant à gratia per Christum, quam hactenus commendauit, ad gratiam electionis, & prædestinationis, quam aliqui putant esse diuersam; quæ reuera diuersa non est, sed eadem: & vtraque per Christum, vt ostendi 1. par. disputat. 94. Nec tamen hic agit Paulus de prædestinatione Iacob ad gloriam, aut de electione ad gratiam, & de reprobatione Esau à gratia Dei; sed tantùm de electione Iacob ad hereditatem, & terram pinguem: & de eiectione Esau, qua priuatus est hereditate paterna, & eiectus ad terram saxosam, & asperam, & hoc appellat hic *odio habui*, de quo ad literam agit Malachias 1. cap. cuius testimonium hìc citatur à Paulo. Ob id tamen dicendum non est, in hoc capite Paulum non agere de prædestinatione, quæ ex nullis meritis est; sed de eiectione à gratia secundum permissionem, quæ etiam non est ex demeritis. Tota enim doctrina huius capitis eò spectat, vt ostendat plures ex populo Israel omnino esse exortes gratiæ, & promissionis Dei: & promissiones factas Abrahamo, & Israeli ad multos ex Gentilibus pertinere, sed non ideo esse irritas Dei promissiones: quia non omnes nati ex semine Israelis sunt verè Israelitæ, & verè filii Abrahæ; sed quibus Deus hanc gratiam donauit, vt per fidem imitarentur Abraham, & Iacob. Adducit autem similitudinem Iacob, & Esau, sicut adduxerat Isaac, & Ismaelis: vt ostendat non omnes, qui sunt ex Israel, esse veros Israelitas secundum spiritum, sicut non omnes, qui sunt nati secundum carnalem generationem ex ipso Abrahamo, & Isaac fuerunt heredes ipsorum, & censentur in ipsorum posteritate. Hunc locum fusiùs tractaui 1. part. disput. 95. cap. 8.

10. Augustin. lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2 illud, *Vt secundum propositum*, coniungit cum præcedentibus, vt sensus sit, cum nondum quidquam boni, aut mali egissent: vt ratione operum inter eos esse posset electio, cum inquam, nihil egissent, non ex operibus, &c. Putat autem hoc loco agere Paulum de electione solum inter distantes ex operibus, & negat vllam factam fuisse ex operibus arbitrij, sed ex operibus

gratiæ. Nam in ea quæstione non nouit Augustin. aliam electionem, nisi inter distantes, & ex operibus: & hanc negat ad gratiam, & concedit ad gloriam ex operibus gratiæ, vt fusè ostendi 1. par. disput. 89. & 3. part. tomo 1. disput. 23. mihi tamen placet sensus paraphrasis, vt in eisdem locis notaui, quam postea secutus est Augustinus in epist. 105. post medium, & 106. ante medium, & lib. 4. de correctione, & gratia, cap. 7. in medio; vbi concedit electionem inter æquales, & non præmisso examine, & iuxta hunc sensum illud, *Vt secundum propositum*, non ad antecedentia, sed ad sequentia referendum est, vt in paraphrasi. Quomodo autem per propositum non intelligatur voluntas efficax beandi homines ante præuisa merita, neq; voluntas efficax iustificandi homines ante præuisum consensum eorum, ostendimus in ea dispu. 89.

11. Totum illud quod addidi vsque ad illa verba, *Quid ergo dicemus?* debet suppleri: ad hoc enim probandum, quod supra proposuerat post numerum secundum, adducitur exemplum Ismaelis, & Isaac ex eodem patre: & exemplum Iacob, & Esau, ex eadem etiam matre, & semine: quæ tantum adducit Paulus, & non applicat, quia iam videbatur colligi conclusio, quam proposuerat, scilicet non omnes, qui sunt ex Israel esse veros Israelitas secundum sensum scripturarum, & ita satis confirmat non fuisse irritas promissiones Dei, quæ ad solos veros Israelitas intelliguntur factæ.

12. Phrasi illa Hebraica, *Miserebor cuius misereor*, quæ etiam apud Hispanos est frequentissima, significat id, quod dixi in paraphrasi.

13. Hunc locum latius explicaui ex mente August. 1. par. disp. 88. c. 8. in initio, secundum sensum, quem modo in paraphrasi sequutus sum: vt illa particula *sed* significet solius Dei opus esse, nempe ratione gratiæ præuenientis, quæ à solo Deo est. Colligit autem optime ex dictis Exod. 33. *Miserebor cuius misereor*, id est, cuius voluero: non enim dixit, miserebor volentis, aut currentis: sed cuius misereor, hoc est, cuius placuerit mihi misereri.

14. Iis verbis rationem reddit non eius, quod proxime dixerat: *Non est currentis, &c.* sed eius, quod antea dixerat, *(nunquid iniquitas est apud Deum)* & eius, quod nos ibi diximus num. 11. supplendum esse: nempe Deum ita misereri vnius, & alium reiicere; vt vnum admittat in hereditatem spiritualem Iacob, alium reiiciat. Probat autem num. 12. quomodo sine iniustitia vnius misereatur ex Scriptura veteri, vt ita ostendat liberũ esse Deo misereri, cui voluerit: nunc verò quomodo alterum reiiciat, sicut Pharaonem, confirmat ex eadem scriptura. Ex quo constat esse illi liberum facere, vt voluerit, & ita non esse iniustum: quia nullo modo adstrictus est. In hoc vero toto testimonio Exo-

Digitized by Google

Exodi causalis particula ὅτι, non significat causam, sed euentum. Et ita sumus interpretati,& colligitur ex doctrina tradita 1. par. disputat. 97. cap. 2.

15. Conclusio est præcedentium,ea vero est, non esse iniquitatem apud Deum,id quod proposuerat probandum. De duplici verò modo, quo Deus dicitur indurare,tractaui 1. part. disput. 95. cap. 10. cuius doctrinam sequutus sum in paraphrasi.

16. In textu dicitur hoc modo, *Dices itaq; mihi*, quæ verba communiter interpretantur Græci, & fere Latini, vt sint obiicientis contra ea, quæ dixerat Paulus. Quasi sensus sit, obiicies, si hęc ita sunt, quare Deus conqueritur de hominibus, quod in peccatis maneant, si ipse, quem vult, indurat? Et sane id videbatur sequi ex prædictis. Verum non esse obiicientis ex eo probatur, quia non videtur vllo modo congruè responderi ad eam obiectionem: si enim ad eam obiectionem aliquibus verbis respondet Paulus, maxime illis, *O homo tu, quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic?* His autem non videtur congruè respondere: si enim obiectio erat, vt Græci & ferè omnes interpretantur, quid queritur Deus, & vindictam sumit de peccatoribus, si voluntati eius nullus potest resistere, & ipse, quem vult indurat: certè non benè responderet Paulus dicens, *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* Cum statim adiiciat, *Nunquid dicit figmentum, &c.* ad id enim, quod obiectum est, nempe, *Cur queritur Deus?* nihil respondet illud, *Nunquid dicit figmentum?* potius dicere deberet, quare respondes sic, cum in cuiuscunque manu, & potestate sit, conuerti, & non obdurari, nec Deus obduret ita, vt non possimus, si velimus, respondere? Cur ergo dixisti: voluntati eius quis resistit? illud ergo, *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic?* non videtur congrua responsio propositæ obiectioni. Nam ille, qui Deo obiiceret, cur quereretur de hominibus, quod obdurati peccarent, fateretur etiam verum esse, vas non debere dicere contra figulum, *Quare me fecisti sic?* & ille, qui obiiceret eo modo, scilicet, cur adhuc queritur Deus? potius obiiceret, & merito, cur figulus queritur de vase facto in contumeliam, quare ita vile sit, & abiectum, cum ipse figulus ita ipsum fecerit, similiter ergo nec Deus. Quomodo ergo vice versa Paulus respondet? *Nunquid dicit figmentum, &c.* hoc enim non videtur ad rem, nec contra obiectionem factam: quia qui obiiceret Deo, cur quereretur de hominibus, non diceret, cur me fecisti sic? sed, quare tu de me quereris, cū me feceris sic? sicut figulus facit vas in contumeliam, & non queritur de eo. Mihi ergo videtur potius iis verbis respondere ad aliam quæstionem, scilicet, si homo quereretur, quare à Deo esset obduratus, vt ita sensus sit, quid adhuc homo queritur, quod obduretur, vel reprobetur à

Digitized by Google

Deo: ad hoc enim rectè respõderetur illis verbis, *o homo tu qui es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum, &c.* quem sensum insinuat Gagneius in hunc locum. Tunc autem illud, *Dices itaq; mihi,* non sunt verba obiicientis, vt satis constat, sed potius inferentis ex iis, quæ dicta sunt; nec enim sunt contra prędicta, nec contra veritatem, sed ad tollendam hominis impudentiam, qui posset obiicere, & conqueri, quare vnum obduraret, & alterius misereretur Deus? meritò ergo hanc expositionem sequuti sumus in paraphrasi. Et cum addit Paulus: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum? &c.* non sunt verba increpantis illum, qui diceret, *quid adhuc queritur,* sed continuantis eandem illationem, vt satis constat.

17. Quod dicit, *Voluntati eius, quis resistit?* non intelligitur solum per potentiam, sed per legem, & rationem, atque obligationem iusti, vt ita reddat rationem eius, quod dixerat: alias non rectè redditur ratio eius, scilicet fatendum esse hominem non posse queri de Deo: de eo enim, cuius potentiæ resisti non potest vi aliqua, rectè potest conqueri aliquis: non tamen de eo, cui ratione non potest resisti, sicut Deo, cuius voluntas est summa ratio. Quare non dixit rationi eius, sed voluntati eius. Nec sunt verba continuantis obiectionem, sed sunt ratio conclusionis præcedentis in numero 16. vt infra fusius ostendemus. Lege Sapient. 12. *Si perierint nationes, &c.*

18. Illa particula *imo vero*, omissa est in vulgata, habetur tamen in Græco particula Μενοῦνγε, quæ significat *quinimo*, vel *imo vero*, & quamuis sine illa constare posit sensus paraphrasis supplendo illud, *dices itaque*, id est, dicere debes, tamen cum illa melius fluit oratio.

19 Interrogatio illa tacitam habet causam, & probationem eius, quod dixerat, non posse hominem disceptare cum Deo.

20. In hoc loco, *respondeas*, quod in textu est, non est respondentis ad interrogata, sed accipitur pro eo, quod est dicere, quod sæpe fit in scriptura, vt Matth. 11. *in illo tempore respondens Iesus,* cum tamen nemini interroganti responderet. Dicitur ergo respondens, id est, loquens, quare dicere Deo in hoc loco, est Deo disceptando dicere: ipsa enim materia videtur esse disceptationis.

21. Hic omitto in paraphrasi illud: *Volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam*: quia cum videantur hæc verba significare causam finalem per se intentam à Deo, quæ reuera non fuit, accipienda sunt pro euentu ipso, vt notaui 1. parte, disp. 95 sæpe accipi in scriptura, & ideo melius infra ponentur in fine clausulæ totius.

22. Quomodo hunc finem habuerit Deus in permisione, & negauerit gratiam reprobis, non vt ipsos damnaret, ostendi late 1. part. disput. 95. cap. 9.

23. Illa

Digitized by Google

23. Illa verba addidimus textui, vt facilius constaret sensus Pauli: est enim concisa illa periodus, vt multæ aliæ in Paulo. Alii vero putant periodum totam compleri in illis sequentibus verbis: *Quid ergo dicemus?* & cetera omnia ab illis verbis, *Quos & vocauit, &c.* sed certè cum non bene respondeant illa verba: *Quid ergo dicemus?* melius est statim compleri clausulam additis illis, quæ addidimus in paraphrasi: similia addidit Augustin. lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. post medium nempe, *Tu quis es, qui respondeas Deo?* refertur autem ad id, quod præcesserat, *Quis adhuc queritur.*

24. Vt clarior fiat contextus, addidi illa verba: *Dico autem vasa misericordiæ,* repetens illud, *quos & vocauit.*

25. Illud *non solum*, non tantum significat ex vtrisque vocatos esse, & electos, sed multo plures ex Gentibus, vt colligitur ex testimonio Isai. citato infra: falsò tamen putant nonnulli in illo testimonio Isaiæ, non fieri mentionem vocationis Iudæorum: cum planè præpositio, *per*, id significet, quamuis in Græco sit ὑπὲρ, quæ etiam significat *de*, vtcumque tamen, cum dicitur, *Reliquiæ saluæ fient*, insinuatur eorum vocatio: sed quod dicitur *reliquiæ*, id est, pauci, ostendit paucos esse ex Iudæis.

26. Reliquiæ idem est quod paucissimi: sunt enim reliquiæ veluti cum colliguntur vuæ in vindemia, & pauci remanent racemi.

27. Græci, & Latini Patres intelligunt per, *Verbum consummans, & abbreuians,* vel mysterium Incarnationis, quo verbo abbreuiato in carne saluandi sunt, qui ex Gentibus, & Israel saluandi sunt. Alij verò verbum fidei, cuius spiritu, qui est sermo breuis comparatione legis Mosaicæ, quæ cum adeò longa esset, saluare non poterat, saluandi sunt, quotquot sunt electi. Quas expositiones ego tanquam Patrum reuereor, sed quam sequutus sum in paraphrasi satis videtur congruere textui Isaiæ, quem ante citauerat, & quem statim citat, in quo agitur de electione ex populo Israel, quæ paucorum futura est, & ideo dicitur Deus consummans, & abbreuians, vt in paraphrasi.

28. Vsus sum verbo futuri, quod in illis participiis, *Consummans, & abbreuians*, videtur includi, quasi dicat erit consummans & abbreuians. Illa verba num. 23. in Isaia secundum vulgatam aliter habentur, sed parua differentia est: Paulus illa citat iuxta Septuaginta.

29. Testimonium illud secundum historiam, sicut & præcedens, est de captiuitate Israel, in qua paucissimi ex decem tribubus redierunt. Sed iis vtitur testimoniis Apostolus transiens ad allegoriam, quam prosequitur de saluandis per fidem, quam debemus dicere figuratam esse in illa captiuitate, quæ fuit figura maioris captiuitatis.

30. Testimonium illud textum est ex duobus locis Isaiæ: initium enim, & finis habetur Isai. 28. vbi dicitur iis verbis: *Ecce ego mittam in fundamen-*

damentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum, qui crediderit non festinet. Alia vero verba intermedia, *offensionis*, & *petram scandali*, sumpta sunt ex capite 8. Illum ergo lapidem, quem Isai. cap. 28. dixit probatum, electum, & fundatum, & pretiosum in Sion, id est, in Ecclesia, nempe Christum Dominum probatum quidem, & electum credentibus in ipsum: eundem cap. 8. (vbi etiam de Christo loquitur, cum dixisset futurum in sanctificationem, qua ratione c. 28. dixit, *lapidem preciosum, &c.*) appellat lapidem offensionis, & petram scandali, & in laqueum, & in ruinam, sicut Lucæ 2. *Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem.* Paulus complexus est simul, quod Isaias vtroque capite dixit, sic etiam 1. Petri 2. dicitur. *Propter quod continet scriptura: ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum, & qui crediderit in eum, non confundetur.* Vbi vtrumque etiam locum Isaiæ Petrus complectitur: addit enim: *Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; & lapis offensionis, & petra scandali.*

31. In Isaia secundum vulgatam habetur: *qui credit, non festinet*, & est idem sensus, pro non *festinabit*, est enim signum confessionis, & verecundiæ, cum aliquis festinat fugere conspectum aliorum, & Hispanè dicimus, *correrse*, quod Latine rubore suffundi, transferunt *non confundetur*, quam lectionem sequitur Paulus, vide in annotationibus capitis sequentis num. 10.

ARGVMENTVM
CAPITIS X.

HOc toto capite probat id, quod postremo dixerat in ca. 9. nempe Iudæos non fuisse consequutos veram iustitiam, & sanctitatem, quia non conabantur legem explere ex fide, sed putabant ex suis viribus eam posse obseruare, cum tamen legis plenitudo, & facultas obseruandi eam sit ipse Christus: hoc est, ex fide proueniat.

CAP.

Caput X.

1 FRatres, voluntas quidem cor-
dis mei, & obseruatio ad De-
2 um, fit pro illis in salutem. Testi-
moniū enim perhibeo illis, quòd
æmulationem quidem Dei ha-
bent, sed non secundum scien-
3 tiam. Ignorantes enim iustitiam
Dei, & suam quærentes statuere,
iustitiæ Dei non sunt subiecti.
4 Finis enim legis, Christus ad iu-
5 stitiam omni credenti. Moyses e-
nim scripsit, quoniam iustitiam,
quæ ex lege est, qui fecerit homo,
6 viuet in ea. Quæ autem ex fide est
iustitia, sic dicit: Ne dixeris in cor-
de tuo, quis ascendet in cœlum?
7 Id est, Christum deducere. Aut
quis descendet in abyssum? hoc
est, Christum à mortuis reuocare.
8 Sed quid dicit scriptura? Propè
est verbum in ore tuo, & in corde
tuo: hoc est, verbum fidei, quod
9 prædicamus. Quia si confitearis
in ore tuo Dominum Iesum, & in
corde tuo credideris, quòd Deus
illum suscitauit à mortuis, saluus
10 eris. Corde enim creditur ad iu-
stitiam: ore autem confessio fit
11 ad salutem. Dicit enim Scriptura:
Omnis qui credit in illum, non
12 confundetur. Non enim est di-
stinctio Iudæi, & Græci: Nam
idem Dominus omnium, diues
13 in omnes qui inuocant illum. O-
mnis enim quicunq; inuocauerit
14 nomen Domini, saluus erit. Quo-
modo ergo inuocabunt eum, in
quem

Paraphrasis eiusdem capitis.

FRatres 1 ne putetis me odio Iudæorum hæc dixisse, siquidem cordis erga ipsos 2 affectu vehementer opto eorum salutem: nec tantum opto, sed etiam precor Deum, vt salutem consequantur, & iustitiam. 3 Ideo hæc me erga ipsos voluntas vrget me, vt eis dicam ipsos quidem conari magno studio placendi Deo; sed non secundum rationem iustitiam legis adipisci. 4 Ignorantes enim qua ratione iustitia, quæ apud Deum verè facit iustos, consequenda sit, scilicet, spiritu fidei, & ipsorum propria industria: hanc iustitiam, vt suam quærentes nō se præbent subiectos, & idoneos iustitiæ Dei. 5 Consummatio enim, & ipsa legis obseruatio est Christus: vt per fidem illius legem obseruantes iustitiā consequamur. 6 Quid ergo mirum, si Iudæi Christum non recipientes, nec spiritum fidei in ipsum habentes, conantes se statuere iustos industria sua, ex legis obseruatione, re vera legem non obseruent, & iustitiam Dei veram non consequantur? Habent ergo studium placendi Deo, & iustitiam consequendi, sed non secundum scientiam. 7 Moyses enim dixit Leuit. 18. talem esse iustitiam, quæ in obseruatione legis, & mandatorum est, vt qui ipsa obseruauerit, viuat vita spirituali, Sed hanc eandem non esse ex propriis viribus, sed ex spiritu fidei testatur idem Deut. 30. illis

quem non crediderunt? Aut
quomodo credent ei, quem non
15 audierunt? Quomodo autem au-
dient sine prædicante? Quomo-
do verò prædicabunt, nisi mit
tantur? sicut scriptum est: Quàm
speciosi pedes euangelizantium
pacem, euangelizantium bona!
16 Sed non omnes obediunt Euan-
gelio. Isaias enim dicit: Domine,
17 quis credidit auditui nostro? Er-
go fides ex auditu, auditus autem
18 per verbum Christi. Sed dico:
Nunquid non audierunt? Et qui-
dem in omnem terram exiuit so-
nus eorum, & in fines orbis terræ
19 verba eorum. Sed dico: Nun-
quid Israel non cognouit? Pri-
mus Moyses dicit: Ego ad æmu-
lationem vos adducam in non
gentem: in gentem insipientem,
20 in iram vos mittam. Isaias autem
audet, & dicit: Inuentus sum à
non quærentibus me: palam ap-
parui iis qui me non interroga-
21 bant. Ad Israel autem dicit: To-
tâ die expandi manus meas ad
populum non credentem, & con-
tradicentem mihi.

illis verbis: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum, vt faciat, quod lege præcipitur? *Si enim quis ita diceret, perinde esset, ac si vellet à cœlo Christum auocare: vt iterum in carne veniens iustitiam nobis afferret, quasi iam incarnatus semel non attulisset nobis gratiam, vt opere præstemus id, quod præcipitur. Et rursus ne dicas, inquit in corde tuo, quis descendet in abyssum, vt hanc iustitiam legis consequatur? hoc enim perinde est, ac Christum à mortuis reuocare, & segregare, hoc est, ex mortuorum numero Christum eximere, & ipsum mortuũ pro nobis negare. Qui enim non dubitat Christum esse mortuum, vt nobis gratiam mereretur, qua obseruaremus legem, non dicet, quis descendet in abyssum ad quærendam legis iustitiam? ne igitur fidelis ita dicat, cum etiam scriptura plane fateatur, facilem esse legis obseruationem, cum subdat Moyses eodem loco*: Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. *Hoc autem verbum, quod Moyses dixit prope esse in corde, & in ore, est spiritus fidei, quem ego vobis prædico, quo legis obseruandæ facultas vobis conceditur. Quia si quis confiteatur in ore suo fidei spiritu mysterium Incarnationis Christi, & non solum ore, sed etiam corde crediderit, salutem consequetur:* 8 *si hoc spiritu legem hanc, quam dixi prope esse, obseruauerit:* 9 *corde enim fides concepta, & ore protestata, ad iustitiam, & salutem consequendam per legis obseruationem valet.* 10 *Dicit enim Isai. 28.* Omnis, qui credit in ipsum, non confundetur. *Omnis dico, quia non est distinctio Iudæi, & Græci, quantum attinet ad negotium iustificationis ex fide. Omnis ergo, qui crediderit in eum*

non

non confundetur, siue Gentilis fuerit, siue Iudæus: Deus enim sicut est Do-
minus omnium, ita etiam diuitiis abundans, & copiose effundens dona sua in
omnes, qui inuocant ipsum sicut Ioel dixit: Omnis qui inuocauerit nomen
Domini, saluus erit. 11 Sed dicet aliquis, quo Deus in omnes, qui ipsum
inuocant, effundit dona sua, siue Iudæi sint, siue Gentiles? Nam Gentilis quo-
modo ipsum inuocare poterit, quem non cognouit, nec credidit? credere au-
tem non potest, nisi audiat: audire vero non potest, nisi quis illi prædicauerit,
nullus autem ei prædicare poterit, nisi ad id missus fuerit. 12 Sic enim dicit
Isai. 52. Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizan-
tium bona: & iterum, non omnes obediunt prædicationi credentes illi, id
quod dixit Isai. cap. 53. his verbis, Domine quis credidit 13 auditui no-
stro? id est, prædicationi nostræ: constat ergo fidem ortum habere ex 14 au-
ditu: auditum autem ex verbo, & prædicatione Christi. 15 Cum ergo Gen-
tes talem prædicationem hactenus non habuerint, vnde fidem habere potue-
runt, per quam Deum inuocarent, & saluæ fierent? 16 sed respondeo, nun-
quid dici potest, Gentes omnino non audisse, vt vnum Deum saltem agnoscen-
tes, ipsum possent inuocare? 17 Siquidem cæli enarrant, & prædicant glo-
riam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum, & in omnem ter-
ram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: habuerunt ergo
hanc cælorum prædicationem, & sonum, vnde Deum agnoscentes ipsum po-
tuerunt inuocare. 18 Sed nunquid Israel non nouit quod à me dictum est;
scilicet Gentes quæ prius non sectabantur iustitiam, deinde fuisse misericor-
dia Dei iustificatos; Israelem vero conando sectari iustitiam ex sola legis no-
titia, nunquam ad illam peruenisse? 19 Sane id non ignorauit, cum Moyses,
& Isaias planè ostenderint. 20 Moyses prius dixit in Deuter. 32. Ego ad
æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem,
in iram vos mittam. Quasi diceret: tantis beneficiis afficiam nationem il-
lam, quæ hactenus habita est pro Gente contemptissima, & ita pro non Gen-
te: vt felicitate, qua videbitis affluere Gentem illam, prouocandi sitis ad
iram, & inuidentiam. Postea autem Isaias cap. 65. 21 audacter etiam cum
periculo vitæ suæ dicit: Inuentus sum à non quærentibus me, palàm
apparui iis, qui me non interrogabant, hoc est, futurum erit, vt inueniar
palàm à Gentibus, quæ antea de me nihil cogitabant, nec quærebant fidem
meam, & religionem: 22 contra populum verò Israel conuertens sermo-
nem idem Propheta inquit postea eodem capite. Tota die expandi
manus meas ad populum non credentem, & con-
tradicentem mihi.

ANNO.

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

1. Repetit id, quod initio capitis 9. dixerat, vt ostendat se non ex odio, sed ex charitate contra Iudæos ea dixisse.

2. In Græco habetur εὐδοκία, vbi Latinè dicitur voluntas. Significat verò beneuolentiam, & propensam voluntatem.

3. Particula *enim* Græce est γὰρ, quæ causalis est, & significat aliquando non causam rei, sed cognitionis. In hoc loco vim habet tantum significandi causam cognitionis: causa enim testimonium perhibendi est voluntas, quam habet erga populum, non autem contrà: & hac de causa eo modo interpretati sumus.

4. Sequentibus reddit rationem illius, quod dixerat, *Non secundum rationem, &c.*

5. Quomodo nomine finis significetur hic consummatio, & complementum, vberius ostendi 1. 2. quæst. 109. art. 4.

6. Totum illud suppletur tanquam conclusio ex præcedentibus, cuius rationem postea reddit.

7. Hic applicat, quod dixit Moyses: *Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo*, in vtroque enim reperitur fidei verbum, quod necessarium est ad salutem.

8. Addidimus illa, quæ sequuntur, *Si hoc spiritu, &c.* quia hic non contendit Paulus sola fide sine operibus saluum fieri hominem, sed ostendere, quæ sit facultas, qua homo possit adimplere omnia ea, quæ lex præcipit, sicut etiam Moyses id ostendit illis verbis *prope est verbum in ore tuo, &c.* Facultas ergo est spiritus fidei in corde, & in ore.

9. Non debent accipi vt distincta, *ad iustitiam, & ad salutem*, sed idem prorsus significant, nec sola fides corde sufficiens ad salutem, nec sola protestatio oris, sed vtroque modo necessaria est, vt dixi. Licet interdum iustificari possit homo sola fide interiori, sine externa professione, tamen vt plurimum adulti non sine confessione iustificantur, cum ad Baptismum accedere debeant, in quo fidei confessio ore promenda est. Tum etiam dicitur necessaria fidei confessio ad salutem, hoc est, ad seruandam omnem legem, in cuius obseruatione iustitia nostra consistit: nam & ipsius confessionis fidei præceptum habemus, & quidem Paulus de iustitia, & salute, quæ est in obseruatione legis, in hoc capite loquebatur, vt patet ex num. 7. 8. & 9.

10. Locum Isai. 28. iam explicui supra cap. 9. nu. 30. & 31. Alii explicant sic eundem locum Isaiæ, qui credit, & sperat in ipsum non festinet, hoc est, sustineat in patientia & expectet. Sed Paulus planè accepit, pro *credere*, & illud *non festinet*, pro non confundetur: vt ostendat, quo pacto fructum fidei, qui est iustificatio, non consequatur confusio.

11. Alij

11. Alij alio modo connectunt hæc verba præcedentibus: sed mihi planior videtur hic sensus, vt sit obiectio contra id, quod proximè dixerat, *quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Intelligit verò, siue sit Gentilis, siue Iudæus.

12. His, & sequentibus verbis non probat, quod proxime dixerat, nullum scilicet posse prædicare, id enim clarum erat, sed probat illud, quod præcesserat, nullum credere posse, nisi audiat, & ei fuerit prædicatum: & semper auget dubitationem propositam num. 11. quia non videtur quomodo de Gentibus etiam intelligatur illud, *omnes qui inuocant nomen Domini.*

13. Auditus hic pro prædicatione, & ipsa voce, quæ est obiectum auditus, ponitur, vt etiam 1. ad Thessal. 2. verbum auditus Dei, est idem, quod prædicationis.

14. Auditus hoc loco non sumitur pro prædicatione, sed propria significatione pro cognitione sensus auditus, quam deinde transfert ad spiritualem auditum, vt infra videbimus.

15. Totum illud debet suppleri vsque ad numerum sequentem, vt continuetur dubitatio proposita.

16. Illud, *dico,* non est obiicientis, sed respondentis per interrogationem.

17. Locum illum ad literam adduci ab Apostolo de cœlis materialibus enarrantibus gloriam Dei probaui 1. part. disp. 97. cap. 5. hoc modo contextus optimè consonat. Quomodo autem si Gentes inuocarent nomen Domini, id non facerent sine gratia interius mouente, etiam eo loco probaui, & explicui.

18. Illud, quod habetur in eo numero, aliqui referunt ad id, quod proximè præcessit, vt sit sensus. Nunquid Israel non cognouit prædicandum esse Gentibus, vt crederent ex prædicationis auditu? Sed re vera hic sensus non quadrat testimoniis, quę citat Paulus in huius confirmationem: quia illis potius ostendit electionem Gentilici populi, & eiectionem Iudaici: quare melius refertur ad id, quod dixerat superiori capite in illis verbis, & sequentibus, *Quid ergo dicemus, quod Gentes, &c.* vt in paraphrasi dixi. Et ad hoc optimè inducuntur testimonia, quæ planè sunt de electione populi Gentilici, & reprobatione Iudaici: hactenus enim toto hoc capite solum probauit, quomodo Israel, quia offendit in Christum conando consequi iustitiam ex sola lege sine fide, non est eam consequutus. Modò ergo redit ad id, quod dixerat, Gentes scilicet præferendas esse, & Israel reiiciendum, quod prosequitur etiam 11. cap. & probat hoc Iudaico populo antea dictum fuisse, & Israelem id optime cognoscere potuisse. Illud *nouit,* non tam significat de facto nouisse, quam potuisse cognoscere.

Digitized by Google

19. Illa interrogatio affirmans habet implicitam hanc responsionem.

20. Illud testimonium est Deuter. 32. in Cantico Moysis, vbi secundum vulgatam legitur: *Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis, & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos. Non populus*, dicitur pro eo, quod Paulus allegat non Gentem, Gentilium scilicet nationem, quam ita appellauit, quia vilis adeò erat, vt non reputaretur inter Gentes, & homines. Illud autem *prouocabo*, vel *irritabo*, accipiendum est permissiue, & per occasionem: quia id quod Deus facturus erat, sciebat futurum esse occasionem iræ, & æmulationis.

21. Illud *audacter*, significat cum timore aliquo Iudæorum, dixisse illud Isaiam, quia erat in Iudæorum offensionem.

22. Illud *ad*, quod in textu habetur Græce est πρὸς, & significat *ad*, & *contra*, & in hoc loco videtur significare contra, quia contra Iudæos erat prophetia illa.

ARGVMENTVM
CAPITIS XI.

TEmperat id, quod videbatur dixisse de toto populo Iudæorum, nempe reprobatum, & eiectum fuisse à Deo, ostenditq́; non omnes fuisse à Deo exclusos, sed aliquos etiam; paucos tamen fuisse à Deo electos; non quia ex Israel erant; sed ex electione gratuita, & præscientia electos fuisse: vt ita Israel id, quod quærebat sua, & progenitorum suorum virtute consequi, non fuerit consequutus, sed id tantum, quod ei ex gratuita electione cõcessum est. Vltimo tandem ad Gentes conuertit sermonem, ne & ipsi extollantur,

Digitized by Google

lantur, sed soli Dei benignitati adscribant, quod electi fuerint in populum fidelem, qui nihilominus si in bonitate non permanserint, experientur iram Dei in se ipsos, sicut Iudæi.

Capvt XI.

1 Dico ergo: Nunquid Deus re-
pulit populum suum? Absit.
Nam & ego Israelita sum ex se-
mine Abraham, de tribu Benia-
2 min. Non repulit Deus plebem
suam, quam præsciuit. An nescitis
in Elia quid dicit scriptura? quē
admodum interpellat Deum ad-
3 uersum Israel? Domine, prophe-
tas tuos occiderunt, & altaria tua
suffoderunt: & ego relictus sum
solus, & quærunt animam meam.
4 Sed quid dicit illi diuinū respon-
sum? Reliqui mihi septem millia
virorum, qui non curuauerunt
5 genua ante Baal. Sic ergo & in hoc
tempore, reliquiæ secundum ele-
ctionem gratiæ saluæ factæ sunt.
6 Si autem gratia, iam non ex ope-
ribus: Alioquin gratia iam non
7 est gratia. Quid ergo? Quod quæ-
rebat Israel, hoc nō est consecu-
tus; electio autem cōsecuta est: ce-
teri verò excæcati sunt, sicut scri-
8 ptum est: dedit illis Deus spiritum
compunctionis: oculos, vt non
videant, & aures, vt non audiant
9 vsq; in hodiernum diem. Et Da-
uid dicit: fiat mensa eorum coram
ipsis in laqueum, & in captionem,
& in

PARAPHRASIS eiusdem capitis.

Qvid 1 *ergo ex præcedentibus sequitur? nunquid totum populum Israel à Deo reiectum fuisse? nequaquam. Ego enim Israelita sum, non proselytus, sed ex semine Abrahæ, & tribu Beniamin,* 2 *qui tamen à Deo non sum repulsus: non ergo Deus totum Israelem reprobauit.* 3 *Sed ne quis putet me vnum solùm è Gente Iudæorum non esse à Domino reiectum, addo etiam non repulisse Deum à suis promißionibus partem illam populi, etiam Iudaici, quam ipse prædestinauit: sicut enim 3. Regum 19. cum Elias ad Dominum orans diceret*: Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam: *hoc est, vt me occidant (arbitrabatur enim se solum mansisse, qui verum Dei cultum, & fidem retineret) respondit ei Dominus*: Reliqui mihi septem millia virorum, qui nō curuauerunt genua ante Baal: *sic etiam, & in hoc tempore præ infinita multitudine Iudæorum, qui repulsi sunt à Deo, reliquiæ,* 4 *hoc est, aliqui, pauci tamen, ex gratia electio-*

& in scandalum, & in retributio-
10 nem illis. Obscurentur oculi eo-
rum, ne videant, & dorsum eo-
11 rum semper incurua. Dico ergo:
nunquid sic offenderunt, vt ca-
derent? Absit. Sed illorum deli-
ctum, salus est Gentibus, vt illos
12 æmulentur. Quod si delictum il-
lorum diuitiæ sunt mundi, & di-
minutio eorum diuitiæ Genti-
um: quanto magis plenitudo eo-
13 rum? Vobis enim dico Gentibus;
quandiu quidem ego sum Gen-
tium Apostolus, ministerium me-
14 um honorificabo, si quo modo
ad æmulandum prouocem car-
nem meam, & saluos faciam ali-
15 quos ex illis. Si enim amißio eo-
rum, reconciliatio est mundi: quæ
assumptio, nisi vita ex mortuis?
16 Quòd si delibatio sancta est, &
massa: & si radix sancta, & rami.
17 Quòd si aliqui ex ramis fracti
sunt, tu autem cum oleaster esses,
insertus es in illis, & socius radicis
& pinguedinis oliuæ factus es, no-
18 li gloriari aduersus ramos. Quòd
si gloriaris: non tu radicem por-
19 tas, sed radix te. Dicis ergo: fra-
cti sunt rami, vt ego inserar. Be-
20 ne: propter incredulitatem fra-
cti sunt, tu autem fide stas: noli
altum sapere, sed time. Si enim
21 Deus naturalibus ramis non pe-
percit: ne forte, nec tibi parcat.
22 Vide ergo bonitatem, & seuerita-
tem Dei: in eos quidem, qui ce-
ciderunt, seueritatem: in te au-
tem

lectionis salui facti sunt, & electi à Deo. Quod si ex gratia, ergo non ex ipsorum industria, & ex operibus: alioquin 5 electio quam dixi ex gratia, non esset gratuita. Quid 6 ergo consequitur ex dictis? hoc plane, nempe populum Israel maiori ex parte non fuisse assequutum iustitiam, quã ex propria virtute, & quasi ex prosapia, eo quod legem scriptam haberet, contendebat assequi sine alio spiritu fidei: eam verò electam partem ex populo etiam Iudaic o, quam dixi ex gratia Dei fuisse selectam, consequutam fuisse verum spiritum sanctificationis: ceteros verò, quos dixi non esse assequutos, excæcatos fuisse sicut scriptum est Isai.29. 7 Dedit illis Deus spiritum 8 compunctionis, oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant vsq; in hodiernum diem. *Hoc est spiritum pertinacem in malo. Et rursus Dauid:* Fiat mensa eorum coram ipsis, (*id est, scriptura, quæ vt mensa illis apposita est*) in scandalum, & dorsum eorum semper incurua, *hoc est, vt sint ad terrena inclinati, nec conuersatio eorum sit in cœlis. Sed nunquid adeò in Christum impegerunt, vt in totum caderent, & sine spe reparationis? nequaquam: sed 9 illorum delicto hoc factum est, vt Gentes ad fidem citius vocarentur, & Iudæi conspecta illorum insigni sanctimonia ex contentione, & zelotypia ad fidem etiam conuertantur, qui per-*

præ-

tem bonitatem Dei, si permanse-
ris in bonitate: alioquin & tu ex-
23 cideris. Sed & illi, si non perman-
serint in incredulitate, inserētur:
potens est enim Deus iterum in-
24 serere illos. Nam si & tu ex natu-
rali excisus es oleastro, & contra
naturam insertus es in bonam o-
liuam: quanto magis ij qui secun-
dum naturam, inserentur suæ oli-
25 uæ? Nolo enim vos ignorare, fra-
tres, mysterium hoc (vt non sitis
vobis ipsis sapientes) quia cæcitas
ex parte contigit in Israel, donec
26 plenitudo Gentium intraret: &
sic omnis Israel saluus fieret, sicut
scriptum est: Veniet ex Sion qui
eripiat, & auertat impietatem à
27 Iacob. Et hoc illis à me testamen-
tum; cum abstulero peccata eo-
28 rum. Secūdum Euangelium qui-
dem, inimici propter vos: secun-
dum electionem autem charissi-
29 mi propter patres. Sine pœniten-
tia enim sunt dona, & vocatio
30 Dei. Sicut enim aliquando, &
vos non credidistis Deo, nunc au-
tem misericordiam consecuti e-
stis propter incredulitatem illo-
31 rum: ita & isti nunc non credide-
runt in vestram misericordiam,
vt & ipsi misericordiam conse-
32 quantur. Conclusit enim Deus
omnia in incredulitate: vt omni-
33 um misereatur. O altitudo diui-
tiarum sapientiæ, & scientiæ Dei:
quàm incomprehensibilia sunt
iudicia eius, & inuestigabiles viæ
eius.

prædicationem Apostolorum accedere ad fidem statim noluerunt. Quod si Iudæorum lapsus, & incredulitas per occasionem cessit in salutem totius reliqui mundi: 10 *quanto magis Gentes ad fidem prouocabuntur, si videant quam plurimos ex Iudæis conuerti? In gratiam enim vestram, ô Gentes, dico, quatenus quidem sum Apostolus Gentium, honorificabo munus meum prædicandi inter Gentes, fructum prædicationis inter ipsas Gentes ad fidem conuersas laudans, & magnifaciens, si forte hoc modo aliquos* 11 *ex Iudæis, laudibus Gentium ad credendum excitatos saluos faciam.* 12 *Id quod summopere exopto: si enim* 13 *reiectio Iudæorum occasio fuit, vt* 14 *Gentes tam mature Deo reconciliarentur, quid sentiendum est de adiunctione Iudæorum ad Gentes per fidem? Certe multo melior futura erit causa, vt omnes Gentes ex morte ad vitam redeant, & conuertantur.* 15 *Quod si Patriarchæ illi antiqui, qui sunt veluti primitiæ huius populi, vsq; adeo sancti fuerunt, tota massa reliqui populi, & conspersio sancta etiam erit. Et si radix huius populi, illi scilicet Patriarchæ sancti fuerunt, & rami, qui sunt reliqui ex illo populo, sancti etiam erunt: si tamen in radice, & fide Abrahæ & suorum parentum manere velint; aut fracti iam iterum oliuæ coniungi.* 16 *Quod si aliqui illius populi, qui veri erant rami, quia fide-*

34 eius! Quis enim cognouit sen-
35 sum Domini? Aut quis consilia-
rius eius fuit? Aut quis prior de-
36 dit illi, & retribuetur ei? Quo-
niam ex ipso, & per ipsum, & in
ipso sunt omnia: ipsi honor, &
gloria in secula seculorum. A-
men.

fideles, abscißi sunt ex radice non permanentes in fide progenitorum; tu autem Gentilis, cum esses oleaster in tua infidelitate, 17 illorum loco insertus es, & particeps factus 18 succi illius radicis, & pinguedinis oliuæ; fidei nimirum Patrũ, & bonorum operum ex ipsa prouenientium; noli aduersus ramos abscissos insolenter superbire. Quod si adhuc inani gloria intumescis, attende qualiter nulla sit tibi causa sufficiens gloriandi: non enim ex vestra fide, sicut ex radice Patriarchæ, quorum fidem sectamini tanquam ex radice fidei succum hauserunt; sed vos aliàs increduli ex illis, vt ex radice fidem habetis. Dices saltem in eo esse tibi causam gloriandi, quod Deus permiserit ramos, qui antea erant in radice, abscindi, vt in eorum loco insereveris: negare certè non possum excisos fuisse ramos, & illorum loco vos Gentiles insertos fuisse. 19 Sed attende id factum esse, non, vt meritis vestris locum darent, & sic illorum loco inseri possetis: verum propter incredulitatem ipsorum abscißi sunt, in quam labi iusto Dei iudicio fuerunt permißi. Tu autem fide ex gratia Dei, 20 non tuis meritis insertus es; noli altum sapere id tibi tribuens, quod Dei donum est, sed time Dei iudicium. Si enim ipsis Iudæis, qui erant naturales rami origine carnis, ob ipsorum peccata Deus non pepercit, sed permisit in incredulitatem labi, & abscindi; vide tu Gentilis, ne per superbiam indignum te præbeas gratia Dei, & similiter excidaris. Ex quibus iam perspectam habebis Dei seueritatem, & benignitatem: seueritatem quidem in eos, qui ceciderunt: in te autem, ô Gentilis, benignitatem, quam Deus semper erga te habebit, si in cœpto permanseris: alioqui & tu experieris seueritatem Dei, & excideris. Nec solum tu Gentilis, qui insertus es, expertus es Dei benignitatem, 21 sed & illi, si in incredulitate noluerint permanere, & patiantur iterum inseri. Deus enim potens est adhuc illos inserere, postquam abscißi sunt: nam si tu cum esses oleaster natus in infidelitate Gentilitatis, insertus es in fœcundam, & pinguem oliuam Patriarcharum, 22 quod videtur magis repugnare, si natiuitatem carnis consideres: quanto facilius inseri poterunt Iudæi, qui secundum carnem progeniti sunt ex Patribus, ad quos pertinent promißiones? rem enim arcanam, & paucis adhuc cognitam aperiam vobis, ô Gentiles, ne sitis insolentes, & animi elatioris, nec nimium vobis placeatis, propterea quod insiti sitis oliuæ, & Iudæi excisi? Mysterium autem, & secretum est, quod cæcitas ad tempus tantùm contigit in Israel, donec intret plenus numerus, quem Deus decreuit ex Gentibus assumere: vbi enim impletus

Digitized by Google

pletus fuerit numerus, 23 *totus Israel saluus fiet, sicut scriptum est Isai.* 59.
Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob, & tunc demum testamentum, quod illis disposuit 24 implebitur, cum abstulero peccata eorum, *Qui quidem nunc sunt Deo inimici, & offensi* 25 *ratione pertinaciæ, qua Euangelio aduersantur,* 26 *quod vobis occasio fuit, vt fidem reciperetis.* 27 *At verò si consideretis electionem, qua elegit Deus Patres eorum in populum abiectis aliis nationibus, & promissiones, dilecti sunt ipsi Deo propter promissiones Patribus factas: Deum enim pœnitere non potest promissionis factæ populo illi, & donorum, & vocationis suæ, sicque implebitur, quòd iam diu Patribus promisit.* 28 *Sicut enim, & vos Gentiles, qui antea non credebatis Deo, nunc estis misericordiam consequuti ad fidem, vocati occasione incredulitatis illorum; ita illi non credunt, vnde vobis misericordia prouenit. Ex quo tandem fiet,* 29 *vt ipsi etiam misericordiam consequantur, Deus enim ita disposuit salutem vtriusque populi, Iudaici, & Gentilis, vt permiserit vtrumq; constringi incredulitate, & inde fieri, vt omnium postea misereretur.* 30 *Cumq; mecum considero diuinæ dispensationis rationem qua factum est, vt Gentes idolis antea seruientes subitò ad gratiam Euangelij vocarentur: Iudæi verò quibus gratia promissa videbatur, ab ea exclusi sint, & eorum casum fuisse occasionem, vt Gentes prius vocarentur, & tandem Gentium salutem esse futuram occasionem salutis Iudæorum, vt explicatum est: cum inquam, hæc mecum considero, præ stupore cogor exclamare, ô profunditatem diuitiarum, & sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia, & secreta ipsius, quæ circa homines disposuit facere, & quam inexcogitabiles viæ, & modi, quibus id futurum disposuit? Quis enim vnquam cognouit id, quod Deus decreuit sapientia sua de aliquo facere? aut quis consiliarius eius fuit in disponenda via, & modo, quo id facturus erat? aut quis prior dedit illi aliquid, cum ipse sit diues, & abundans, vt necessario debeat ei potius, quam alteri retribuere? nullus sane quoniam ex ipso, vt ex autore, & inceptore omnia inceperunt, & per ipsum perfectorem perficiuntur, & in ipso conseruatore conseruantur. Ipsi gloria in seculum.*

ANNOTATIONES.

1. Illud *Ergo* est veluti illationis nota ex omnibus, quæ dicta erant: sed id obiicit sibi, & ideo inquit, *dico ergo*, & ipse sibi respondet, quod multum acrimoniæ, & emphasis habet, & frequens est apud Paulum.

Digitized by Google

2. Illud, quod addidimus, subintelligitur facilè, & ita respondet obiectioni iam sæpius propositæ.

3. Illud etiam supplendum est, vsque ad verbum, *addo etiam, &c.* quibus melius contextus connectitur.

4. Sic explicaui vocem *reliquia* supra cap. 9.

5. Cum dicit: *gratia non esset gratia*, non intelligit gratiam ipsam in ratione gratiæ, quod scholastici, *formaliter* dicerent, sed rem ipsam, scilicet electionem, quam dixit ex gratia factam, & non ex operibus, ac si diceret: si enim ex operibus, iam electio non esset gratia: de quo vide 1. part. disp. 91. cap. 15.

6. Illud, *consequitur ex dictis*, sæpe subintelligitur à Paulo in simili interrogatione, sicut etiam initio huius capitis, & aliis præcedentibus.

7. Testimonium hoc, & similia, quæ ad hoc inducuntur, intelligenda sunt, ita vt Deus dicatur per subtractionem gratiæ, & per occasionem causa talis obdurationis, & excæcationis, vt explicaui cap. 9. & 1. part. disp. 95. cap. 10. non autem directè, vt blasphemant hæretici nostri temporis.

8. Testimonium hoc putat Origenes non haberi in scriptura, sed Paulum de suo addidisse multa verba explicando Isaiam cap. 9. Sed lapsus est Origenes, quia habentur Isaiæ 29. secundum translationem Septuaginta. Erasmus interpretatur spiritum zelotypiæ, siue inuidiæ: κατανύσσω enim, vnde genitiuus κατανύξεως significat, *compungo*, qui est effectus inuidiæ. Theophylactus, & Oecumenius interpretantur spiritum compunctionis pertinacem in malo: nam κατανύσσειν significat etiam, quasi clauo aliquid configi. Sed secundum Hebræum Hieronymus vertit, *spiritum soporis*, & consonat etiam eidem sensui: quia sopor est res tenax, & Hebræa vox non quemcunque, sed grauem soporem significat, quod magis tenacitatem ipsam exprimit.

9. Ratio Pauli est, cum Iudæi non ita facile in initio reciperent prædicationem, Apostoli profecti sunt ad Gentes, ad quas non tam cito irent, si Iudæi ipsos facile recepissent. Et quod prædicatione Apostolorum factum non est, postea æmulatione ex Gentium conuersione sequutum fuit.

10. Dicit Apostolus, *quanto magis plenitudo eorum*, & videtur loqui, vt explicat Chrysostomus, de tempore, quando vniuersi ad fidem conuertendi sunt.

11. Carnem suam dixit Iudæos, quos cap. 9. appellauit cognatos secundum carnem.

12. Illud, *quod summopere exopta*, videtur supplendum, vt causalis, quæ sequitur, bonum reddat sensum, aliàs non videtur coherere iis, quæ præcesserant.

13. Græ-

13. Græce est ἀποβολή, id est, abiectio, seu reiectio, noster vulgatus transtulit *amissio*, quod idem est.
14. Mundi nomine Gentes intelligit, sicut superius etiam.
15. His verbis reddit rationem, quare non sit desperandum de Iudæorum conuersione: cum autem dicit *& massam sanctam, & ramos sanctos*, non intelligit sanctos actu esse omnes ex illo populo, sed habilitate, vt inquit Ambrosius.
16. Vtitur Metaphora oliuæ, ad significandos fideles ex fructu illius; nomine verò oleastri, ad significandos infideles, & sine fructu.
17. Illud *in illis*, non significat infideles insertos esse in ipsis ramis abscissis, nec ad illos hoc modo referri debet: sed aut ad illos, qui permanserunt, vt sit sensus *inter illos*: aut potius ad eosdem abscissos, ita vt illud *in*, sit idem quod *pro*: aut illud *in illis* referat partem, & locum, ex quo abscissi sunt, vt in paraphrasi dixi *loco illorum*, sumpta metaphora ex ramis, ex quibus cum abscinduntur, manet veluti quædam pars illorum, qua coniungebantur trunco.
18. Cum his locis vtitur Paulus nomine *radicis*, non est in eo sensu, quo Ioan. 10. Christus dicitur vitis, & discipuli palmites ex ipso succum, & alimentum trahentes: constat enim ex Patriarchis fideles non habuisse suam fidem; sed Patriarchas comparat radici; quia primi nobis hanc fidem tradiderunt, & ita qui sequuntur, videntur ipsis inseri tanquam rami radici, & trunco.
19. Totum illud vsque ad particulam *Verum* suppletur: cum enim inquit Paulus propter incredulitatem fracti sunt, ostendit iis verbis Iudæos non ob merita Gentilium, sed ob sua peccata fuisse abscissos.
20. Illud, non suis meritis, quod etiam suppletum est in paraphrasi, subintellectum videtur: vt enim ipsi Gentiles intelligant non suis meritis fuisse insertos, dicit fide id factum fuisse, quæ est donum Dei sine meritis. Et in tota Epistola fidem Paulus opponit propriis meritis, & operibus arbitrij.
21. Illud *sed*, est aduersatiua particula, & refertur ad illud, quod supra dixit de Gentilibus, ipsos, scilicet expertos esse Dei benignitatem, & ne viderentur Iudæi omnino exclusi, quos dixit expertos fuisse seueritatem, subiungit etiam illos participes futuros benignitatis Dei.
22. Quod dicit *contra naturam*, non ideo dixit, quia sit impossibile, vel simpliciter naturæ repugnet, sed quia considerata generatione illorum videbatur magis difficile, Gentiles coniungi fidei Patriarcharum, quàm Iudæos: vnde *natura* eo loco idem videtur, quod generatio, vel progenies.
23. Totum Israelem conuertendum in fine mundi, scripsit Chrysostomus

stomus in hunc locum,& August. lib. 20.de ciuitate, cap. 29. exposita lege per Eliam Thesbitem.

24. Illud *implebitur* suppleri debet, & facile ex præcedentibus intelligitur.

25. In textu est *secundum Euangelium*, quod nos explicauimus ratione pertinaciæ,qua resistunt Euangelio.

26. In textu est, *propter vos*, quod intelligi debet in vestram vtilitatem. Sed cum illud *propter*, videatur significare causam finalem, sicut particula *vt*, hic debet ita solum accip i, vt significet euentum, sicut de particula *vt*, notatum est supra cap. 9. num. 14 Hæc expositio est Augustini,lib. de prædestinatione sanctorum,cap.16. & Ambrosii in hunc locum. Chrysostomus explicat illud *propter vos*,quia fides suscepta à Gentibus offendiculo fuit Iudæis,vnde dicuntur inimici propter vos, hoc est, in vobis scandalizati: sed quæ sequuntur magis congruum expositioni Augustini.

27. Cum inquit dilectos esse Iudæos secundum electionem,non loquitur de illis, qui tunc resistebant prædicationi, aut posteà resistent: sed de natione vniuersim,de qua dixit,etiamsi abscisi essent rami,posse iterum inseri,imo facilius,quàm Gentiles.

28. Probat sine pœnitentia esse dona Dei, id est, Deum impleturum, quod promisit, & misericordiam facturum cum populo Iudæorum, & ideo vtitur causali *enim*.

29. Hic,& in sequentibus, cum inquit, *Vt omnium misereatur, &c.* particula *vt*, non significat causam finalem, sed euentum: quia vt dixi 1. part. disputat. 93. cap. 2. non est intentionis Dei permittere,vt misereatur,sed permittit,& postea miseretur:cum verò inquit Paulus, *Conclusit omnia sub incredulitate*, finit primam istam partem Epistolæ cum illamet sententia, quam dixerat 3. capite: *Omnes quidem peccauerunt, & egent gloria Dei*: in hac enim parte hoc potissimum contendit ostendere, parem esse causam apud Deum Iudæorum, & Græcorum, vt egeant gratia Dei, & ex operibus suis nullum illorum peculiare aliquid habere, vt ita ostendat diuitias Euangelij, vt proposuit 1. capit.

30. Etiam si aliò referri soleat hæc exclamatio Pauli,tamen non potest commodius referri, quàm ad id,quod immediate præcesit, de abscisione scilicet Iudæorum,& insitione Gentilium: notanda tamen sunt tria illa *diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei*, multi enim referunt illud *diuitiarum* ad sapientiam,& scientiam,vt Paulus admiretur diuitias sapientiæ Dei: melius tamen explicari potest, vt admiretur ipsas Dei diuitias, quod nullius indigeat, tum etiam sapientiam,& scientiam,& sic in sequentibus tria opponit, *Quis cognouit sensum* opponit sapientiæ,

tiæ, *quis consiliarius eius fuit?* opponit scientiæ, *quis prior dedit ei?* opponit diuitiis, & sic optimè quadrat præcedentibus; ostendens non mirum, si prius Gentiles vocauit, & inseruit Iudæos, abscindens eos, quos tandem inseret: est enim adeò diues, & nullius indigens, vt nullus prior dederit illi, vt debeat ei potius retribuere. Sapientia autem, & scientia in eo distinguendæ sunt, vt sapientia sit cognitio tantum eius, quod futurum est, quod ita secretum est, vt nullus cognouerit, & ideo dicit, *Quis cognouit sensum Domini?* scientia verò significat dispositionem mediorum ad ea, quæ facturus est Deus, quod admirabilius esse solet, & ideo dicit, *Quis consiliarius eius fuit?* quasi dicat, vt consilio illius disponeret causas, & media, quibus facturus erat, quod sibi placuit facere; quorum vtrumque mirabile est, sed hoc posterius mirabilius: mirabile enim est, aliquem infimæ sortis futurum Principem: mirabilius tamen esse solet illis, aut illis mediis futurum esse. Meritò ergò vtrunque admirans exclamat Paulus.

POSTE-

POSTERIOR PARS EPISTOLÆ, IN QVA SOLVM TRADIT PAVLVS DOCVMENTA RECTE VIVENDI.

ARGVMENTVM CAPITIS XII.

TOto hoc capite varia tradit documenta. Primum, quam de se ipso quisque opinionem habere debeat, propter varia dona, & gratias à Deo acceptas. Deinde multa alia communia omnibus præbet documenta, maximè verò, quæ ad fraternam dilectionem pertinent.

CAPVT XII.

1 OBsecro itaq; vos fratres per
misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium ve-
2 strum. Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & bene-
3 placens, & perfecta. Dico enim per

PARAPHRASIS eiusdem capitis.

VOs 1 ergo fideles, qui & gratiam Dei consequuti estis ex fide, & misericordia Dei, non ex legis notitia, constituti insuper heredes vitæ æternæ, & in filios Dei adoptati, obsecro per eandem Dei misericordiam, vt membra vestra ad bonas operationes illis vtendo Deo offeratis, vt hostiam non mortuam, sicut pecudum

Digitized by Google

per gratiam data eſt mihi, omni-
bus, qui ſunt inter vos; non plus
ſapere, quam oportet ſapere, ſed
ſapere ad ſobrietatem; & vnicui-
que ſicut Deus diuiſit menſuram
4 fidei. Sicut enim in vno corpore
multa membra habemus, omnia
autem membra non eundem a-
5 ctum habent: ita multi vnũ cor-
pus ſumus in Chriſto, ſinguli au-
6 tem alter alterius membra: ha-
bentes donationes ſecũdum gra-
tiam, quæ data eſt nobis, differen-
tes, ſiue prophetiam ſecundum
7 rationem fidei, ſiue miniſterium
in miniſtrando, ſiue qui docet, in
doctrina, qui exhortatur, in ex-
8 hortando, qui tribuit in ſimplici-
tate, qui præeſt, in ſolicitudine,
9 qui miſeretur in hilaritate. Dile-
ctio ſine ſimulatione: odientes
10 malum adhærentes bono: chari-
tatem fraternitatis inuicem dili-
11 gentes: honore inuicem præue-
nientes; ſolicitudine, non pigri;
12 ſpiritu feruentes; Domino ſer-
uientes, ſpe gaudentes, in tribu-
latione patientes, orationi inſtan-
13 tes, neceſſitatibus ſanctorũ com-
municantes, hoſpitalitatem ſe-
ctantes. Benedicite perſequenti-
14 bus vos: benedicite, & nolite ma-
15 ledicere. Gaudete cum gauden-
16 tibus: flete cum flentibus. Id ip-
ſum inuicem ſentientes. Non al-
ta ſapientes, ſed humilibus con-
17 ſentientes. Nolite eſſe prudentes
apud voſmetipſos. Nulli malum
pro

*dum ſacrificia ſed viuentem vita ſpi-
rituali gratiæ ſanctam, & Deo ac-
ceptam, quæ 2 ſit cultus, & latria
ſpiritualis: & ne vos accommodetis
pro arbitrio cupiditatum veſtrarum,
ſicut faciunt, qui huic ſæculo dediti
ſunt; ſed per renouationem mentis,
quam per fidem accepiſtis, transfor-
mamini indies in nouos affectus ſpi-
rituales, vt experimento comprobe-
tis, 3 quodnam ſit bonum, quod
Deus à nobis vult, quod verò ſit opti-
mum; & perfectum. 4 Hoc autem
eſt, quod volo dicere per gratiam Do-
ctoris, & Apoſtolatus, quæ mihi con-
ceſſa eſt à Chriſto. In primis, ne quis
5 plus efferatur, & magnifice de ſe
ſentiat, quàm opus eſt, ſed modeſte, 6
& eo modo, ſicut vnicuique Deus
diſtribuit menſuram doni 7 in fide
ſibi collati, vt intra illius terminos ſe
contineat: ſicut enim in vno humano
corpore multa ſunt membra, ſed non
omnia eodem funguntur munere: 8
vnumquodque tamen in alterius ſub-
ſidium ſuum ſortitur miniſterium:
ita multi fideles ſumus vnum corpus,
cuius Chriſtus caput eſt, vnuſquiſque
verò eſt membrum, & ſuum ſortitur
miniſterium in gratiam etiam alte-
rius ſecundum diuerſa dona ex gratiâ
Dei ei conceſſa. Quidam prophetiæ
dono præditi ſunt, 9 quorum mu-
nus eſt prophetare, non auguriis mo-
re Gentium, ſed conuenienter, vt fides
noſtra poſtulat: quidam gradum mi-
niſterij, ſiue epiſcopi, ſiue Sacerdotis,*
O *ſiue*

pro malo reddentes. Prouidentes
bona non tantum coram Deo,
sed etiam coram omnibus homi-
nibus. Si fieri potest, quod ex vo-
18 bis est, cum omnibus hominibus
pacem habentes. Non vosmet-
ipsos defendentes charissimi, sed
19 date locum iræ: Scriptum est e-
nim: Mihi vindictam; & ego re-
tribuam, dicit Dominus. Sed si e-
surierit inimicus tuus, ciba illum:
20 si sitit, potum da illi: hoc enim fa-
ciens carbones ignis congeres su-
21 per caput eius. Noli vinci à malo:
sed vince in bono malum.

siue Diaconi sortiti sunt, cuius officium est in eo ministrare iuxta præscriptum ordinem: quidam verò sunt Doctores, qui ad hoc destinati sunt, vt aliis explicent, & dilucidè tradant, quoa bene nouerunt. Alij gratiam acceperunt exhortandi populum. 10 *Hi ergo omnes ita se gerant, & vnusquisque in ministerio suo ita contentus maneat, vt contra alium non insolescat. Qui vero constitutus est Præfectus facultatum Ecclesiæ, vel collectarum, quas fideles conferunt, in pauperes distribuat simplici animo, & ingenuè, non quasi coactus: qui verò alicuius congregationis constitutus est Præses, is solicitè, & diligenter inuigilet gregi sibi commisso: sicque vnusquisque bene vtatur gratia, & dono sibi commisso.* 11 *Præter hæc autem in vniuersum quisq; ita se gerere debet, vt dilectio, qua alios diligit, sit* 12 *ex corde sincera, & minime fucata, ita verò vt non* 13 *in malum, qualis est dilectio lasciuorum, & malefactorum; sed in bonum diligat, sicque* 14 *fraternam charitatem singuli mutuò prosequantur, & honore se inuicem præueniant sedulitate, & studio aliis exhibendi officium. Sint impigri, & impetu quodam animi accensi ad benemerendum de proximo. Domino verò seruientes, non tantum religioso cultu, sed etiam moribus totius vitæ, & conuersationis humanæ, assidua etiam instantia perseuerantes in oratione. Inopiæ & angustiæ Christianorum rebus vestris subuenite, hospitalitatem ita colentes,* 15 *vt alios ad hospitium vltro intrare compellatis. Bene precemini iis, qui vos persequuntur, benedicite, inquam, iis, & nolite malè imprecari, vel execrari; iis verò, quibus prosperè res eueniunt, non modo ne sitis inuidi; sed potius* 16 *congratulamini, & congaudete; de eorum verò malo, qui in afflictione sunt, non tantum non gaudeatis, sed potius compatimini, & cum illis etiam flete: eodem animo sitis erga alios, vt quisque de alio eam habeat opinionem, quam de seipso: nec arroganter de vobis sentiatis; sed potius* 17 *pauperibus ignobilibus, & in loctis vos accommodate, & cum illis conuersamini. Nolite plus æquo per arrogantiam vobis tribuere prudentiæ, quasi alieno consilio existimetis vos non indigere.* 18 *Nulli pro maleficio maleficium retribuatis.*

Digitized by Google

Curam verò habete, vt quæ agitis bona, sic agatis, vt non solum Deo placeant, sed etiam hominibus: quoad verò fieri potest, salua scilicet pietate, & iustitia, cum omnibus hominibus pacem habete: quod si ab aliquo iniuriam passi estis, nec 19 *vindictam sumatis de illo;* 20 *sed date locum, & expectate iram diuinam, quæ vlciscetur etiam vestram iniuriam: scriptum est enim Deuter.* 32. Mihi vindictam, & ego retribuam; *nec solum non sumatis vindictam de inimicis vestris; sed si inimicus esurierit,* 22 *indulgenter pascite ipsum; si sitierit, potum date illi: sic enim totum illum inflammabitis erga vos non odio, aut ira, vt antea erat, sed amore, non secus, atque si carbones* 23 *ardentes coaceruantes super ipsum accenderetis. Nolite ergo vinci ab* 24 *iniuria illata, vt prouocati iniuria ipsa adducamini ad sumendam vindictam, sed potius vincite ipsam iniuriam vobis illatam benemerendo de illo, à quo læsi estis.*

ANNOTATIONES.

1. Particula *itaque* est nota illationis ex iis, quæ antea dixerat. Cum ergo antea tractasset de iustificatione per fidem & gratiam, qua ostenderat homines iustificari, nunc ipsos Romanos interpellans, ea nota illationis videtur insinuare eos iustificatos, & adoptatos in filios, quod in paraphrasi expressimus.

2. Rationabile obsequium Græcè dicitur λατρεία λογική in eodem sensu, quo dicitur 1. Petr. 2. λογικὸν γάλα, id est, rationabile lac concupiscite, hoc est, spirituale lac: eo quod sacrificium, ad quod inuitat Paulus in hoc capite, non est corporalium victimarum, sed spiritualis hostiæ, hoc est, boni operis.

3. Voluntas Dei hoc loco accipitur pro eo, quod Deus vult de nobis. Quod vero dixit noster interpres, *bona, beneplacens, & perfecta*, in Græco ad literam est, bona, optima, & perfecta, quasi dicat, exhibendo vos hostias spirituales Domino, opere complebitis, quod Deus à vobis postulat, scilicet bonum, optimum, & perfectum in operibus vestris.

4. Verba illa *dico autem* explicantis sunt, non præcipientis, vt aliqui volunt: in his enim, quæ statim subiungit, plura proponit, quæ verè sunt consilia: non ergo ea præcipit, sed proponit vt meliora, & consonat cum superioribus, vbi dixerat, *quæ sit voluntas Dei beneplacens, & perfecta.*

 5. Sapere

5. Sapere hoc loco non pertinet ad eruditionem, & speculationem, sed ad cogitationem, & opinionem de seipso, vt in phrasi.

6. Illud, *&*, non habetur in Græco, in Latina vero editione etiam emendata habetur, nec redundat: sensus enim est, vt in paraphrasi, qui facile constabit, si particula *sicut*, quæ postposita est, voci *vnicuique* anteponatur.

7. Nomine fidei per Metonymiam intelligit donum ratione fidei collatum: postea enim enumerat varia dona, intra quorum mensuram contendit Paulus, vt quisque se contineat, nec vltra præsumat.

8. Illud suppleuimus, quod videbatur Paulus subintelligere, quia cum applicat similitudinem, ad mutuam operam, & leuamen videtur respexisse.

9. Illud *Secundum rationem fidei*, ita interpretatur Chrysostomus.

10. In omnibus clausulis præcedentibus, in quibus est eclipticus sermo, suppleri debet, quod addidimus in paraphrasi, num. 8. iuxta id, quod Paulus proposuit, *Non plus sapere, quam oportet sapere.*

11. Hinc iam vniuersaliora omnibus tradit documenta, hactenus enim de vsu tantum, & exercitio donorum, & gratiarum loquutus fuerat.

12 In his omnibus clausulis intelligi debet verbum *sit*, est enim sermo concisus.

13. Addidit Paulus, *odientes malum, &c.* vt ostenderet, qualis deberet esse dilectio, vt in paraphrasi explicatum est.

14. In Græco est φιλαδελφία, id est, dilectione, seu charitate, quod idem est, siue enim in casu accusandi legas, siue in casu effectiuo, idem erit sensus, particula autem *diligentes*, Græce est φιλόστοργοι, quod significat eos, qui affectu pietatis cognatos diligunt, aut affines.

15. Verbum *sectantes*, significat vltroneam illam hospitalitatem, quam quis vltrò sectatur.

16. More Græcorum Paulus dixit, *Gaudere cum gaudentibus, &c.* vsurpauit enim infinitum pro imperatiuo, ac si diceret, gaudete cum gaudentibus, vel, vt alii volunt, intelligi debet verbum oportet, vel aliud simile.

17. *Humilibus, &c.* Hoc loco intelligit non modestos, sed humili loco natos, & inferioris conditionis homines.

18. In omnibus illis participiis suppleri debet verbum *sitis*, vel exponi debent, vt in paraphrasi per modum imperandi.

19. Quod interpres dixit *defendentes*, in Græco est participium ἐκδικοῦντες, quod significat *vlciscentes*, non autem participium διεκδικοῦντες, quod significat *defendentes*, ceterum defendere pro vindicare etiam

acci-

accipitur in Scriptura, vt Iudith 1. *Quod defenderet se de omnibus regionibus* *bus.* Et 2 cap. idem habetur, & congruit cum sequentibus.

20. Locum dicitur dare Dei vindictæ, qui non sumit vindictam per se de suis inimicis: sicut contra, qui vlciscitur, videtur impedire, ne Deus ipse vindictam pro eo sumat, vnde in verbis Pauli cum dicit, *sed date locum iræ*, debet suppleri *Dei.*

21. Testimonium hoc est Deuter. 32. in Cantico Moysis his verbis, *mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore.* Hoc est, ad me pertinet officium vindicandi, & in Græco est vindicta in casu nominandi, & in vulgata est eodem modo, quamuis in aliis vulgatis esset antea in casu accusandi, & eodem recidit sensus: scilicet, mihi vindictam relinquite, & ego retribuam.

22. In Græco est verbum ψώμιζε, id est, pasce, quod non significat tantum pascere simpliciter, sed indulgenter pascere, vt in conuiuiis fieri solet; cum quis alteri fauet ministrando de iis, quæ ipsi apponuntur. Hic etiam Paulus mutauit numerum, sicut ad Galat. 6. *considerans te ipsum, ne & tu tenteris.*

23. *Carbones ignis*, dixit pro ardentes carbones phrasi Hebraica.

24. *Malum* hic non accipit pro persona lædente, sed pro reipsa, id est, iniuria: & vinci ab iniuria est; sinere vt in nobis affectum excitet ad vindictam: vincere ergo iniuriam, est in amoris affectum mutari erga lædentem: sicq; optime Paulus ostendit, quæ sit voluntas Dei bona, optima, & perfecta, de qua supra num. 3 Hic non tantum quæ necessaria sunt, docuit Paulus, sed etiam, quæ perfectionis, & consilii.

ARGVMENTVM
CAPITIS XIII.

DOcet Paulus Magistratibus, & Principibus parendum, eisq; debita soluenda, siue honoris, siue vectigalium, siue tributorum: erga omnes autem etiam æquales debitum dilectionis semper retinendum, & obseruandum. Deniq; in vniuersum sectanda opera iustitiæ, & relinquenda, quæ sunt carnis.

CAPVT XIII.

1 OMnis anima, potestatibus
sublimioribus subdita sit.
Non est enim potestas nisi à Deo;
quæ autem sunt à Deo, ordinata
2 sunt. Itaque qui resistit potestati,
Dei ordinationi resistit. Qui au-
tem resistunt, sibi ipsis damnatio-
3 nem acquirunt: nam Principes
non sunt timori boni operis, sed
mali. Vis autem non timere pote-
statem? Bonũ fac, & habebis lau-
4 dem ex illa. Dei enim minister est
tibi in bonum. Si autem malum
feceris, time: non enim sine causa
gladium portat. Dei enim mini-
ster est: vindex in iram ei, qui ma-
5 lum agit. Ideoq; necessitati subdi-
ti estote: non solum propter iram,
sed etiam propter conscientiam,
6 Ideo enim & tributa præstatis:
ministri enim Dei sunt, in hoc ip-
7 sum seruientes. Reddite ergo o-
mnibus debita: cui tributum, tri-
butum: cui vectigal, vectigal: cui
timorem, timorem: cui hono-
8 rem, honorem. Nemini quid-
quam debeatis, nisi vt inuicem di-
ligatis: qui enim diligit proximũ,
9 legem impleuit: nam; non adul-
terabis: non occides; non fura-
beris; non falsum testimonium
dices; non concupisces: & si quod
est aliud mandatum, in hoc ver-
10 bo instauratur: Diliges proximũ
tuũ, sicut teipsum. Dilectio pro-
ximi, malum non operatur, ple-
11 nitudo ergo legis, est dilectio. Et
hoc

PARAPHRASIS.

OMnis homo, siue Ethnicus, siue Christianus sit, potestatibus in autoritate publica cõstitutis obediat, nec prætextu Christianæ religionis detrectet iussa Principum: nulla enim potestas est, quæ non sit Deo autore instituta. 1 *Quæ verò sunt potestates, & dominia ad Rerumpublicarum administrationem, hæc à Deo virtutem, & robur accipiunt ad continendos populos in disciplina, & pace, qui sic voluit hominum disponere vitam. Ergo qui illis non obedit, iussis, & ordinationi Dei resistit: qui verò Dei ordinationi resistunt, sibi damnationem acquirunt,* 2 *apud ipsum Magistratum: nam Principes nec sunt terrori:* 3 *nec pœnam infligunt bene agentibus. Si autem vis non timere mala, quæ Principes potestate sua comminantur malis, bene viue: quod si feceris, non solum libereris à metu potestatis Magistratus, sed etiam laudem referes ab illo: sic enim Princeps tibi bene viuenti, erit minister Dei in magnam tui vtilitatem; contrà verò si male vixeris, time illum, qui à Deo gladium potestatis habet, vt pœnis etiam mortis malefacta puniat: Dei enim minister est vltor* 4 *ad pœnam malè agenti. Cũ itaque res sic se habeat, potestati,* 5 *cui necesse est obedire, subditi estote, non solum propter pœnam, de qua hactenus dixi, sed etiam ne vestra* 6 *conscientia polluatur inobedientia. Ideò* 7 *verò tributa pen-*

Digitized by Google

hoc scientes tempus; quia hora
est iam nos de somno surgere.
12 Nunc enim propior est nostra
salus, quàm cùm credidimus.
Nox præcessit, dies autem appro-
pinquauit. Abiiciamus ergo ope-
ra tenebrarum, & induamur ar-
13 ma lucis. Sicut in die honestè am-
bulemus; non in commessatio-
nibus, & ebrietatibus, non in cu-
bilibus, & impudicitiis, non in
contentione, & æmulatione: sed
14 induimini Dominũ Iesum Chri-
stum, & carnis curam ne feceritis
in desideriis.

ta penditis Principibus, quia ministri Dei sunt ad hoc instituti, vt curam vestri habeant, vosque tueantur, vt tranquillè viuatis, in quo & ipsi laborare debent. Reddite ergo omnibus, qui publica præditi sunt autoritate, id, quod eis iure debetis, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem. 8 *Soluite ergo quæcunque alteri debetis, vt ita liberi maneatis, nec vllus poßit vos admonere vllius debiti, nisi mutuæ dilectionis: debetis enim semper vos debitores agnoscere dilectionis, quantumcunque illam persoluatis:* 9 *id quod tam libenter vobis suadeo:* 10 *quia qui diligit proximum, legem obseruat: nam non adulterabis, non occides, &c. & si quod est aliud mandatum, hoc solo verbo mutuæ dilectionis veluti compendio,* 11 *& recapitulatione continetur, diliges proximum, sicut teipsum: dilectio enim charitatis non mouet ad faciendum aliquid inhonestum, & ob id obseruantia legis est in dilectione. Diligite ergo inuicem, &* 12 *hoc præsertim cum sciatis quale iam sit tempus; quia tempestiuum est, vt excitemur à somno corporis, & ignauiæ, & præparemus nos:* 13 *in dies enim ad Domini præsentiam magis accedimus, quàm cum initio venimus ad fidem.* 14 *Nox præceßit in nobis ignorantiæ, infidelitatis, & erroris. Dies vero fidei nobis iam illuxit: surgentes ergo à somno negligentiæ, abiiciamus opera noctis, hoc est, somnum, & desidiam, quæ est in malis operibus, & induamur arma lucis hoc est, vigilantiam, quæ in bene operando posita est, ita operemur, vt honestè ambulemus, sicut decet die, non in commessationibus, &c. sed* 15 *Christum per omnem nostram vitam sectemur,* 16 *& ne habeamus curam carnalium nostrorum desideriorum, vt bonis operibus, quasi armis Christi instructi secure incedere, & diem Domini, tanquam si fur esset, expectare poßimus.*

ANNOTATIONES.

1. **Recentiores aliqui ita interpretantur ea,** *Quæ à Deo sunt, illa sunt ordinata,* **& multa philosophantur, quomodo scilicet opera Dei habeant ordinem,**

ordinem, ſed non eſt iuxta intellectum Pauli; vnde Græci omnes explicant, vt in paraphraſi, & in Græco non dicitur, ordinata ſunt, ſed ordinatæ ſunt, & ſic legit vulgata emendata: quod referendum eſt ad ipſas poteſtates, de quibus dicit eſſe à Deo ordinatas, & conſtitutas: dixit autem (inquiunt Græci) de ipſis poteſtatibus, non de Principibus, quia multi Principes non eliguntur Dei ordinatione, ſed per humanam, & illicitam negotiationem; ceterum poſtquam iam electus eſt aliquis in Principem, eius poteſtas dicitur eſſe à Deo, hoc eſt, vim habere ab ipſo naturæ autore, vt ei obedire debeamus.

2. Aliqui exponunt de æterno ſupplicio, quo tranſgreſſores mandatorum Principis puniuntur à Deo, ſed magis videtur ſequentibus etiam quadrare interpretatio paraphraſis: ſtatim enim ſubſequitur: *nam Principes, &c.* quæ ratio non ſatis accommodari poſſet priori ſenſui: ideo aliqui ſequuti priorem expoſitionem dicunt, ex illa parte, *nam Principes, &c.* incipere nouam rationem non eius, quod immediatè præceſſerat, ſed illius, quod dixerat, prius obediendum eſſe Principibus, quod tamen mihi non ſatis probatur.

3. Illud: *non ſunt terrori boni operis*: in Græco ad literam eſt, *non ſunt terrori bonorum operum*, hoc eſt, non ſunt in terrorem bene operantibus: ſumit enim bonum opus pro ipſo bene operante.

4. Ira eo loco ſumitur pro effectu illius, id eſt, pœna, vnde vindex in iram, idem eſt, quod vindex ad pœnam.

5. In Græco ad literam eſt, *Ideo neceſſitas eſt ſubiici*, διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι quidam vulgati codices legunt in datiuo cum iota ſubſcripto ἀνάγκῃ, & ideo vertunt, *neceſſitati ſubditi eſtote*, appellant verò neceſſitatem ipſam poteſtatem Principis, & Magiſtratus, & ſenſus vtroque modo eſt idem: dicitur enim poteſtas neceſsitas, quia neceſſe eſt ei obedire. Emendata editio legit *neceſſitate* in ablatiuo, & perinde eſt, eundemque ſenſum habet, quem nos in paraphraſi ſequuti ſumus, ac ſi diceat, ideo neceſsitate exigente obedite, &c. quod perinde eſt, atque dicere, neceſſe eſt obedire.

6. Hæretici noſtri temporis ſequuti Eraſmum alio modo interpretantur, vt tollant vim legum humanarum, dicunt, *propter conſcientiam*, ne ſcilicet ſitis vobis conſcii, quod alios veſtro exemplo prouocaueritis ad inobedientiam, ſed cum nihil hactenus dixerit de ſcandalo, videtur ſatis extorta hæc expoſitio.

7. In Græco eſt particula γὰρ, quæ hic potius habet vim continuatiuæ, quam cauſalis: ideo explicaui per particulam, *Vero*: ſi enim reddat rationem, non ſatis accommodari poteſt præcedentibus, potius ergo hic oſtendit, qua de cauſa tributa Principibus præſtari debeant.

8. In

8. In Græco est ad literam, *Nemini quidquam debeatis, nisi hoc, quod est diligere, τὸ ἀγαπᾷν*, & expositio est omnium Græcorum, & Latinorum.

9. Addidimus totum illum numerum, vsque ad particulam causalem: illa enim reddit causam, ob quam Apostolus ita exhortatur ad dilectionem.

10. Hanc propositionem Pauli explicabo in Epistola ad Galatas, c. 5. num. 20.

11. Verbum instauratur in Græco est ἀνακεφαλαιοῦται quod ad literam est *recapitulatur*, eodem vsus est Paulus ad Ephesios 1. & Græce est idem verbum.

12. In textu habetur, *Sic & hoc scientes tempus, &c.* vbi illud *hoc*, non est referendum ad tempus, quia tempus Græcis est χρόνος masculini generis, particula vero *hoc*, in Græco est τοῦτο, quæ est neutrius generis: illa ergo secundum se accipienda est, & referenda ad ea, quæ dicta sunt de charitate: habent autem vim amplificandi, quod dictum est, sicut cum dicimus: inebriatur aliquis, & hoc in quadragesima.

13. Nostra salus idem est, quod nostra beatitudo, & fœlicitas, quò tendimus, iuxta illud Lucæ 21. *Appropinquat redemptio vestra.*

14. Illud *nox præcessit*, multi referunt ad tempus veteris legis, & *dies appropinquauit*, ad tempus Euangelij, sed non videtur contextui multum quadrare: potius ad vitam ipsorum, cum quibus loquitur, referendum videtur, vt nox sit ignorantiæ, & infidelitatis; dies autem sit fidei, iuxta illud 1. Petri 2. *Qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Eandem vero sententiam sub eadem metaphora habet Paulus ad Ephes. 5. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate (fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate) probantes quid sit beneplacitum Deo.* Vbi contra appellat opera mala, opera tenebrarum, & 1. ad Thessal. 5. *Vos autem fideles non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat: omnes enim vos filij lucis estis, & Filij Dei, non sumus noctis, neque tenebrarum, igitur non dormiamus, sicut ceteri, sed vigilemus, & sobrij simus, &c.* Quæ pulchrè explicant hanc sententiam, & sicut hic Paulus monet, vt induamur arma iustitiæ, ibi etiam, vt induamur loricam fidei, & charitatis, & galeam spei, attenti expectantes diem illum, tanquam qui furem, & latronem expectat vigilans, & armis bene instructus, subdit rationem cap. illo 5. *Nam qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt, nos autem, qui Dei sumus, sobrij simus, &c.* Refert communem consuetudinem Gentium, qui in cœnis inebriari solebant, & ceterorum omnium, qui nocte dormiunt, non die: hic verò diem spiritualem appellat lucem fidei, noctem verò tenebras Gentilitatis: ac si dicat, nos fideles non dormiamus, sed sobrii simus, & vigilemus, nec sicut ebrij simus sine cura, id est, præparati simus, ideò admonet Petrus 1. E-

P pist.

Digitized by Google

pist. cap. 5. *Fratres sobrij estote, & vigilate*. Per opera tenebrarum intelligit somnolentiam, hæc enim propria est noctis non dici. Enumerat verò peccata multa, & illa vocat opera tenebrarum, non quia fiant in occulto noctis, ne videantur ab hominibus, sed quia hæc opera peccati re vera sunt somnus, quo fidelis homo dormire videtur oblitus aduentus Domini. Contrà verò opera bona appellat arma lucis, quia arma propria, seu opus proprium lucis est vigilantia, & solicitudo, qui autem bene operatur, dicitur vigilans expectare aduentum Domini, quia bene præparatus expectat.

15. Repetit quod dixerat, quomodo scilicet induere debeamus arma lucis, ad quem verò effectum, optimè explicauit 1. ad Thessalon. 5. vt supra num. 14. Hic autem, & in sequentibus mutauit personam, vt familiare ipsi est.

ARGVMENTVM
CAPITIS XIIII.

EXhortatur Paulus in hoc capite idem, quod ad Galatas: quomodo scilicet infirmis in fide non sit præbenda occasio aliqua temerè iudicandi: speciatim verò agit de delectu ciborum, & hortatur Romanos, vt ita quibusuis vescantur sine delectu Iudaico, cum liberi sint à ceremoniis legis Mosaicæ, vt tamen ignorantibus, & infirmis non sint offendiculo, sed coram illis abstineant potius, quàm contentiose disceptent. Contra verò monet infirmos, qui facilè iudicant eos, qui omnibus vescuntur, vt nō tacito suo iudicio condemnent alios: hæc enim contentio forsan eo tempore erat inter recenter conuersos ex Gentilitate, & Iu-

daismo:

Digitized by Google

daismo: Sicq; exhortatur ad mutuam concordiam, & pacem. Tandem ostendit nihil commune esse, à quo iam secundum legem Moysis abstinendum sit.

CAPVT XIV.

1 INfirmum autem in fide assu-
mite, non in disceptationibus
2 cogitationum. Alius enim credit
se manducare omnia: qui autem
3 infirmus est, olus mãducet. Is qui
manducat, non manducantẽ non
spernat; & qui non manducat,
manducantem non iudicet: Deus
4 enim illum assumpsit. Tu quis es,
qui iudicas alienum seruum? Do-
mino suo stat, aut cadit; stabit au-
tem: potens est enim Deus statue-
5 re illum. Nam alius iudicat diem
inter diem; alius autem iudicat o-
mnem diem. Vnusquisque in suo
6 sensu abundet. Qui sapit diem,
Domino sapit. Et qui manducat,
Domino manducat: gratias enim
agit Deo. Et qui non manducat,
Domino non manducat, & gra-
7 tias agit Deo. Nemo enim nostrũ
sibi viuit, & nemo sibi moritur.
8 Siue enim viuimus, Domino vi-
uimus: siue morimur, Domino
morimur. Siue ergo viuimus, siue
9 morimur, Domini sumus. In hoc
enim Christus mortuus est, & re-
surrexit: vt & viuorũ, & mortuo-
10 rũ dominetur. Tu aũt quid iudi-
cas fratrẽ tuũ? aut tu, quare sper-
nis

PARAPHRASIS.

EVm autem, qui in fide adhuc in-
firmus est, 1 & putat non li-
cere vesci omnibus cibis, sed obser-
uandum ex parte ritum legis Moysi-
cæ, 2 nolite abiicere, & contemne-
re, nec cum eo altercationibus 3 dis-
putationum contendatis de hac re, sed
eius infirmitatem boni consulite, nec
vllam ei detis offensionem: sunt enim
aliqui, qui 4 putant licere sibi vesci
omnibus, & hi iam firmiores in fide
sunt putantes non obseruandam in
hoc legem Moysis: alij verò, qui non-
dum in fide Christi firmum habent
fundamentum, solum manducant 5
olera, & alia huiusmodi, quæ lege
nullo modo prohibita sunt, credentes
non licere aliis vesci. Qui sanè omnes
ita se inuicem gerere debent, vt ille,
qui vescitur quibuslibet, quod subla-
tam nouerit legem Moysis, non con-
temnat infirmiorem, qui putat ab-
stinendum esse à cibis in lege prohi-
bitis: nec illi vllam det occasionem
offensionis; qui verò non audet om-
nibus vesci sine discrimine, & putat
in hoc obseruandam adhuc legem
Moysis, non temerè iudicet, & indi-
gnè ferat eum, qui omnibus vescitur:
6 nam & illum per gratiã Euangelij

nis fratrem tuum? Omnes enim
ſtabimus ante tribunal Chriſti.
11 Scriptum eſt enim: Viuo ego,
dicit Dominus, quoniam mihi
flectetur omne genu; & omnis
lingua confitebitur Deo. Itaque
12 vnuſquiſq; noſtrum pro ſe ratio-
13 nem reddet Deo. Non ergo am-
plius inuicem iudicemus; ſed hoc
iudicate magis, ne ponatis offen-
14 diculum fratri, vel ſcandalũ. Scio,
& confido in Domino Ieſu, quia
nihil commune per ipſum, niſi ei
qui exiſtimat quid cõmune eſſe,
15 illi commune eſt. Si enim propter
cibum frater tuus cõtriſtatur, iam
non ſecundum charitatem am-
bulas. Noli cibo tuo illum per-
dere, pro quo Chriſtus mortuus
16 eſt. Non ergo blaſphemetur bo-
17 num noſtrum. Non eſt enim re-
gnum Dei eſca, & potus: ſed iu-
ſtitia, & pax, & gaudium in Spiri-
18 tu Sancto. Qui enim in hoc ſer-
uit Chriſto, placet Deo, & proba-
19 tus eſt hominibus. Itaq; quæ pa-
cis ſunt, ſectemur: & quæ ædifica-
tionis ſunt, in inuicem cuſtodia-
20 mus. Noli propter eſcam deſtrue-
re opus Dei. Omnia quidem ſunt
munda, ſed malum eſt homini,
qui per offendiculum manducat.
21 Bonum eſt non manducare car-
nem, & non bibere vinum, neque
in quo frater tuus offenditur, aut
22 ſcandalizatur, aut infirmatur. Tu
fidem habes? Penes temetipſum
23 habe coram Deo. Beatus qui non
iudi-

in partem ſuam Deus aſſumpſit, &
ſeruum ſuum conſtituit. 7 *Tu ergo*
ſcrupuloſe legis Moyſis obſeruator,
qualis es, qui audeas damnare, & iu-
dicare ſeruum alienum, qui non eſt
ſub tua, ſed Dei poteſtate? ſiue enim
ille peccet, ſiue bene faciat, non in tui
vtilitatem, vel detrimentum, ſed id in
Domini ſui aut obſequium, aut offen-
ſam erit: non ergo licet tibi illum iu-
dicare. 8 *Et ſane faciet Deus, vt il-*
le, qui veſcitur omnibus, non labatur
vtendo libertate ſua ad luxum: id e-
nim Deus facere poteſt. Quemadmo-
dum in cibis, ita & in diebus diſtin-
guendis, & obſeruandis contingit: 9
nam alius quidem, qui eſt infirmior
in fide, Iudaico more adhuc diſcernit
inter diem, & diem, quoſdam feſtos,
& ſolennes obſeruans, alios profanos
ducens. Alius verò, qui firmior eſt in
fide, de omnibus diebus eodem modo
10 *iudicat, & nullum peculiari ra-*
tione ob legem Moyſis obſeruat. In
hac verò materia tam de delectu ci-
borum, & obſeruatione dierum ſe-
cundum legem Moyſis, permittatur
vnuſquiſque iudicio mentis ſuæ duci,
& nullus alterum iudicet, vel offen-
ſioni ſit. Qui diſcernit inter diem pu-
tans legem nondum ſublatam, & ob-
ſeruat ſolennitatem diei, certè hoc in
cultum Dei putat ſe facere: ſimiliter
11 *& qui inter nullum diem diſcri-*
men agnoſcens ex lege Moyſis, omnes
eodem modo obſeruat, Deo etiam ob-
ſequium præſtare putat, & qui veſci-
tur

iudicat semetipsum in eo quod
14 probat. Qui aūt discernit, si manducauerit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.

tur omnibus sine delectu legis Moysis, ad Dei glorificationem sic facit: 12 agit enim gratias Deo quod ad hominis sustentationē condiderit quemlibet cibum: & qui abstinet ab aliquibus cibis, vt carne suilla, & aliis lege prohibitis, in Dei etiam gloriam ab illis abstinet, 13 & gratias agit Deo, priuans se illis, quibus aliàs vesci posset, vt Deo obsequatur, qui alios multos cibos ad vsum hominis reliquit.
14 *Cum ergo nullus nostrum sibi in suam solùm vtilitatem 15 viuat spiritualiter, & bene operetur, sed etiam in Dei obsequium, qui pro diuitiis hanc spiritualem vitam nostram ducit, neque ipse solum damnum patiatur, qui spiritualiter moritur, & peccat; sed Deum etiam offendat, qui mortem spiritualem nostram pro damno habet: & ita 16 siue viuentes spiritualiter, siue morientes in peccato sub Dei potestate, & dominio simus: 17 ad hoc enim Christus mortuus est, vt viuorum, & mortuorum dominetur. Si ergo ita res se habet, non debemus iudicare quenquam, quod malè agat, sed Domino, sub cuius est potestate, illius relinquere debemus iudicium. Tu autem, ô infirme in fide, qui adhuc inter cibos discernis, & dies, quid iudicas fratrem tuum tanquam intemperantem, cum Christus illius Dominus sit? Tu etiam, qui firmior es, cur vilipendis fratrem tuum, & tanquam superstitiosum superbè abiicis? omnes 18 enim sistemur ante tribunal Christi ab eo iudicandi: scriptum est enim Isai.45.* Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo: *cum ergo vnusquisq; nostrum in eo tribunali pro se, non pro alio redditurus sit rationem, in hoc certè inuigilare debet, vt ipse rectè agat, & aliorum vitam Deo iudicandam relinquat.*
19 *Hoc verò tantum rectè iudicet vnusquisque, & decernat, ne præbeat aliis offensionis occasionem, dum vescitur omnibus, ne forsan alij infirmiores deterreantur à fide, quam semel amplexi sunt, putantes illam immundam esse, nec aliis præbeat scandalum, ad hoc forsan inducens infirmiores, vt contra conscientiam vescantur omnibus. Ego sanè scio, 20 & confido fretus bonitate Christi Iesu, nullum cibi genus 21 immundum, aut vetitum esse beneficio, & gratia ipsius Christi, nisi ei, qui existimat aliquid commune esse; huic enim cibus immundus erit, vt vesci illo sibi non liceat propter conscientiam erroneam. 22 Quod si aduertis tu, qui in fide firmior es, fratrem tuum ex vsu cibi in animi tristitiam coniiciendum, nec ab illo abstines, consequens est, te curam non habere fraternæ charitatis. Noli quæso vsu cibi, tam parui pretij, & valoris causa esse perdendi fratrem, quem tanti Christus fecit, vt pro illo*

 mortem

*mortem obierit. 23 Vos ergo, qui firmiores estis in fide, & rectè credititis,
nihil immundum iam esse post Christi Euangelium, obsecro, ne vestra liberta-
te vescendi omnibus indifferenter occasionem detis infirmioribus, vt blasphe-
metur 24 fidei vestræ perfectio, qua rectè quidem iudicatis licitum esse per
Christum omnibus antea vetitis in lege Moysis vesci: alij enim ignorantes,
& imperfecti detestabuntur hanc vestræ conscientiæ libertatem, cum tamen
aliàs bona sit: 25 ne ergo pro re vili, qualis est cibus, & potus occasio-
nem detis infirmioribus: 26 neque enim cibus & potus res tanti pretij
est, vt in ea sit regnum Dei, sed potius est in iustitiæ obseruatione, & exer-
citio virtutis, & in tranquillitate inter fratres conseruanda, & in gaudio, &
lætitia, quæ ex hac pace fraterna oritur cum Spiritus Sancti gratia. Itaque
non vrgeamus nimium ea, quæ ad libertatem hanc nobis per Christum con-
cessam pertinent, si ex his occasio datur offensionis, & discordiæ; sed ea po-
tius, quæ ad pacem, mutuamque ædificationem spiritualem pertinent, diligen-
ter sectemur. Et propter esum ciborum, à quibus liberè abstinere potestis, ne
alios offendatis: nolite infirmioribus esse causa, & occasio, 27 vt fidem,
& pietatem, quas Dominus in ipsis operatus est, relabentes ad Iudaismum
amittant. Sic quidem res se habet, sicut iam dictum est, vt omnes cibi mundi
sint, quibus liceat indifferenter vesci, non obstante lege Moysis: ei tamen,
qui esu suo futurus est offensionis occasio infirmioribus, indifferenter om-
nibus vesci non licet; imò quamuis aliàs indifferens omnibus sit, vesci 28
quibusuis carnibus, & bibere vinum; abstinere tamen ab illis, ne frater scan-
dalizetur, bonum est, & Deo acceptum. 29 At obiicies mihi dicens: ego
quidem credo secundum libertatem Euangelicam licitum esse vesci indiffe-
renter cibis, quibus non licebat antea per legem Moysis. Ego verò tibi 30 re-
spondeo, si tu hanc fidem, & conscientiæ verum dictamen habes, illud retine
apud te, & illo vtere, tantum Deo, & bona conscientia testibus contentus:
31 non tamen iactites in publicum, & illo vtaris cum aliorum turbatione.
Beatus sane ille est, qui 32 in rebus dictis, quas agere statuit, & decernit, li-
bera, 33 & bona conscientia procedit, non putans ea prohibita esse. 34
Sic ergo tu conscientia tua, si ea vtaris, vt dixi, beatus eris: contra verò, qui
putat 35 discernendos esse cibos secundum legem Moysis ita iudicans, ni-
hilominus manducauerit, damnationem incurret: 36 quia non co-
medit ex fide, & opinione, quod liceat illis vesci: omne au-
tem, quod fit non ex fide, & opinione, quod
sit licitum, peccatum est.*

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. Infirmum in fide appellat iuxta id, de quo disputaturus est in hoc capite, eum, qui putat non licere omnibus cibis vesci, sed obseruandam legem Moysis in ciborum delectu.

2. Verbum, quod vulgatus vertit *assumite,* in Græco est προσλαμβάνεσθε, quod est: non abiiciatis, sed ad vos sumite, hoc est, ne contemnatis dantes ei offensionem, manducando scilicet quæcunque etiam lege Moysis vetita sunt.

3. Quod noster vulgatus transtulit *cogitationum,* in Græco est λογισμῶν, alii verò legunt διαλογισμῶν, quod significat cogitationem intellectus: sumitur autem hic cogitatio pro eo, quod est disputatio, quæ fit per discursum, & rationem.

4. Credit se manducare, idem est, quod existimat, vel credit sibi licitum esse manducare, qui modus loquendi insolens est tam Græcis, quàm Latinis, & in eodem sensu accipit infra nomen fidei, vt videbimus.

5. Per *olus,* intelligit Paulus omnia etiam alia, quæ non erant lege interdicta.

6. Videtur Apostolus respexisse ad Charismata, quæ visibiliter tunc conuersis ad fidem conferebantur, vnde probat Gentiles iam conuersos, qui omnibus vescebantur sine delectu legis Moysis, in partem Dei esse ascitos.

7. Hic putat Chrysostomus, & alij Paulum conuertere sermonem ad eum, qui est liberæ conscientiæ; sed contextui magis consentaneum est, vt loquatur ad scrupulosum obseruatorem legis in delectu ciborum, cum supra dixerit: *Qui non manducat, manducantem non iudicet* Reddit ergo rationem, cur non debeat iudicare manducantem, scilicet quia est sub Dei potestate, vt illius seruus.

8. Quidam hæc verba, & totum numerum præcedentem interpretantur non de scrupuloso obseruatore ciborum, sed de eo, qui liberæ conscientiæ est, sed nos è contrario vtrobique.

9. Particula *nam,* in Græco est μὲν, hoc est, *quidem,* & est continuantis particula: hoc autem modo fluit facile contextus: difficile enim intelligi potest, cuius causam reddat particula illa *nam,* nisi suppleamus illud *quemadmodum,* quod num. præcedenti addidimus.

10. Idem verbum *iudicare,* est in hac periodo, & in præcedenti, & tamen in illa significat discernere: quia addidit Paulus *inter diem, & diem:* iudicare verò inter vnum, & alium, est idem, quod discernere inuicem: cum verò dicit in hac vltima periodo *omnem diem,* contrarium

Digitized by Google

trarium significat,nempe nullum diem ab alio discernere, sed eodem modo de omnibus diebus iudicare.

11. In textu solum habetur illud, *qui sapit diem*; sed verba hæc ad vtrumque, de quo antea locutus est Paulus, referenda videntur, tam ad eum, qui discernit diem, quam ad eum, qui non discernit,cum vnum alteri hic non opposuerit, sicut edenti opposuit non comedentem.

12. 13. Vtrobique illud, *gratias agit Deo*, aliqui referunt, non tantum ad beneficium creationis, quo Deus prouidit cibaria hominibus, sed etiam ad gratiam Christi,diuerso tamen modo: nam num. 12. ad gratiam Christi, quia abstulit legem Moysis, at verò in num. 13. ad legem Christi: quia dedit virtutem abstinendi à cibo ad obseruandam legem, quam eo vsque illi putabant in hoc seruandam. Ego puto ad solam cibariorum prouisionem respicere illud *gratias agit*, eo modo, vt in paraphrasi.

14. Hic ponitur causalis, quæ non potest ad proxime præcedentia referri, sed ad id, quod dixerat numero 7. videlicet non esse iudicandum proximum, quod ille sit seruus alienus, scilicet Dei: propterea addidimus aliqua, vt rursus induceremus confirmationem illam Apostoli.

15. Vitam, & mortem aliqui recentiores referunt ad corporalem tantum, ratione cuius Deus est omnium Dominus, sed melius Patres Græci referunt ad spiritualem, & hoc pacto prosequitur Paulus id, quod supra proposuerat, & optime confirmat: illo vero modo ratio illius vix quidquam probaret.

16. Quando dicit, *siue viuimus, siue morimur, Domini sumus*: cum loquatur de vita, & morte spirituali, intelligit Paulus, non quidem nos esse Dei amicos vtroque modo, eo quod dicat *Domini sumus*, sed sub Dei esse potestate,vt ab eo iudicari debeamus.

17. Christum dominari viuorum,& mortuorum, est esse iudicem supremum,qui præmio,& pœna afficiat. Vnde Ioannes 5. *Dedit ei iudicium facere,quia filius hominis est.*

18. Causalis illa rationem reddit eius, quod subintellectum est illis duabus interrogationibus,videlicet, *nulla sanè est ratio*, quod rectè probat ex eo, quod à Christo pro tribunali sedente omnes iudicandi simus.

19. Idem verbum *iudicate*, quo antea vsus fuerat, repetit figuratè in alio sensu, videlicet, vt iam desinant inuicem iudicare temerariè se ipsos,sed potius iudicent,quomodo aliis nullam prębeant offensionem. Quidam verò cum Chrysostomo putant Paulum ad omnes loqui, sicut supra dixerat ad omnes: *non amplius inuicem iudicemus*, &c. Sed alii melius

Digitized by Google

melius hæc omnia solum referunt ad eos, qui firmiores erant in fide, & omnibus cibis vescebantur, quod indicant ea, quæ sequuntur.

20. In Græco est πέπεισμαι, quod Chrysost. interpretatur πληροφορέω, hoc est, persuasus sum, & dicit vsum Apostolum duabus vocibus ad maiorem rei asseuerationem. Interpres noster transfert (& merito sanè) *confido*, id quod verbum ipsum significat: sed recentiores aliqui putant hic non significare summam certitudinem, sed esse mitigantis id quod dixerat, in quem sensum videtur accipere Ambrosius, sed reuera magis congruit asseuerationi Apostoli, vt significet certitudinem, sicut ad Rom. 8. *Certus sum enim quia neq; mors, &c.*

21. Commune hoc loco dicitur, quod immundum erat, quia communis cibus dicebatur, quo vescebantur communiter Gentiles, quos immundos dicebant esse Iudæi: ideo communis cibus idem est, quod immundus.

22. In textu Latino ponitur particula *enim*, quæ in sensu causali accommodari posset, non ad ea, quæ proximè; sed quæ paulò ante præcesserunt: in Græco tamen non est particula causalis, sed continuatiua δὲ, hoc est, *verò*, vel *autem*.

23. Cum dicit: *Non ergo blasphemetur, &c.* non ad infirmiores conuertit sermonem, sed ad firmiores, & cum dicit, *non blasphemetur*, idem est, ac si dicat, ne detis occasionem, vt blasphemetur.

24. *Bonum nostrum*, aliqui interpretantur Religionem Christianam & putant hic Apostolum ad omnes loqui, tam infirmos, quam firmiores in fide, ne scilicet dent occasionem suis dissensionibus, vt blasphemetur religio Christiana à Gentilibus; sed Chrysostomus, & Greci interpretantur, vt in paraphrasi, & magis congruit hic sensus verbis Pauli.

25. Totum hunc numerum suppleuimus; cuius reddere videtur causam Apostolus num. 26. hoc enim præcipue exhortatur, ne offensionem vllam præbeant sua libertate, & ad hoc inducit illud, quod sequitur.

26. Cum dicit, *Non est regnum Dei esca & potus*, idem est, ac si dicat, non est regnum Dei positum in vescendo quibusuis cibis, nec in bibendo quocunque potu cum libertate, sed in hoc, ne aliis detur offensio: cum enim vesci omnibus, & bibere indifferenter non esset in præcepto, sed solùm liberum, nec iam lex Moysis ad vllam in hoc obseruationem obligaret, optimè dicit: *Non est regnum Dei*, hoc est, sanctificationis, & gratiæ positum in vescendo liberè iis omnibus cum libertate, quia his vti non est ad salutem necessarium, sed iustitia, &c. hoc tamen non obest, quominus lege Ecclesiæ quædam cibaria aliquibus diebus iure optimo vetita sint. Quidam ita interpretantur, vt quamuis in his

sit aliquid regni cœlorum, tamen non sit potissima pars, quorum interpretatio mihi non placet.

27. Opus Dei appellat vel ipsos conuersos ad fidem, qui infirmiores erant, vel ipsorum spiritualem pietatem, & fidem.

28. Loquitur Apostolus de omnibus carnibus in genere, quæ non prohibebantur in lege Moysis, & non tantum de suilla, vt ita ostendat bonum esse abstinere etiam ab esu carnis vetitæ in lege Moysis, ob illum finem non scandalizandi fratrem.

29. Totum istum numerum addidi ad exprimendam obiectionem, cui Paulus tacitè occurrit illis verbis, *Tu fidem habes, &c.*

30. Sequitur responsum ad obiectionem illis verbis: *Tu fidem habes:* aliqui codices addunt, *Tu fidem, quam habes,* sed particula *quam,* non habetur in Græco, nec in vulgata emendata, & sermo viuidior est sine illa.

31. Aliqui putant hic Paulum admonere firmiores illos, ne publicè prædicarent libertatem illam ciborum, qua prædicatione erant infirmioribus scandalum, sed Paulus non tam ad prædicationem, quam ad vsum ipsum publicum videtur attendisse.

32. Particula *in eo, quod probat,* significat, vt in paraphrasi, res licitas, quas quis facere decernit.

33. Non iudicare idem est, quod bona conscientia procedere.

34. Totum hunc numerum addidi, vt applicarem doctrinam superiorem ad eos, cum quibus loquebatur Paulus.

35. Verbum *discernit,* non significat actionem discernendi, sed opinionem, quòd sint cibi discernendi, & non sit licitum vesci sine discrimine, sicut in num. 4. *Credit se manducare omnia,* significat, putat se licitè posse omnibus vesci, vt ibi explicauimus.

36. Fides hoc loco accipitur pro opinione conscientiæ, qua quis putat sibi aliquid licere, sicut num. 4. dicitur, *credit se manducare,* qui putat sibi licere: illud ergo est peccatum, quod non est ex hac credulitate, sed opposita. Vnde non placet expositio Augustini, de qua satis 1. 2. disputat. 59. cap 2. & quæst. 109. art. 2.

Annotatio circa totam materiam huius Capitis.

DVbitatio est circa totam materiam huius capitis, quare permittat Paulus Romanis recenter ad fidem conuersis, vnumquemque iudicio suo duci in obseruationem legis, cum tam acriter contra Galatas inuehatur tota illa epistola, quòd obseruarent circuncisionem, & alias legis ceremonias. Aliqui recentiores respondent, in alio errore fuisse Galatas, quàm Romanos: quod illi putarent se iustificari apud Deum

Deum per obseruationem legis Mosaicæ,& ita, quod præcipuum erat in passione Christi,legalibus adscriberent,& Romani solum putabant ceremonialia obseruanda esse tanquam præcepta à Domino,non quia peculiarem haberent vim iustificandi. Mihi difficilis satis videtur solutio hæc,quia non satis constare potest,Galatas putasse legalia habere vim ex se iustificandi sine meritis, & passione Christi per fidem, quia vtrumque simul dicebant necessarium esse. Quare ceremonialia non alio modo,quàm vt præcepta videbantur velle retinere. Facilior solutio est, si dicamus primum Galatis iam satis declaratum fuisse, legem Moysis non esse amplius in ceremonialibus seruandam; Romanis verò non item: paulatim enim Apostoli prædicatione sua legalia abrogarunt,concedentes ad tempus licentiam illorum, quod vt notaui 1. 2. in quęstione de hac re,ita fuit licitum,& expediens Euangelicæ prædicationi. Ad hæc Galatæ non solum vtebantur legalibus tanquam infirmiores in fide, sed Pseudo Apostoli ipsorum dogmatizabant publicè contra Pauli doctrinam, qui Euangelica libertate illis prædicauerat,necessarium esse seruare legalia, & ideo oportuit eos acriter reprehendere, nec vllo modo permittere legalia: vtebantur verò & legalibus,quæ mere ceremonialia erant, & nihil moralis, aut iudicialis habebant,qualis erat circuncisio. Aliter verò Romani, ij enim solum bona fide putantes adhuc eos ex parte teneri lege, aliqua illius obseruabant, nēpe ea quæ aliquo modo ad mores potius, quàm ad puram ceremoniam spectare videbantur,videlicet ad cultum religiosum dierum,& abstinentiam: vnde nec circuncisionem,nec alia,quæ purè ceremonialia videbantur,vt baptismata,& lotiones retinebant. Fuit ergo necessarium reprehendere Galatas de hac sua Iudaica professione, cum Romanis verò infirmioribus mitius agere: sicut etiam Apostoli in Concilio Hierosolymitano concesserunt,imò præceperunt, vt abstinerent à suffocato,& sanguine.

ARGVMENTVM
CAPITIS XV.

PRosequitur id, quod proposuerat superiori capite: ferendos videlicet esse infirmos, & proximo potius, quàm nobis esse placendum exemplo Christi, qui potius

Patri, quàm sibimet ipsi placuit. Excusat deinde se Paulus, quod liberius ad eos scribat ob confidentiam Christi, & pollicetur se ad eos venturum. Postulat denique adiuuari ipsorum orationibus, vt euadat pericula infidelium, & eius ministerium acceptum sit sanctis, & Christianis hominibus.

CAPVT XV.

1 DEbemus autem nos firmio-
res imbecillitates infirmo-
rum sustinere, & non nobis pla-
2 cere. Vnusquisq; vestrum proxi-
mo suo placeat in bonum, ad ædi-
3 ficationem. Etenim Christus non
sibi placuit, sed sicut scriptum est;
Improperia improperantium ti-
4 bi ceciderunt super me. Quęcun-
que enim scripta sunt, ad nostram
doctrinam scripta sunt, vt per pa-
tientiam, & consolationem scri-
5 pturarum spem habeamus. Deus
autem patientiæ; & solatij det vo-
bis idipsum sapere in alterutrum
6 secundum Iesum Christum: vt v-
nanimes vno ore honorificetis
Deum, & Patrem Domini nostri
7 Iesu Christi. Propter quod susci-
pitę inuicem, sicut & Christus sus-
8 cepit vos in honorem Dei. Dico
enim Christum Iesum ministrum
fuisse circuncisionis propter ve-
ritatē Dei, ad confirmandas pro-
9 misiones patrum: Gentes au-
tem super misericordia honorare
Deum,

PARAPHRASIS.

DEbemus autem nos, qui magis instructi sumus in doctrina Euangelica opitulari imbecillibus, & eorum infirmitatem ferre, 1 *& non nostris seruire commodis, & voluntati. Vnusquisque vestrum morem gerat proximo suo non ad noxias cupiditates, sed in bonum, vt infirmus ædificetur, & crescat in spiritu. Atque ad hoc studium erga fratres debet nos prouocare Christi capitis nostri exemplum, qui non suæ inseruiuit vtilitati, sed suo incommodo nostro commodo consuluit, sicut scriptum est Psal. 68.* Improperia improperantium tibi ceciderunt super me: 2 *hoc est, peccata humani generis, quibus tibi iniuria irrogata est, mihi imposita suscepi, vt pro eis debitas pœnas luerem. Omnia vero, quæ in scriptura veteri scripta sunt, ad nostræ vita instructionem scripta sunt, vt* 3 *exemplo eorum, quos scriptura commemorat aduersas res forti, & patienti animo tolerasse, & rursus exemplo conso-*

Deum, ſicut ſcriptum eſt: Pro-
pterea confitebor tibi in Genti-
bus Domine, & nomini tuo can-
10 tabo. Et iterum dicit: Lætamini
Gentes cum plebe eius. Et iterũ:
11 Laudate omnes Gentes Domi-
num, & magnificate eum omnes
12 populi. Et rurſus Iſaias ait: Erit
radix Ieſſe, & qui exurget regere
Gentes, in eum Gẽtes ſperabunt.
13 Deus autem ſpei repleat vos om-
ni gaudio, & pace in credendo: vt
abundetis in ſpe, & virtute Spiri-
14 tus ſancti. Certus ſum autem fra-
tres mei & ego ipſe de vobis, quo-
niam & ipſi pleni eſtis dilectione,
repleti omni ſcientia, ita vt poſſi-
15 tis alterutrum monere. Audacius
autem ſcripſi vobis fratres ex par-
te, tanquam in memoriam vos re-
ducen-, propter gratiam, quæ da-
16 ta eſt mihi à Deo, vt ſim miniſter
Chriſti Ieſu in Gentibus, ſanctifi-
cans Euangelium Dei, vt fiat ob-
latio Gentium accepta, & ſancti-
17 ficata in Spiritu ſancto. Habeo i-
gitur gloriam in Chriſto Ieſu ad
18 Deum. Non enim audeo aliquid
loqui eorum, quæ per me non ef-
ficit Chriſtus in obedientiã Gen-
19 tium, verbo, & factis; in virtute
ſignorum & prodigiorum, in vir-
tute Spiritus Sancti: ita vt ab Ie-
ruſalem per circuitum vſq; ad Il-
lyricum repleuerim Euangelium
20 Chriſti. Sic autem prædicaui Eu-
angelium hoc, non vbi nomina-
tus eſt Chriſtus; ne ſuper alienum
fun-

conſolationis, quæ illis in aduerſis conſtitutis, & ad implorandam Dei opem confugientibus contigiſſe fertur, nos ipſi quoq; patienter tolerare aduerſa diſcamus; & firmiſſimã ſpem & fiduciam conſolationis concipere, quam nobis Dominus in aduerſis conſtitutis impertietur. Deus autem, qui eſt autor patientiæ, & largitor conſolationis det vobis gratia ſua, 4 vt hoc ipſum, quod de patientia in aduerſis dixi, vnuſquiſq; veſtrum erga alium ita ſentiat ex corde, & obſeruet, vt omni contentione depoſita patienter alterius ferat infirmitatem, & imperfectionem; & alterius potius, quàm ſuo commodo inſeruiat, vt ſic vnanimes, quaſi vno communi ore laudetis, & honorificetis Deum, nulla lite, & contentione diuiſi. 5 Propter quod vnus alium ſuſcipiat, & foueat quantumuis infirmum, & ſibi moleſtum: 6 ſicut & Chriſtus nos aſſumpſit in locum filiorum, noſtra omnium peccata in ſe luenda ſuſcipiens 7 in Dei gloriam & honorem. 8 Dico Chriſtum aſſumpſiſſe nos: ipſe enim non tantum miniſterio functus eſt apud Iudæos docendo, & ſanando, &c. vt oſtenderet Deum veracem in promiſſis, qui ei populo Chriſtum promiſerat; ſed etiam dico Deum à Gentibus laudatum, & honorificatum propter miſericordiam ipſis non promiſſam, ſed factam, ſicut ſcriptum eſt, &c. Ita vtrumque populum Chriſtus in vnum coniungens omnes tam

21 fundamentum ædificarem : Sed
sicut scriptum est: Quibus non est
annunciatum de eo, videbunt: &
qui non audierunt de eo, intelli-
22 gent. Propter quod impediebar
plurimum venire ad vos: & pro-
23 hibitus sum vsque adhuc. Nunc
verò vlterius locum non habens
in his regionibus, cupiditatem
autem habens veniendi ad vos, ex
multis iam præcedentibus annis;
cum in Hispaniam proficisci cœ-
24 pero, spero quod præteriens vi-
deam vos, & à vobis deducar il-
luc, si vobis primùm ex parte frui-
tus fuero. Nunc igitur profici-
scor in Ierusalem ministrare San-
25 ctis. Probauerunt enim Mace-
26 donia, & Achaïa collationem ali-
quam facere in pauperes Sancto-
rum, qui sunt in Ierusalem: pla-
cuit enim eis, & debitores sunt
27 eorum. Nam si spiritualium eo-
rum participes facti sunt Genti-
les: debent & in carnalibus mini-
28 strare illis. Hoc igitur cum con-
summauero, & assignauero eis
fructum hunc: per vos profici-
29 scar in Hispaniam. Scio autẽ quo-
niam veniens ad vos, in abundan-
tia benedictionis Euangelij Chri-
30 sti veniam. Obsecro ergo vos fra-
tres per Dominum nostrum Ie-
sum Christum, & per charitatem
sancti Spiritus, vt adiuuetis me in
orationibus vestris pro me ad
31 Deum, vt liberer ab infidelibus
qui sunt in Iudæa, & obsequii mei
obla-

Gentiles, quàm Iudæos suscepit. 9
Suscipite ergo inuicem, sicut Christus
suscepit vos omnes. Deus autem, 10
qui est spei nostræ bonum, donet vo-
bis nunc per ænigma credentibus, &
adhuc in ipsum sperantibus gaudi-
um, & pacem Spiritus sancti. Sa-
tis autem persuasum habeo vos ple-
nos esse dilectione erga proximos,
& omni scientia præditos, vt inui-
cem vos commonere possitis; visum
tamen mihi est liberius aliquantu-
lum ad vos scribere commonefacien-
di gratia potius, quam docendi, eo
quod gratiam accepi à Deo, vt sim sa-
cerdos 11 *Iesu Christi in Gentibus,*
& 12 *exerceam meum sacerdo-*
tium, & sacrum ministerium, quod
in Euangelij prædicatione positum
est. 13 *& ita prædicatio Gentibus*
facta, sit Deo acceptabile sacrifi-
cium in Spiritu sancto. Habeo 14
igitur vnde gloriari possim 15 *non*
ex me, sed in Dei ope, & auxilio
16 *per merita Christi mihi colla-*
to. 17 *Habeo ergo magnam occa-*
sionem gloriandi: non 18 *enim su-*
stineo narrare quid est, quod 19 *non*
effecerit per me Christus, vt Gentes
ad obediendum Euangelio perduce-
ret: quid, inquam, non effecerit ver-
bo prædicationis, & 20 *factis si-*
gnorum, & prodigiorum potestate,
& virtute gratiæ Spiritus sancti; ita
vt facto initio prædicationis ab Hie-
rusalem per circumiacentes etiam re-
giones Arabiam scilicet, Damascum,
Antio-

Digitized by Google

oblatio accepta fiat in Ierusalem
32 Sanctis: vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refri-
33 gerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen.

Antiochiam vsque ad Illyricum, quæ est extrema pars Macedoniæ, disseminauerim cum fructu Christi Euangelium, Nec verò ædificaui super fundamentum fidei ab alio prius positũ, sed ego primus illis Euangelium annunciaui, apud quos nec nomen quidem Christi auditũ erat, de quibus dicit Isai. 25. Quibus non est annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt de eo, intelligent: *& hac de causa dum studeo Euangelium per tot, & tantas regiones prædicare, non potui Romam ire,* 21 *sed sæpe iter aggressus detentus sum. Nunc verò cum nullum in his regionibus amplius locum vacuum habeam, in quo non seminauerim Euangelium, & desiderem multis abhinc annis Romam adire, simul atque in Hispaniam proficiscar, in transitu videbo vos, & à vobis deducar illuc, postquam præsentia vestra aliquantulum* 22 *expletum fuerit desiderium meum. Nunc* 23 *verò proficiscor in Hierusalem, vt* 24 *fidelibus pauperibus distribuam eleemosynam: iis enim, qui sunt in Macedonia, & Achaia,* 25 *visum est ex facultatibus suis aliquid communicare fidelibus, qui sunt Hierosolymis, & per manus meas distribui: & sanè huius rei debitores erant; si enim per Apostolos, qui ex Iudæa, & Hierusalem prodierunt, facti sunt Gentiles participes Euangelij, Gentiles ipsi obligati erant bona, quæ ad vsum præsentis vitæ pertinent, illis suppeditare. Cum igitur hoc munus perfecero,* 26 *& obsignatum mihi æs distribuero, per vos transibo in Hispaniam. Scio autem quod cum venero ad vos, cum plenitudine benedictionis, & fructu Euangelij venturus sum; meo enim aduentu admodum proficietis in fide, & scientia. Obsecro igitur vos per Dominum nostrum Iesum Christum, & charitatem, quam Spiritus sancti dono accepistis, vt mecum vnà certetis orando pro me Deum, vt liberet me ab infidelibus, qui in Iudæa sunt, ne ab illis impediar, quominus oblatio, & eleemosyna* 27 *hæc mihi demandata distribui poßit fidelibus Hierusalem, & eis grata esse, vt sic expleto munere meo ad vos veniam, cum gaudio Deo volente, vt refociller, cum videro vestrum in Euangelio profectum. Deus autem, qui est autor pacis, sit cum omnibus vobis, Amen.*

ANNOTATIONES.

1. *Sibi placere*, est suæ vtilitati, & commodo studere, sicut enim qui seruit alterius commodo, illi placet, sic etiam sibimet placere dicitur.

2. Illud Psalm. 68. quod citat Paulus, aliqui sic interpretantur: ego in me transtuli blasphemias, quas homines solent in te Pater iacere, sed melius est in vniuersum de omnibus peccatis interpretari, vt in paraphrasi.

3. Patientia, & consolatio scripturarum dicitur, patientia eorum, quos Scriptura commemorat, & eorundem consolatio.

4. *Sapere in alterutrũ*, aliqui interpretantur pro eo, quod est, idem inter vos omnes sentire; sed illud *in alterutrum*, videtur significare erga alios mutuò sentire, vt in paraphrasi.

5. In Græco idem verbum est, quod initio capitis 14. vbi dicitur, *Infirmum autem in fide assumite*, & hęc est conclusio, quam colligit ex pręcedentibus.

6. Redit ad exemplum Christi, quod initio capitis proposuerat.

7. Illud *in honorem Dei*, aliqui annectunt particulæ proximè præcedenti, alij verò superiori, *sicut Christus suscepit vos.*

8. Erasmus putat hanc esse summam omnium, quæ dixerat Paulus, sed verisimilius est, hoc esse referendum ad proximè præcedens, vt probet Christum assumpsisse nos.

9. Hæc est conclusio tacita, quam deducere, & probare contendit Paulus.

10. Deum spei aliqui interpretantur, qui est autor spei, sicut dicitur Deus pacis, hoc est, autor pacis. Melius dicitur, Deus spei, hoc est, Deus, quem speramus: ipse enim dicitur spes nostra.

11. Græce non est διάκονος, id est, minister, sed λειτουργός, id est, Sacerdos.

12. *Sanctificans Euangelium*, idem est, quod rem sacram operans, quod Græcè est ἱερουργοῦντα, hoc est, exercens sacrum ministerium, quod est, Euangelii prædicatio.

13. Aliqui volunt hostiam acceptabilem esse ipsas Gentes Pauli prę
dicatione ad fidem conuersas, & ita asignant sacrificium huius sacerdotij. Sed cum hic Paulus dicat se non scripsisse hæc, quia ipsi indigerent admonitione, vt eos lucraretur, sed solum, vt exerceret officium prædicationis, ad quod constitutus fuerat gratia Dei Sacerdos, melius hostia, vel Gentium oblatio intelligitur ipsa prædicatio Euangelij in spiritu Gentibus facta, vt in paraphrasi.

14. Particula *igitur*, non est illationis nota, sed continuatiua sermonis.

15. *Ad Deum* idem est, quod apud Deum, qua phrasi vsus est capit. 4. & vtrobique in Græco est πρός, quæ significat *ad*, & *apud*, idem autem est *apud Deum*, quod *Dei virtute*, vt ibi ostendimus.

16. Cum dicit *in Christum*, significat meritum, cuius intuitu auxilium accepit.

17. To-

17. Totum hunc numerum suppleuimus, vt ostenderemus connexionem illius causalis subsequentis.

18. Verbum Græcorum est τολμάω, quod significat etiam teste Budæo *sustineo*, quasi dicat: præ magnitudine rei non sustineo narrare.

19. Modus loquendi Pauli difficilis est: videtur enim hic sensus: Non audeo narrare aliquid ex multis, quę non effecit Christus per me ipsum, quasi aliquid non effecerit Christus per me ipsum: cum tamen contrarium significare velit, scilicet nihil nō effecisse, & ita inquit: *Non audeo dicere, quid non effecerit Christus*, hoc est, quomodo nihil prætermiserit. Et hic modus loquendi apud Hispanos ad idem significandum, quod Paulus significare voluit, frequens est.

20. Facta aliqui referunt ad mores, non ad prodigia, & miracula; sed cum opponat *verbo* melius intelliguntur facta miraculorum, & signorum, quibus suasit Euangelium.

21. Cum dicit, *prohibitus sum vsque adhuc*, explicat id, quod dixerat capit. 1. verba autem hæc in Græco non habentur, habentur tamen in vulgata emendata.

22. Græce est ἐμπλησθῶ, à verbo πλήθομαι, quod significat expleri, & ad literam est: Si tamen vobis primum expletus fuero.

23. Particula *igitur*, ibi habet vim continuandi, ideò interpretati sumus *verò*.

24. Sanctos appellat fideles, & ita infra eodem modo Sanctos pauperes, fideles pauperes intelligit: sic capit 1. *vocatis sanctis*.

25. *Probauerunt*, idem est, quod placuit illis: in Psalm. *Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius*, in Græco dicitur, *quoniam probauerunt serui tui lapides eius*. Iterum autem id repetit infra, cum dicit, *placuit enim eis*, quod nos in paraphrasi omisimus.

26. Vox Græca σφραγισάμενος significat *obsignatum tradidero*, ex quo intelligitur eam eleemosynam fuisse in pecunia obsignata: appellat autem fructum teste Chrysostomo, vt significet, eam multum profuisse ipsis largitoribus.

27. Oblationem obsequij sui dicit eleemosynam sibi demandatam, est enim eleemosyna quoddam genus oblationis.

CAPVT XVI.

Caput hoc non illustrauimus paraphrasi, quòd litera Pauli satis perspicua sit, sed quædam notare placuit circa illud.

Digitized by Google

1 COmmendo autē vobis Phœ-
ben ſororem noſtram, quæ
eſt 1 in miniſterio Eccleſiæ, quæ
2 eſt in Cenchris: vt eam ſuſcipiatis
in 2 Domino dignè ſanctis: &
aſsiſtatis ei, in quocunq; negotio
veſtri indiguerit; etenim ipſa quo-
3 que aſtitit multis, & mihi ipſi. Sa-
lutate Priſcam, & Aquilam adiu-
tores meos in Chriſto Ieſu (qui
4 pro anima mea ſuas ceruices ſup-
poſuerunt: quibus non ſolus ego
gratias ago, ſed & cunctæ Eccle-
ſiæ Gentium) 3 & domeſticam
5 Eccleſiam eorum: ſalutate Epæ-
netum dilectum mihi, qui eſt pri-
mitiuus Eccleſiæ Achaiæ in Chri-
6 ſto Ieſu. Salutate Mariam, quæ
7 multum laborauit in nobis. Salu-
tate Andronicum, & Iuniam 4
cognatos, & concaptiuos meos:
qui ſunt 5 nobiles in Apoſtolis,
qui & ante me fuerunt in Chriſto.
8 Salutate Ampliatum 6 dilectiſsi-
mum mihi in Domino: ſalutate
9 Vrbanum adiutorem noſtrum in
Chriſto Ieſu, & Stachyn dilectum
10 meum. Salutate Appellen probū
11 in Chriſto Ieſu. Salutate eos qui
ſunt ex Ariſtoboli domo. Salutate
Herodionem cognatum meum.
12 Salutate eos, qui ſunt ex Narciſsi
domo, qui ſunt in Domino. Sa-
lutate Tryphænam, & Trypho-
ſam, quæ laborant in Domino.
Salutate Perſidem chariſſimam,
quæ multum laborauit in Domi-
13 no. Salutate Rufum electum in
Domino, & matrem eius, & me-
am. Salutate Aſyncritum, Phle- 14
gontem, Hermam, Patrobam,
Hermen, & qui cum eis ſunt,
fratres. Salutate Philologum, & 15
Iuliam, Nereum, & ſororem e-
ius, & Olympiadem, & omnes,
qui cum eis ſunt, ſanctos. Salu- 16
tate inuicem in oſculo ſancto.
Salutant vos omnes Eccleſiæ
Chriſti. Rogo autem vos fra- 17
tres, vt obſeruetis eos, qui diſſen-
ſiones, & offendicula præter 7
doctrinam, quam vos didiciſtis,
faciunt: & declinate ab illis. Hu- 18
iuſmodi enim Chriſto Domino
noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ven-
tri: & per dulces ſermones, & 8
benedictiones ſeducūt corda in-
nocentiū. Veſtra 9 enim obediē- 19
tia in omni loco diuulgata eſt.
Gaudeo igitur 10 in vobis. Sed
volo vos ſapientes 11 eſſe in bo-
no: & ſimplices in malo. Deus 20
autem pacis conterat 12 Sata-
nam ſub pedibus veſtris veloci-
ter. Gratia Domini noſtri Ieſu
Chriſti vobiſcum. Salutat vos Ti- 21
motheus adiutor meus: & Lu-
cius, & Iaſon, & Soſipater cogna-
ti mei. Saluto vos ego Tertius, 22
qui ſcripſi epiſtolam in Domino.
Salutat vos Caius 13 hoſpes me-
us, & vniuerſæ Eccleſiæ. Salutat 23
vos Eraſtus 14 arcarius ciuita-
tis, & Quartus frater. Gratia Do- 24.
mini noſtri Ieſu Chriſti cum om-
nibus vobis, Amen. Ei autem, 25
15 qui potens eſt vos confirma-
re 16 iuxta Euangelium me-
um.

Digitized by Google

rum, & prædicationem Iesu Christi, secundum 17 reuelationem mysterii temporibus 18 æternis taciti, (quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum secundum præceptũ æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, soli sapienti Deo, per Iesum Christum, cui honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATIONES.

1. *Ministra* Græcè est διάκονος, variè tamen exponi solet. Græci cum Chrysostomo existimant fuisse nomen dignitatis in Ecclesia, alij verò cum S. Thom. censent dictam fuisse, in ministerio esse, quia ministrabat bona sua pauperibus Ecclesiæ.

2. *In Domino*, idem est, quod per Dominum, nam particula *in*, sæpe in Scriptura significat *per*, vt in Epistola ad Ephes. dicemus, vbi *in Christo*, idem est, quod per Christum.

3. *Domesticam Ecclesiam*, idem est, quod congregationem domus suæ, nempe totam domum.

4. Cognatos vocat, quia erant ex gente Iudæorum.

5. *Nobiles in Apostolis* significat, aut inter Apostolos, aut iudicio Apostolorum insignes.

6. *Electum in Domino*, vocat eximium religione apud Deum.

7. *Præter doctrinam*, Græce est παρὰ τὴν διδαχὴν, & denotat contra doctrinam: nam παρὰ significat etiam *contra*, quo sensu accipi ab Aristotele frequenter notaui 1. 2. distinct. 25. cap. 3.

8. *Benedictiones*, Græcè est εὐλογίας, quidam putant idem benedictiones, & dulces sermones, nempe adulationes: & ita hac forte ratione illud *benedictiones*, non interpretatur Chrysostomus. Alij per *benedictiones* intelligunt promissiones magnificas.

9. Particula *enim* reddit causam: difficile autem est, cuiusnam causam reddat. Aliqui cum Chrysostomo putãt esse occupationem, ac si diceret: Hæc quæ dixi de erroribus, nihil ad nos pertinent: nam vestra obedientia, &c. potest etiam referri ad illud, Rogo vos fratres, vt obseruetis: nam vt dixi in 1. c. num. 12. causalis particula apud Paulum, non semper refertur ad proximè, sed ad remotè præcedentia, & sensus erit, ideo rogo vos fratres, vt obseruetis eos, quia vestra obedientia in omni loco nota est: ne igitur eam amittatis auscultantes eos, qui contraria prædicant, dixi vt prudenter eos auscultetis. Id autem, quod subiungit, hunc sensum planè indicat, cum ait, *Gaudeo in vobis, sed volo vos sapientes in bono, & simplices in malo*, ac si diceret: gaudeo de vestra obedientia, sed desidero vos esse cautos, vt eam obseruetis, quia facilitas obediendi solet esse obnoxia fraudi.

Digitized by Google

10. *In vobis*, Græcismus est significans idem, quod de vobis.

11. *Sapientes in bono, & simplices in malo*, alludit ad doctrinam Christi apud Matth. cap. 10. *Estote prudentes, sicut serpentes*, nempe ad bonum, supple, discernendum à malo, ne facile sub specie boni ab aliis decipiamini, *& simplices, sicut columbæ*, nempe ad malum, supple, dissimulandum sub specie boni, hoc enim non est prudentiæ, sed dissimulationis mendacis, & in hoc cupit eos assimilari columbæ, quæ nihil mali dissimulare solet, & in illo priori serpenti, qui insidias sibi paratas callide discernit.

12. *Sathanam*, intelligit quemcunque autorem falsæ doctrinæ, ex qua dissensio oritur in Ecclesia.

13. *Hospes meus, & vniuersa Ecclesia*, Græcè est: *& vniuersæ Ecclesiæ*, vt sensus sit, qui me, & vniuersam Ecclesiam hospitio recipit: sic etiam legunt aliqui codices vulgati, sed emendata legit: *Et vniuersa Ecclesia*, & sensus diuersus est, nempe hospes meus, & vniuersi fideles salutant vos.

14. *Arcarius*, Græcè est οἰκονόμος, hoc est, œconomus, & dispensator.

15. *Ei autem, &c.* hyperbaton est, vt sensus sit, ei autem, qui potest vos in cœpto confirmare iuxta id, quod ego annunciaui vobis, qui est solus sapiens Deus, per Iesum Christum, honor, & gloria in secula seculorum. Nec obstat nomen *cui*, quod in omnibus codicibus est, quia redundat more Scripturæ, vt in Psalm. 121. *Cuius participatio eius in idipsum*, redundat autem, *cuius*, aut *eius*; quare non opus est supplere aliquid, vt aliqui faciunt existimantes esse sensum etiam ecclipticum, cui aliquid desit: supplent autem in hunc modum, ei autem, &c. gratias agimus, cui honor, & gloria, &c.

16. Particulã *iuxta*, aliqui interpretantur *in*, vt sensus sit, qui potest in Euangelio confirmare: sed non oportet mutare particulam, & sensus optime congruit, sicut numero præcedenti diximus, quia Paulus sæpius annunciauerat, confirmationem in bono à Domino esse.

17. *Secundum reuelationem*, aliqui interpretantur *in reuelatione*.

18. *Temporibus æternis*, idem est, quod toto tempore ab orbe condito, vt notaui 1. part. disputat. 33. capit. 2.

PARA-

PARAPHRASIS, ET ANNOTATIONES IN EPISTOLAM B. PAVLI AD GALATAS.

ARGVMENTVM TOTIVS EPISTOLAE.

SVNT qui putent idem esse institutum huius epistolæ, & eius, quæ est ad Romanos: & in vtraque duo tractari; alterum, iustificationem ex fide prouenire, non ex lege: hoc est, ex ceremoniis, quæ lege veteri præcipiebantur: alterum eos, qui ex spiritu fidei sunt iustificati, liberos esse ab obseruatione ceremoniarum ipsius legis. Horum tamen sententia mihi non probatur: vt enim iam satis constat ex Epistola ad Romanos, nihil in ea Paulus curat de

Digitized by Google

ceremoniali obſeruatione antiquæ legis; ſed vbicunque mentionem facit legis in ea Epiſtola, loquitur de quacunq; etiam morali lege Decalogi, à cuius obſeruatione nō liberatur, qui iuſtificatus eſt. Cum verò in ea Epiſtola docet iuſtificationem non prouenire ex lege: non contendit ex ceremoniis legis non iuſtificari aliquem; ſed ex ſola litera legis, & notitia illius ſine ſpiritu fidei adiuuante ad illius obſeruationem, hominem non iuſtificari. In hac verò epiſtola præcipue de ceremonialibus loquitur: cum enim Galatæ ſeducti eſſent à quibusdam Pſeudo Apoſtolis, vt poſt Baptiſmum retinerent antiquas Iudæorum ceremonias: & eas neceſſarias eſſe exiſtimarent, oſtendit, abiiciendas eſſe omnino, & cum Euangelio minime neceſſarias eſſe. Quod verò in cap. 2. & 3. de omni lege in vniuerſum etiam morali videatur loqui, oſtendens ex illa nec hereditatem ſpiritualem vlli contingere, nec vllum iuſtificari; ſed ex Dei promiſ-
ſione

sione. & spiritu fidei, aut gratia, sicut in Epistola ad Romanos docuerat: id facit, vt inde probet ceremonias illius legis non esse retinendas: quod ipse præcipue contendit: Quomodo verò hoc sequatur dicemus in cap. 3. num. 47. Porrò autem Paulum in hac Epistola loqui de imbecillitate legis moralis ad iustificationem, in secundo nimirum, & tertio capite, probaui ex professo 1. 2. disputat. 166. c. 2. & disp. 189. cap. 4.

ARGVMENTVM CAPITIS I.

CVm Paulus vidisset Galatas seductos à quibusdam contra id, quod ipse illis prædicauerat, vt suam doctrinam tueretur, & illorum ostenderet fallaciam: commendat dignitatem Apostolatus sui, quam non inferiorem aliis se accepisse testatur, & ad hoc suæ occasionis mentionem facit, & quomodo à Christo Euangelium acceperit.

Digitized by Google

CAPVT I.

1 PAulus Apostolus non ab ho-
minibus, neq; per hominem,
sed per Iesum Christum, & Deum
Patrem qui suscitauit eum à mor-
2 tuis; & qui mecum sunt omnes
fratres, Ecclesiis Galatiæ. Gratia
3 vobis, & pax à Deo Patre nostro,
& Domino Iesu Christo, qui de-
4 dit semetipsum pro peccatis no-
stris, vt eriperet nos de præsenti
seculo nequam, secundum vo-
luntatem Dei, & Patris nostri, cui
5 est gloria in secula seculorum,
6 Amen. Miror quod sic tam citò
transferimini ab eo, qui vos vo-
cauit in gratiam Christi, in aliud
7 Euangelium: quod non est aliud,
nisi sunt aliqui qui vos contur-
bant, & volunt conuertere Eu-
8 angelium Christi. Sed licet nos,
aut Angelus de cœlo Euangeli-
zet vobis præterquam quod eu-
angelizauimus vobis, anathema
9 sit. Sicut prædiximus, & nunc ite-
rum dico: Si quis vobis euangeli-
zauerit præter id, quod accepistis,
10 anathema sit. Modo enim homi-
nibus suadeo, an Deo? An quæro
hominibus placere? si adhuc ho-
minibus placerem, Christi seruus
11 non essem. Notum enim vobis
facio fratres, Euangelium, quod
euangelizatum est à me, quia non
12 est secundum hominem: Neque
enim ego ab homine accepi illud,
neq; didici, sed per reuelationem
13 Iesu Christi. Audistis enim con-
uersa-

PARAPHRASIS.

PAulus Apostolus, seu missus non
1 humana aliqua autoritate, sed
Christi, & Dei patris, qui ipsum Chri-
stum suscitauit à mortuis; & ceteri
fratres, qui mecum sunt, Ecclesiis Ga-
latiæ hanc mittunt epistolam. Gratia
vobis, & pax à Deo Patre nostro sit
per merita ipsius Christi, qui seipsum
obtulit morti pro peccatis nostris, vt
liberaret nos à prauis operibus, quæ
2 hoc seculum vitæ præsentis, & cor-
ruptæ naturæ secum fert; 3 secun-
dum beneplacitum, & dispositionem
voluntatis Dei remedia nobis ad hunc
finem præparantis, cui est gloria in se-
cula seculorum. 4 Miror quidē, quod
ad primam irruptionem; vel persua-
sionem Pseudo-Apostolorum, passi
estis transferri, & separari 5 à Deo
Patre, qui vos vocauit in gratiam
Christi, transferri, inquam, in aliud
Euangelium diuersum ab eo, quod
vobis prædicaui; cuius doctrina non
est nomine Euangelij nuncupanda. 6
Quod verò amplectamini hanc do-
ctrinam loco Euangelij, cum reuera
Euangelium non sit, non aliunde pro-
uenit, nisi ex eo, quod sunt aliqui, qui
mentis vestræ obtutum opinionibus
suis falsis perturbant; verum vsque
adeò non commoueat vos vllius ho-
minis autoritas, vt etiam si nos ipsi
aut (quod maius est) Angelus aliquis
(si fieri posset) prædicauerit vobis 7
diuersum ab eo, quod à nobis iam ac-
cepistis, execrabilis sit, & anathema.
Nec

Digitized by Google

uersationem meam aliquando in
Iudaismo, quoniam supra mo-
dum persequebar Ecclesiam Dei,
14 & expugnabam illam, & proficie-
bam in Iudaismo supra multos
coætaneos meos in genere meo,
abundantius æmulator existens
paternarum mearum traditio-
15 num. Cum autem placuit ei, qui
me segregauit ex vtero matris
meæ, & vocauit per gratiam suam,
16 vt reuelaret filium in me, vt eu-
angelizarem illum in Gentibus:
continuo non acquieui carni, &
17 sanguini; neq; veni Ierosolymam
ad antecessores meos Apostolos:
sed abij in Arabiam, & iterum re-
18 uersus sum Damascum. Deinde
post annos tres veni Ierosoly-
mam videre Petrum: & mansi a-
pud eum diebus quindecim. A-
19 lium autem Apostolorum vidi
neminem, nisi Iacobum fratrem
20 Domini. Quæ autem scribo vo-
bis; ecce coram Deo; quia non
21 mentior. Deinde veni in partes
22 Syriæ, & Ciliciæ. Eram autem i-
gnotus facie Ecclesiis Iudææ, quę
23 erant in Christo: tantum autem
auditum habebant: quoniam qui
persequebatur nos aliquando,
nunc euangelizat fidem, quam a-
24 liquando expugnabat. Et in me
clarificabant Deum.

Nec miremini, quod tam aspere con-
tra Pseudo Apostolos loquar: nunc 8
enim non coram hominibus, sed co-
ram Deo causam dico: nec studeo, vt
placeam hominibus: si 9 *enim mi-*
hi curæ esset placere hominibus, 10
non me addixissem Christianismo, po-
tuissem quidem in Iudaismo honorifi-
cè manere: dixi autem execrabilem
nobis esse debere eum, qui aliud Eu-
angelium annunciauerit, quàm ego
vobis prædicaui: notum 11 *enim*
vobis facio, Euangelium, quod à me
vobis prædicatum est, non humano
more me accepisse, neque enim ab ali-
quo homine prius audiui, aut illud
didici, sed ipse Christus dignatus est
mihi illud patefacere: audistis enim
fama perferente, qualis fuerim, dum
in Iudaismo agerem, quod mirum in
modum expugnabam Ecclesiam, &
congregationem paucorum Apostolo-
rum, ac Discipulorum qui Christi no-
men profitebantur, vehementer insi-
stens institutis maiorum, & ea perti-
naciter defendens. 12 *Cum autem*
ei, qui me iam olim 13 *in vtero ma-*
tris positum, absque vllis meis meritis
à ceteris hominibus decreto suo secre-
uit, vt essem organum quoddam exi-
mium, & electum prædicationis, &
destinato tempore vocauit per gra-
tiam suam: placuit 14 *reuelare Fi-*
lium suum 15 *mihi, vt notitiam il-*
lius ad Gentes deferrem. Continuo non moras triui Damasci in consulendis
hominibus, nec veni Hierosolymam ad consulendos Apostolos, sed protinus,
vt eram iussus, aggressus sum munus prædicationis, ad quod fui vocatus, &
contuli me ad hoc in Arabiam, deinde iterum veni Damascum, &c.

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

1. Illud *ab hominibus*, & illud *neque per hominem*, aliqui putant esse diuersa, vt prius denotet solum originem missionis, & eum, à quo missus sit Apostolus: posterius autem intercessionem alicuius, & fauorem, vt ab alio mitteretur. Mihi verò videtur pro eodem omnino vsurpari, quia statim subdit, *sed per Iesum Christum*, cum tamen non tantum fauore illius, sed etiam ab illo Paulus esset missus iuxta illud Marci 10. & Ioan. 20. *Ecce ego mitto vos.* Et illud Matt. 28. *Data est mihi potestas in cælo, & in terra, &c.* & ita eodem modo subdit, *& per Deum Patrem*, cum tamen Deus Pater propria autoritate Paulum miserit; non tamen fuerit intercessor, vt mitteretur. Quod autem attinet ad initium Epistolæ, & salutationem dicendum est, sicut in Epistola ad Romanos notauimus. Nec obstat, quod dicat, *& cæteri fratres, qui mecum sunt*, cum tamen ipsi non scriberent Epistolam, nam cum ipse Paulus nomine eorum eam scriberet, rectè dicere potuit, *& cæteri fratres, &c.* Supple, mittunt hanc Epistolam, vt ita non solum salutatio, sed tota Epistola etiam aliis fratribus eo modo, quo diximus, tribuat, &c.

2. Seculum prauum appellat prauas hominum cogitationes, & opera nostræ naturæ corruptæ, non tantum iam commissa, sed quæ committerentur, nisi Christi gratia præsto esset.

3. Illud *secundum voluntatem*, non refertur ad id, quod quidam dicunt, distributionem gratiæ, non ex beneplacito humanitatis Christi, sed Dei factam fuisse. De quo satis 1. par. disp. 94. cap. 3. & 3 part. q. 19. art. 1. sed refertur ad dispositionem, qua Deus voluit Christum pro nobis mori.

4. Illud *tam cito*, Hieron. refert ad tempus conuersionis, quasi Paulus miretur, quod post tam breue tempus, quo ab ipso erant in fide instructi, defecerint ab Euangelio. Mihi verò placet sensus, quem in paraphrasi sequutus sum, qui est Chrysost. vt illud *tam citò* ad leuem tentationem, & persuasionem referatur: hoc enim mirandum erat: non autem quod post breue tempus conuersionis retrocederent, imò oppositum esset magis mirandum.

5. Illud *ab eo, qui vos vocauit*, est periphrasis ipsius Dei, cui tribuitur in Scriptura vocatio ad fidem, & gratiam.

6. Totus numerus vsque ad illud, *nisi ex eo* supplendum videtur, vt congruat contextus.

7. *Præter id*, quod est in textu, interpretati sumus *diuersum ab eo*, verum non est ita intelligendum, quasi nihil liceat addere doctrinæ semel à Paulo prædicatæ, nam si ipse iterum prædicasset, addidisset, sed ita vt aliquo modo sit contrarium, sicut erat, inducere circuncisionis obli-

gatio-

gationem. Notandum tamen est Apostolum data opera dixisse, *Praeter id quod euangelizatum est*, vt optime notant Græci, quia non tantum dicit anathema eum, qui omnino contrarium prædicauerit, sed etiam eum, qui aliquid dumtaxat prædicauerit, quod minima ex parte sit contrarium.

8. Reddit rationem, quare asperè loquutus sit, vt videatur Pseudo-Apostolos irritasse: rationem ergo optimam reddit, quia nunc dicit causam apud Deum, non apud homines: vnde non mirum, si non curet, non placere hominibus, sed Deo soli veritatem planè dicendo, sic interpretantur Græci.

9. Reddit causam, & probat ab effectu, quomodo non quærat placere hominibus, nec gloriam apud eos.

10. Quidam ita interpretantur: si studerem placere hominibus, desinerem esse seruus Dei, sed efficacior est probatio illa ab effectu secundum sensum paraphrasis, quem sequuntur Græci Patres.

11. Illud *enim*, quod causam reddit in Greco est δὲ, Latinè *autem*, quod videtur quadrare contextui, quia Paulus aggreditur nouam narrationem. Ego verò existimo optime esse posse particulam causalem, sicut est in vulgata, ita tamen vt non reddat causam eius, quod proximo præcessit, sed anterioris, quod frequens esse in Paulo notaui in Epist. ad Rom. Reddit verò causam eius, quòd dixerat prius, *Si aliquis vobis euangelizauerit, &c. anathema sit*, ostendens Euangelium, quod ipse prædicauit, se à Christo proximè accepisse, vt ostensa eius certitudine confirmet illud, quod dixerat *anathema sit*: & ideò vt ostenderem in paraphrasi connexionem proxime antea, illud repetiui.

12. Narrat quomodo non accepit ab aliquo homine Euangelium, sed proximè à Deo, & à Christo.

13. Dicit *ex vtero*, non vt ostendat statim, dum in vtero esset vocatione ipsa segregatum fuisse, vel ab ortu suo: siquidem postea vocatus fuit: nec vt ostendat decreto Dei fuisse segregatum solum ex vtero, cum ab æterno fuerit, sed vt ostendat sine meritis suis, sicut cap. 9. ad Rom. *sed & Rebecca ex eodem concubitu*.

14. Illud, *vt reuelaret filium eius in me*, aliqui referunt ad illud *vocauit*, ita vt illud *vt*, significet causam finalem vocationis. Melior contextus est, si referatur ad *placuit*, & illud *vt*, non sit finalis particula, sed expletiua hoc modo: placuit vt reuelaret, & in Græco non habetur, sed verbum *reuelare* in infinitiuo.

15. Illud *in me*, Erasmus putat idem esse *per me*, & in scriptura illud *in*, frequenter significare *per*, vt dixi in Epist. ad Rom. Melius tamen quadrat expositio paraphrasis, quæ est Chrysostomi, vt illud *in me* idem sit, quod *mihi*.

ARGVMENTVM
CAPITIS II.

POstquam superiori capite ostendit autoritatem Euangelij, quod prædicauit, non esse inferiorem autoritate Euangelij aliorum Apostolorum, vt ei fides adhiberetur: in hoc capite primum prosequitur, qua ratione Euangelium suum cum aliis Apostolis Hierosolymis contulerit, & ab eis ita fuerit probatum, vt ipse, & Barnabas in Gentes mitterentur, alij verò ad prædicandum Iudæis se contulerint. Deinde incipit probare circuncisionem, & legalia non esse seruanda, sicut Galatis prædicauerant Pseudo Apostoli. Id verò probat trifariam: primò quia cum comes ipsius, Titus ascendisset cum eo Hierosolymam, & esset circuncisus: alij Apostoli non suaserunt, nec compulerunt ipsum circuncidi, vt ita autoritate aliorum Apostolorum probet, Galatis circuncisionem non esse necessariam. Secundo quia ipse reprehendit acriter Petrum, quod videretur consentire his, qui ceremonias Iudaicas obseruabant. Tertio ex eo quod homo

non iustificatur apud Deum ex operibus legis, sed ex fide: quod vtrum sit intelligendum de operibus ceremonialibus, an etiam de moralibus legis in annotationibus ostendam.

CAPVT II.

1 DEinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto
2 & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus; seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem aut
3 cucurrissem. Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset Gentilis, compulsus est circumcidi:
4 sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos
5 in seruitutem redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subiectione, vt veritas Euangelij per-
6 maneat apud vos. Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit.) Mihi enim, qui videbantur esse aliquid,
7 nihil contulerunt. Sed econtra, cum vidissent, quod creditum est
8 mihi Euangelium præputii, sicut & Petro circuncisionis, (qui enim opera-

PARAPHRASIS.

POst hæc transactis 1 annis quatuordecim, iterum veni Hierosolymam simul cum Barnaba, pariter & 2 Tito, etiamsi Gentilis esset, & incircuncisus: ascendi autem monitus diuino oraculo, & familiariter exposui 3 illis, qui Hierosolymis erant, Christianis doctrinæ genus, quod in Christo prædicando hactenus sum sequutus. Seorsim verò contuli Euangelium meum cum his, qui 4 in precio erant. 5 Non quidem quod diffiderem causæ meæ: vel quod de tot annorum prædicatione in dubium venissem, sed ne qua ratione per Pseudo Apostolos mea prædicatio calumniari posset, quod ab aliis Apostolis recepta non esset. Sed tamen 6 cum veni Hierosolymam ad alios Apostolos, & mecum adduxissem Titum incircuncisum, quia Gentilis erat, Apostoli nullo modo impulerunt, aut solicitarunt ipsum, vt circuncideretur. 7 Non igitur putabant necessariam esse circuncisionem, aliàs incircuncisum non paterentur mecum commorari Christianum: 8 sed à falsis fratribus, qui insidiose irrepserunt ad explorandam nostram libertatem, qua

nim operatus est Petro in Apo-
stolatum Circuncisionis, opera-
tus est, & mihi inter Gentes) &
9 cum cognouissent gratiam, quæ
data est mihi, Iacobus, & Cephas,
& Ioannes, qui videbantur colu-
mnæ esse, dextras dederunt mihi,
& Barnabæ societatis: vt nos in
Gentes, ipsi autem in Circunci-
10 sionem: tantum vt pauperum
memores essemus: quod etiam
solicitus fui hoc ipsum facere.
11 Cum autem venisset Petrus An-
tiochiam, in faciem ei restiti, quia
12 reprehensibilis erat. Prius enim
quam venirent quidam à Iacobo,
cum Gentib. edebat: cum autem
venissent, subtrahebat, & segrega-
bat se timens eos, qui ex circunci-
13 sione erant. Et simulationi eius
consenserunt ceteri Iudæi, ita vt
& Barnabas duceretur ab eis in il-
14 lam simulationem. Sed cum vi-
dissem quòd non rectè ambula-
rent ad veritatem Euangelii, dixi
Cephæ corā omnibus. Si tu, cum
Iudæus sis, Gentiliter viuis & non
Iudaice: quomodo Gentes cogis
15 Iudaizare? Nos natura Iudæi, &
non ex Gentibus peccatores. Sci-
16 entes autem, quòd non iustifica-
tur homo ex operibus legis, nisi
per fidem Iesu Christi, & nos in
Christo Iesu credidimus, vt iusti-
ficemur ex fide Christi, & non ex
operibus legis: propter quod ex
operibus legis non iustificabitur
17 omnis caro. Quod si quærentes
iusti-

qua obseruamus Euangelium Christi
sine legis ceremoniis, vis aliqua illata
est, vt in seruitutem legalium nos in-
ducerent: contenderunt enim, vt Ti-
tus circuncideretur: quibus 9 mini-
me consensimus, nec breui tempore
passi sumus, vt de hac re nobiscum
contenderent: 10 vt vel hoc nobis
sufficiat argumentum, quo veritas
Euangelij absq; legis ceremonijs per-
maneat. Postquam ergo cum illis, qui
tunc præcipui erant, contuli Euange-
lium meum, 11 nihil ab illis accepi:
12 dixi ab his, qui præcipui erant in-
ter Apostolos eo tempore, quales enim
fuerint antequam ad Apostolatum
vocarentur, non curo: Deus enim non
respicit personam, sed de stercore eri-
git pauperem: ab his ergo nihil accepi.
13 Non solum enim non reprehende-
runt meam doctrinam, docentes me
aliquid, sed potius in tantum abfue-
runt ab incusando Euangelium meum,
vt cognoscentes planè mihi commis-
sum esse à Christo Euangelium Genti-
bus prædicandum (idem enim Chri-
stus qui efficax fuit in Petro, in ser-
mone, & signis apud Iudæos, vt fun-
geretur rectè Apostolatu: idem efficax
fuit in me per dona, & per miracula
apud Gentes) 14 cognoscentes, in-
quam, gratiam mihi factam, quod
commissum esset Euangelium Genti-
bus prædicandum, Iacobus, & Pe-
trus, & Ioannes, mihi, & Barnabæ
dextras sociales dederunt declaran-
tes hoc signo, nos cum ipsis per omnia
con-

Digitized by Google

iustificari in Christo, inuenti sumus, & ipsi peccatores, nunquid
Christus peccati minister est? Ab-
18 sit. Si enim quæ destruxi, iterum
hæc ædifico: præuaricatorem me
19 constituo. Ego enim per legem,
legi mortuus sum, vt Deo viuam:
20 Christo confixus sum cruci. Viuo
autem, iam non ego: viuit verò in
me Christus. Quòd autem nunc
viuo in carne: in fide viuo Filij
Dei, qui dilexit me, & tradidit se-
21 metipsum pro me. Non abiicio
gratiam Dei. Si enim per legem
iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.

conuenire; simulq; conspirauimus, vt nos inter Gentes, illi verò inter Iudæos præcipuè Euãgelium prædicarent: tantum vnum 15 admonuerunt, vt pauperum, qui in Iudæa agebant, memores essemus, quod mihi quidem satis curæ iam erat; nõ tamen commendarunt nobis circuncisionem, aut legales ceremonias. 16 Cum autem Petrus venisset Antiochiam, ausus sum ipsum 17 in conspectu omnium redarguere, & contradicere, quia factum eius merebatur reprehẽsionem; antea enim quam Iudæi conuersi venirẽt 18 Hierosolymis Antiochiam, ipse cum Gentilibus edebat, & bibebat. 19 Postquam verò Iudæi illi venerunt, subtraxit se à consortio Gentilium, timens Iudæos, ne & illi scandalum paterentur, cum essent adhuc in fide paruuli, & ceremonialia obseruarent, nec illis omnino essent interdicta. Et ceteri Iudæi ad fidem conuersi, qui cum Petro simul antea cõmercium habebant Antiochiæ cum Gentilibus, videntes simulationẽ Petri, qua simulauit se obseruare legalia, abscedentes à Gentilibus eodem modo, & ipsi simularunt; & eò progressum est exemplum Petri, vt Barnabas quoq; meus collega duceretur in simulationem eorum. Sed cum viderem, quod Petrus, & reliqui Iudæi conuersi ad fidem claudicarent, nec satis firmi essent in declaranda veritate Euangelij; sed modo Gentibus se adiungentes legem negligerent: modo ab illis se separantes legis obseruarent ceremonias, dixi Petro: si tu qui Iudæus natione & ab infantia circuncisus es, sciens ceremonias legis Christi morte iam cessasse, nec vim habere, cum Gentilibus communi mensa, & quibusuis cibis vtebaris, antequam venirent Iudæi: & sic Gentiles conuersi suasi sunt sine ceremonia legis iustificari posse; profectò hoc tuo facto, & exemplo postquam Iudæi venerunt, subtrahens te à consortio Gentilium, & mensa eorum, adducis eos in eam opinionem: vt etiam ipsi velint ceremonias obseruare, & ita circuncidi, ne ipsos tanquam incircuncisos, & immundos, & nondum per fidem iustificatos fugias; ex quo in magnum errorem inducuntur. Nos 20 genere Iudæi non proselyti, nec ex Gentilibus, & 21 impiis parentibus geniti 22 scientes non iustificari hominem ex 23 operibus legis, sed per fidei spiritum, in

in Christum credimus, 24 vt iustitiam, quam lex præstare non potest, fide Christi consequamur; non autem ex operibus: non quod putemus etiam ex operibus iustificari aliquem posse; sed 25 propterea quod ex operibus legis, hoc est, solo legis adiutorio nullus homo iustificabitur vnquam, nec ex solo legis adiutorio vllus iustificari potest. 26 Sed neque illius obseruatio, quæ parte ceremonialis est, necessaria existimari debet ad iustificationem. 27 Si enim, 28 qui ex fide contendunt iustificari sine legis ceremoniis, adhuc 29 & ipsi peccatores sunt, sicut Gentiles incircumcisi, & infideles, vt eos debeamus euitare, sicut tu Petre fugis consortium Gentilium, iam fidelium ac si peccatores essent; efficitur Christum esse causam, cur in peccato maneant, qui eos à legis ceremoniis ad legem, & fidem suam abduxit, & ita à remedio peccati, quod erat in legis ceremoniis ipsos auocauit. 30 Christus autem non potuit esse causa, vt ipsi in peccato manerent eos decipiendo, & auocando à vero remedio: ergo nec ipsi sunt peccatores adhuc non obseruantes ceremonias legis, vt eos tanquam impuros fugere debeas. 31 Quod verò Petre malefeceris fugiendo consortium Gentilium fidelium, inde cognosces: 32 quia si quis quod antea faciebat tanquam bonum, postea fugit, ostendit se, & declarat iniustum: necesse enim est, aut ipsum tunc peccare cum relinquit, quod antea sequebatur, aut antea sequendo illud peccasse: tu ergo talem te ostendis, cum deseras modo Gentiles religionis causa, cum quibus antea consortium habebas. 33 Porrò legem vim non habere iustificandi, inde constat, quia 34 per legem ipsam, habendo scilicet literam illius sine fidei adiutorio mortui sunt ipsimet legi, eam transgredientes, & præuaricantes: 35 vt verò viuant vita Dei, & iustificationis, obseruantes legem Decalogi, cum Christo, 36 crucifigi debent in Baptismo, & fide eius, vt spiritu illius legem obseruent. Hoc modo, quisque cum Christo crucifixus, & consepultus in Baptismo, & gratia ipsius dicere potest, cruci affixus sum, viuo ego, tamen iam non ego, vetus scilicet homo, sed Christus, & gratia eius viuit in me. Quod autem adhuc in carne manens, & coniunctus adhuc cum veteri Adamo, & corpore peccati, nihilominus 37 viuo spirituali vita (quod mirum sane est) ex fide Filij Dei, & spiritu illius prouenit, quo supero prauos motus illius, qui me ad legis transgressionem, & mortem contendit pertrahere, ex fide inquam, Filij Dei, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, vt merito passionis illius spiritum fidei haberemus ad obseruandam legem. Apprehendo 38 ergo gratiam Dei, & spiritum illius ad iustificationem, non enim puto, 39 solam legis notitiam ad iustificationem, & rectè viuendum sufficere: nam si sufficeret, frustra Christus mortuus esset, cum sola notitia boni, & mali sufficeret.

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

1. Quidam cum Beda enumerant hos 14. annos à tempore conuersionis, alij cum Hieronymo post illos tres, quorum superiori cap. fecit mentionem, quibus etiam addunt hos 14.

2. Habet emphasin illud, *assumpto & Tito*, vt ostendat non timuisse secum habere seruum Gentilem, & incircuncisum, etiam cum venit Hierosolymam ad Iudæos.

3. Illud *cum illis*, aliqui referunt ad Petrum, & Iacobum, ego tamen puto generalius accipi pro omnibus aliis, cum deinde speciatim addat, *Seorsim autem his, qui videbantur aliquid esse*, per quos intelligit Petrum, & Iacobum.

4. In Latinis codicibus dicitur, *qui videbantur aliquid esse*, in Græco verò, & antiquis Latinis codicibus non habetur illud *aliquid*, nec Augustinus legit, nec Hieronymus: imo apud Augustinum non est illud *esse*, sed tantum legit (*qui videbantur*) & exponit: qui videbantur eminere in Ecclesia: ad eundem modum Hieronymus, *qui videbantur columna esse*, hoc enim modo loquendi infra vtitur Paulus hoc eodem cap. In idem recidit expositio, quam sequuti sumus in paraphrasi, quæ est Erasmi, in Græco habetur *δοκοῦσι*, *δοκοῦντες* autem absolutè dicuntur, qui in pretio sunt, intelligit autem Petrum, & Iacobum.

5. Illud *Ne forte in vanum currerem, &c.* non dixit, quod dubitarit de suo Euangelio, sed ob rationem, quam in paraphrasi addidimus.

6. Iam incipit probare necessariam non esse circuncisionem. Primò quia alij Apostoli non impulerunt, vt Titus circunciderettur, ergo non putabant esse necessarium circuncidi: ex quo fit non esse solam Pauli doctrinam, sed aliorum Apostolorum, quam ipse Galatis prædicauit, & tunc prædicabat.

7. Totus hic numerus suppletus est, videtur enim conclusio argumenti, quod facit Paulus hoc modo. Contuli cum Apostolis meum Euangelium, & cum scirent mecum esse Titum incircumcisum, non compulerunt me, vt circunciderettur, ergo non putabant necessarium esse.

8. Illud *sed*, quod est aduersatiua particula, multos perturbauit, vt videre licet apud Adamum: omissis verò aliorum expositionibus solita breuitate nostram probare contendo. Clausula illa cum aduersatiua *sed*, redditur difficilis ex duobus. Primum ex illa particula *propter*, quæ Græcè est *διὰ*, & significat *propter*, deinde quia periodus est concisa, & ecclipticus sermo sine verbo. Tollitur autem vtraque difficultas facilè, primum si illud *διὰ* ponatur ibi pro *à*, aut *per*, sicut solet poni, ita, vt ibi significet causam efficientem, Deinde si periodo concisa re-

Digitized by Google

petatur verbum præcedentis periodi, ſcilicet, *compulſus eſt*, & ſic ſenſus facile conſtat. Affirmat ergo illa particula *ſed* de falſis fratribus, quod de Apoſtolis negauerat, ſicut patet in paraphraſi, vt inde probet ex ſententia Apoſtolorum, & ex ſua ipſius conſtantia, qua coram Apoſtolis reſtitit falſis fratribus, id quod ipſe perſuadere contendit Galatis.

9. Illud *ad horam*, idem eſt quod minime, & ad minimum tempus, eo quòd nec minimo tempore paſſus eſſet Paulus, vt ipſi hanc vim inferrent, ſed ſtatim ſine mora eorum conatum repreſſerit, & ſententiam confutauerit.

10. Illud *Vt*, non denotat finem, propter quem tunc Paulus id fecerit, quaſi tunc ea intentione fecerit, vt Galatæ ex facto in ſua doctrina firmarentur: forſan enim tunc de illis non cogitauit: ſed ſignificat finem, quare hoc illis factum expoſuerit, ſcilicet vt hoc ſit illis argumentum, ſicut dicitur in paraphraſi.

11. Illud videtur ſupplendum, id enim Paulus adiecturus erat.

12. Parentheſin illam exiſtimo poſitam à Paulo, quia dixit, *ab his, qui præcipui erant, &c.* ne ei obiiceretur, illos fuiſſe idiotas piſcatores antea. Et in paraphraſi ſequuti ſumus expoſitionem Ambroſij, & Auguſtini, Hieronymus alio refert, ſed non ita placet.

13. Iterum repetiui, quod additum erat in num. 11. vt cauſalis *enim*, quæ poſt parentheſin poſita erat, rectè connecteretur, & cauſam redderet, ob quam ab illis nihil accepit, eo quòd illi nihil ei contulerint.

14. Eſt hyperbaton, & propter longam parentheſin repetit inchoatam orationem dicens: *& cum cognouiſſent gratiam Dei, quæ data eſt mihi*, ac ſic diceret, *& cum inquam, cognouiſſent, &c.*

15. Ibi ſuppleri debet illud *admonuerunt*, vel quid ſimile.

16. Pergit adhuc confirmare, quod propoſuerat, nempe ſuum Euangelium, quod ipſe Galatis prædicauit auferens illis legalia tantæ eſſe autoritatis, vt veritate ipſa nixus, auſus ſit reprehendere Petrum, quòd in hac re non admodum caute ambularet in obſeruatione ceremoniarum.

17. In textu Latino dicitur, *in faciem ei reſtiti*, in Græco verò *κατὰ πρόσωπον*, id eſt, *iuxta faciem*, quod ita Hieronymus interpretatur, & Chryſoſtomus, vt illud *iuxta faciem*, ſignificet reprehendiſſe tantum ex compoſito, & fictè, non autem ex corde. Hieronymus enim contendit in nullo fuiſſe Petrum verè reprehenſum, ſed in 1. 2. diſput. 182. cap. 6. oſtendimus Petrum verè dignum fuiſſe reprehenſione, etiamſi in eo, quod bona fide ductus fecit, non peccauerit: expoſitioni Hieronymi fauet illud 2. ad Corinth. 10. *Quæ ſecundum faciem ſunt, videte, id eſt, quæ habent apparentem ſpeciem potius quam rem*, & capit. 5. *Vt habeatis ad eos, qui in facie glo-*

vis gloriantur, scilicet ad hypocritas. Verum cum Petrus, vt diximus, verè dignus fuerit reprehensione, placet expositio quam sequuti sumus, quæ est Augustini, cui fauet illud 2. Corinth. 10. *Secundum faciem quidem humilis sum inter vos, absens autem, &c.* hoc est, *dum præsens, sum humilis inter vos.* Et Actor. 23. *Non est Romanis consuetudo damnare hominem aliquem, nisi is, qui damnatur, præsentes habeat accusatores.* In Græco pro *præsentes* dicitur κατὰ πρόσωπον.

18. Illud *à Iacobo*, idem est quod *Hierosolymis*, Iacobus enim erat Episcopus Hierosolymorum.

19. Quare dignus fuerit Petrus hic reprehensione, & non Paulus, cum circuncidit Timotheum: & quare idem Paulus noluerit circuncidere Titum, cum tamen in eodem tempore, nempe quando post quatuordecim annos ascendit Hierosolymam cum Tito, de quo ascensu dicitur Actor. 21. ipse Paulus seruauerit ceremonias legis, quia ex voto se totondit in templo, & longiorem postulat disputationem, quam instituti nostri ratio in præsenti patiatur, vt diximus in illa disputatione 182.

20. Illud *natura Iudæi*, dixit ad differentiam Proselytorum.

21. Illud, *Non ex Gentibus peccatores*, dixit quia non essent ex peccatoribus parentibus, hoc est, ethnicis, & impiis Gentilibus, ex quibus filij dicuntur peccatores.

22. Illud *autem*, redundare videtur, nec habetur in Græco, si vero retineatur, vt sensum faciat, debet addi superiori parti verbum *sumus*.

23. Quidam hic tantum intelligunt ceremonialia opera, contra quæ disputat Paulus in hac epistola, licet in Epistola ad Romanos etiam de moralibus loquatur. Sed quod in hac Epistola loquatur etiam de lege morali, & de operibus illius in eo etiam sensu, quo in Epistola ad Rom. ostendi 1. 2. quæst. 114. art. 5. inde tamen bene probat, non esse obseruanda ceremonialia, vt dixi, & dicam infra.

24. Illud *credimus*, quod vulgata habet de præsenti, in Græco est in præterito, & Græci omnes ita interpretantur. Illud etiam participium *scientes*. in Græco est temporis præteriti, sed idem sensus vtroque modo est. Repetit autem iterum illud, *non ex operibus legis*, cum tamen non esset necessarium.

25. Repetit iterum, quod dixerat, quod frequens est in Paulo, & reddit rationem, quare non velit ex operibus iustificari, non quia putet per se ita aliquem iustificari, & ipse nolit, sed quia reuera nullus ita viuificari potest, vt 1. 2. disput. 189. cap. 4. notauimus. Illud vero *propter quod*, in Græco est διότι, quod significat *quia, quoniam; propterea quod*, illa phrasis *omnis caro*, idem significat, quod nulla caro, hoc est, nullus homo.

26. Incipit probare non tantum non iustificari hominem sola lege, sed etiam illius ceremonias necessarias non esse, & ideo totus hic numerus suppletus est, quod ratio ipsa subiuncta probare contendit.
27. Illa particula *quod si*, denotat inde incipere nouam rationem ad probandum id, quod num. 25. diximus.
28. Quamuis in hac ratione in prima persona loquatur, tamen de alijs etiam intelligitur Gentilibus, qui sola lege sine ceremonijs iustificati erant, quorum nihilominus consortium fugiebat Petrus, vnde adhuc cum Petro sermonem habet, ostendens, quam dignus sit reprehensione. Quod verò prima persona Paulus vtatur pro tertia, frequens est in Epist. ad Rom. & alibi, vt in ea notaui.
29. Illud *&*, quod in textu est, significat etiam eo modo, vt in paraphrasi.
30. Illud *absit* est destructio consequentis, quod intulit in illa ratione, quam fecit Paulus, vt ita ostendat antecedens etiam esse absurdum, quod est, fugiendos esse eos, qui sunt incircuncisi, & Gentiles, contra quod Paulus disputat, & Petrum reprehendit, nos autem interpretati sumus in paraphrasi ita: *Christus autem non potuit esse, &c* & addidimus aliqua vsque ad numerum sequentem, vt integram rationem Pauli exprimeremus.
31. Ratio illa Pauli non refertur ad immediate præcedentia, sed est noua ratio ad probandum initio propositum, Petrum scilicet esse dignum reprehensione, & ideo totum nu. 28. suppleuimus ad indicandum, quò spectet illa ratio, quæ incipit à num. 29.
32. Quod dicit in propria persona, intelligit de quacunque alia, vt familiare est Paulo, & nu. 28. notaui, & idem obseruat nu. seq.
33. Totus ille numerus suppleri debet, quia causalis, quæ ponitur nu. 32. non refertur ad immediate præcedentia, sed ad id, quod supra dixerat de legis impotentia, hoc verò frequens est Paulo, vt cap. 1. ad Rom. notaui.
34. Multi per *legem* intelligunt hic gratiam, quasi dicat Paulus, per gratiam iam mortuus sum legi Moysis, & ceremoniis. Sed ne ita æquiuocationem in paucis admittamus, melius est eodem modo vtrobique accipere in eum sensum, quem sequuti sumus in paraphrasi. Dicitur verò mortuus legi, quia non obseruat ea, quæ in lege præcipiuntur, quasi dicat: ipsa facit, vt ipsi non viuam, hoc est, vt eam non obseruem.
35 Illa particula *vt*, quæ finalem causam denotat, non refertur ad præcedentia, nec enim sensus eo modo constare posset, sed ad sequentia, & ideo addidi particulam *verò*, quæ diuidit, sicut aduersatiua.
36. Crucifigi cum Christo, est phrasis Pauli, sicut ad Rom. 6. dicuntur

tur consepulti, & mortui cum Christo, qui baptizati sunt: rationem huius ibi reddidimus.

37. Quidam illud *viue* referunt ad vitam temporalem, vt sensus sit: quod adhuc viuo vita hac temporali, fidei Dei debeo: nam sine illa dignus essem, qui immergerer in infernum: hic tamen sensus non satis cohæret cum præcedente, sensus verò paraphrasis optime consonat omnibus, quæ dixerat Paulus.

38. Videtur conclusio præcedentium, & ideo addidit particulam *ergo*.

39. Illud *si ex lege iustitia*, non puto significare, quod quidam dicunt, non sufficere obseruationem legis, nam Christus dixit Matth. 19. *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: sed quia non possunt obseruari sine fide Christi, & illius spiritu, ideo dicit Paulus, ex lege non esse iustitiam; quia aliàs Christus frustra esset mortuus, si ex sola boni, & mali notitia, quam solum lex præstat, obseruari posset. Sic etiam loquitur semper de lege in Epist. ad Rom. vt suis locis ostendi. Quo modo verò hinc colligat non esse iam seruandas ceremonias, vt circuncisionem, &c. ostendam in argum. cap. 3.

ARGVMENTVM
CAPITIS III.

DVtant aliqui, cum Paulus in hoc cap. contendit Galatis ostendere ipsos non accepisse spiritus dona, nec iustificatos esse ex operibus legis, sed ex spiritu fidei in Christum, ipsum loqui tantum de operibus ceremonialibus, vt de circuncisione, quam contendit illis suadere necessariam non esse, sicut ipsi falsò existimabant. Ego quidem censeo orationem totam Apostoli eo quidem spectare, vt suadeat

Digitized by Google

Galatis circuncisionem, & legis ceremonias necessarias non esse: hoc enim fuit institutum huius epistolæ, vt ex præcedentibus constat: nihilominus in hoc cap. non agere Paulum speciatim de ceremoniis legis, & cum probat hominem ex sola lege sine fide non iustificari, nomine legis totam literam, legem etiam moralium præceptorum comprehendere continuando id, quod in fine præcedentis capitis proposuerat, nempe eam non sufficere ad iustificationem, aliàs si de solis ceremonialibus intelligeret, contextus huius capitis minime constaret, sicut si intelligat de tota lege, inde tamen optime eum probare cessasse legalia. Quia cum obseruatio legis, qua homines semper iustificati sunt, non fuerit ex ipsa sola legis notitia; sic enim frustra Christus venisset, sed ex spiritu fidei, quem Christus semper communicauit iis, qui legem obseruantes iustificati sunt: consequitur, ceremonias illius legis cessare debuisse aduentu veritatis, nempe aduentu Christi, qui in illis signabatur: nam quod attinet ad moralia, cessare non potuit ea parte, qua naturalia præcepta continebat, sicut ostendi 1. 2. disput. 180. cap. 3.

CAPVT III.

1 O Insensati Galatæ, quis vos
fascinauit non obedire veri-
tati, ante quorum oculos Iesus
Christus præscriptus est, & in vo-
2 bis crucifixus? Hoc solum à vo-
bis volo discere; ex operibus le-
gis scriptum accepistis, an ex au-
3 ditu fidei? Sic stulti estis, vt cum
Spiritu cœperitis, nunc carne
4 consummemini? Tanta passi estis
sine causa? si tamen sine causa.
5 Qui ergo tribuit vobis Spiritum,
& operatur virtutes in vobis: ex
operibus legis, an ex auditu fidei?
6 Sicut scriptum est: Abraham cre-
didit Deo, & reputatum est illi ad
7 iustitiam. Cognoscite ergo, quia
qui ex fide sunt, ij sunt filij Abra-
8 hæ. Prouidens autem scriptura,
quia ex fide iustificat Gentes
Deus, prænunciauit Abrahæ: quia
benedicentur in te omnes Gen-
9 tes. Igitur qui ex fide sunt, bene-
dicentur cum fideli Abraham.
10 Quicumque enim ex operibus
legis sunt, sub maledicto sunt.
Scriptum est enim: Maledictus
omnis, qui non permanserit in
omnibus, quæ scripta sunt in li-
11 bro legis, vt faciat ea. Quoniam
autem in lege nemo iustifica-
tur apud Deum, manifestum est:
12 quia iustus ex fide viuit. Lex
autem non est ex fide, sed qui fe-
13 cerit homo, viuet in illis. Chri-
stus nos redemit de maledicto le-
gis, factus pro nobis maledictum
(quia

PARAPHRASIS.

*O Stulti 1 Galatæ quis vos aspe-
ctu malefico tanquam pueros
recens in fide natos læsit, & veluti
incantationibus delusit, vt vos, (qui-
bus per meam prædicationem Euan-
gelij, ita 2 expositum est Christi Eu-
angelium, & ipsius Christi 3 pas-
sio, vt certius sitis eum contemplati,
quàm qui ipsum oculis tantum cor-
poris viderunt,) veritatem, quam
semel estis edocti, non retineatis? Hoc
vnico aduersus vos vti volo argu-
mento; vnde nam 4 Spiritus do-
na accepistis, linguarum scilicet, &
aliarum gratiarum? nunquid ex 5
operibus bonis, quæ sola legis noti-
tia fecistis aliquando? an 6 potius
ex spiritu fidei, quam media prædi-
catione mea habuistis? Plane vos stul-
tos ostendistis, qui cũ cœperitis præ-
sidiis spiritualibus, fide nimirum, &
obedientia, nunc ad circuncisionem,
& alias carnales ceremonias conuer-
timini. Si enim tam insignia dona vo-
bis contigerunt sine ceremoniis le-
gis, quare ad eas iam iterum con-
fugitis? Quare tot, & tam graues
persecutiones passi estis pro fide 7
frustra, & sine causa, iam rursus
ad vomitum redeuntes? 8 dixi, si-
ne causa, si tamen ita futurum est:
spero enim vos non perseueraturos
vsque in finem in his legis ceremoniis,
& sic non frustra fuisse id, quod
passi estis pro fide. 9 Qui ergo in vo-
bis operabatur virtutes, & suppedi-
tabat spiritus dona quæ iustificationis
indi-*

Digitized by Google

(quia ſcriptum eſt : Maledictus
14 omnis qui pendet in ligno) vt in
Gentibus benedictio Abrahæ fie-
ret in Chriſto Ieſu, vt pollicitatio-
15 nem Spiritus accipiamus per fi-
dem. Fratres, (ſecundum homi-
nem dico) tamen hominis con-
firmatum teſtamentũ nemo ſper-
16 nit, aut ſuperordinat. Abrahæ di-
ctæ ſunt promiſſiones, & ſemini
eius. Non dicit, Et ſeminibus:
quaſi in multis, ſed quaſi in vno,
17 Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.
Hoc autem dico, teſtamentum
confirmatum à Deo: quæ poſt
quadringentos & triginta annos
facta eſt lex, non irritum facit ad
18 euacuãdam promiſſionem. Nam
ſi ex lege hereditas, iam non ex
promiſſione. Abrahæ autem per
repromiſſionem donauit Deus.
19 Quid igitur lex? Propter tranſ-
greſſionem poſita eſt, donec ve-
niret ſemen cui promiſerat, ordi-
nata per Angelos in manu medi-
20 atoris. Mediator autem, vnius
non eſt: Deus autem vnus eſt.
21 Lex ergo aduerſus promiſſa Dei?
Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ
poſſet viuificare; vere ex lege eſ-
22 ſet iuſtitia. Sed concluſit ſcriptu-
ra omnia ſub peccato, vt promiſ-
ſio ex fide Ieſu Chriſti daretur
23 credentibus. Prius autem quàm
veniret fides, ſub lege cuſtodie-
bamur concluſi, in eam fidem
24 quæ reuelanda erat. Itaq; lex pæ-
dagogus noſter fuit in Chriſto,
vt

indicium erant, 10 *nunquid propter opera, quæ ex legis ſola notitia faciebatis, ea tribuebat: an per ſpiritum fidei, quo etiam virtutem iuſtificationis vobis ſubminiſtrabat?* 11 *ſanè ex ſpiritu fidei, quo homines apud Deum iuſtificantur, & non ex ſola legis notitia:* 12 *ſic enim de iuſtificatione Abrahæ legitur:* Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. *Aduertite ergo Galatæ, quia* 13 *qui ſpiritu fidei ducuntur, vt legem obſeruantes iuſtificentur, ij ſunt verè Abrahæ filij, non qui ſolum ab eo per generationem deſcendunt.* 14 *Quare præuidens longe antea Deus ſcripturæ autor, nationes omnes ex ſpiritu fidei iuſtificandas eſſe, non ex ſola legis notitia, non ſine cauſa dixit, in fideli Abrahamo benedicendas eſſe omnes Gentes ſpirituali benedictione, illas nimirum, quæ inſtar illius ex fide iuſtificandæ erant.* 15 *Quare quotquot ſpiritu fidei nituntur, & legem obſeruantes iuſtificantur, ſicut Abraham iuſtificatus fuit, benedictionem ſpiritualem, ſicut ille, conſequentur: non* 16 *qui ſola legis notitia ducuntur. Quicunq;* 17 *enim ſola notitia legis ducuntur, nec ſpiritum fidei habent, vt legem obſeruent, iam ſunt ſub maledictione ipſius legis comprehenſi, & eam incurrerunt: non igitur benedicentur cum fideli Abrahamo: in* 18 *ipſa enim lege* 19 *maledictio ſcripta eſt contra eos, qui legem non obſeruauerint.* 20 *Quod*

25 vt ex fide iuſtificemur. At vbi ve-
nit fides, iam non ſumus ſub pæ-
26 dagogo. Omnes enim filii Dei e-
ſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto
27 Ieſu. Quicunque enim in Chriſto
baptizati eſtis, Chriſtum indui-
28 ſtis. Non eſt Iudæus, neque Græ-
cus; non eſt ſeruus, neque liber;
non eſt maſculus, neque fœmina.
29 Omnes enim vos vnum eſtis in
Chriſto Ieſu. Si autem vos Chri-
ſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſe-
cundum promiſsionem heredes.

Quod autem ſola legis notitia nullus iuſtificetur apud Deum, qua iuſtificatione legem obſeruãs liberetur à maledictione legis, manifeſtum eſt. 21 Quia iuſtus ex fide viuit, vt ſcriptum eſt Habacuc 2. lex autem, ſeu notitia illius, & fides maximè differunt: nec lex eſt idem quod fides: vnde iuſtus, qui ex fide viuit iuſtificationis vita, ex legis notitia ſola viuere non poteſt; ſed hoc tantum ſcriptura dicit, quod qui fecerit ea, quæ in lege ſcripta ſunt, viuet 22 vita ſpirituali ex ipſa legis obſeruatione: 23 ergo illi, qui ſolam legis habent notitiam, maledictionem potius incurrent; quia ex illa nullus iuſtificatur apud Deum, nec legem obſeruabit. Quare tantum abſunt, vt cum fideli Abrahamo benedicendi iſti ſint, vt potius ipſius legis maledictione comprehendantur: 24 qui verò ſpiritu fidei legem obſeruantes, benedictionem cum Abrahamo conſequentur, à maledictione legis liberati ſunt, accipientes ſpiritum fidei, quo legem obſeruantes maledictionem legis euitent: per Chriſtum inquam, 25 qui factus hoſtia pro peccatis noſtris in ligno crucis ob eadem peccata, vt maledictus à Deo habitus eſt: omnis enim, qui in ligno pendet, Deo eſt maledictus, & execrandus, vt ſcriptum eſt Deuter. 21. vt Gentes benedictionem ſpiritualem Abrahæ promiſſam conſequerentur in iuſtitia, & ſanctitate per ipſum Chriſtum: ſicque promiſsionem ſpiritualis huius benedictionis Abrahæ, & Gentibus factam, quam ego prædico, reciperent per ſpiritum fidei: quod verò benedictionem accepturæ eſſent Gentes ex fide, non ex legis notitia, exemplo quodam 26 à rebus humanis ſumpto, ô fratres Galatæ, facile intelligetis. Teſtamentum enim confirmatum ſemel, vt humana habet conſuetudo, 27 cum tamen ſit hominis, qui infirmæ voluntatis, & mutabilis eſt, nemo reiicit, nec ei noui aliquid adiicit; atqui Abrahæ 28 factæ ſunt promiſsiones, & ſemini ſuo 29 Geneſ. 22. vbi non eſt dictum, & ſeminibus, *30 quaſi ſolum fieret mentio in promiſsione multorum ſuorum filiorum, qui futuri erant participes, & heredes promiſsionis, ſed dictum eſt,* & ſemini tuo, *vt indicaret Deus vnicum filium Abrahæ, ſcilicet Chriſtum futurum cauſam huius promiſsionis adimplendæ, & benedictionis communicandæ omni poſteritati ſpirituali Abrahæ. 31 Hoc autem ego ex dictis inferre volo, teſtamentum ſcilicet*

V Dei

Dei ipsius promissione, & verbo ab eo confirmatum, quod irritum fieri non potest, nec ei noui aliquid adiici: sicut nec testamento hominis iam confirmato, lex quæ postea lata est post quadringentos, & triginta annos per manus Moysis, 32 rescindere non potuit. 33 Benedictio igitur spiritualis, quæ velut hereditas ex testamento dēferenda erat posteris Abrahæ fidelis, non ex sola legis notitia deferenda erat: sic enim lex irritum fecisset testamentum Dei promissione firmatum, quod fieri non potuit, cum postea illa fuerit subsequuta. 34 Si enim ex sola legis notitia futura erat hereditas spiritualis benedictionis, ergo non ex promissione, & veluti testamentaria illa voluntate deferenda erat: at constat ex veteri scriptura citata per promissionē, quæ prior fuit lege, factam fuisse donationem spiritualis benedictionis: ergo non ex legis notitia, quæ promissioni superuenit. At dices: quid ergo officij, & vtilitatis habet lex, vel ad quid tradita est, si ex illa non est futura benedictio? Respondeo post promissionem, adiectam fuisse legem 35 ad hunc tantum effectum, vt populus cognosceret peccatum, & transgressionem, qua amittitur benedictio spiritualis; non autem quia benedictionis promissio adimplenda esset ex virtute eius vllo modo: ex quo etiam effectum est, vt ex sola legis notitia nihil aliud nisi peccata, & transgressiones orirentur, nisi 36 veniret Christus, qui est semen Abrahæ, cuius meritis promisit Deus benedicendas esse omnes Gentes, etiam ante ipsius aduentū. 37 Lex quidem adiecta, & posita fuit; ordinata verò, & exhibita ministerio Angelorum, non tanquam legislatorum, promulgata verò per Moysen 38 mediatorem, & sequestrem, cumque mediator inter duos, vt minimum collocari debeat, & Deus 39 sit vnus eorum, inter quem, & populum Moyses mediator legis fuit, & promulgator, sequitur legem ipsam Deo autore latam fuisse. Quomodo 40 ergo lex ipsa contra promissionem Dei esse potest, si ab eo lata est, qui prius promisit sine lege sola sua voluntate, quæ mutari non potest, benedictionem spiritualem ex gratia fidei? nullo sanè modo. 41 Esset autem lex contra Dei promissionem, si illa non tantum notitiam peccatorum præberet, sed etiam virtutem contra peccata in obseruationem sui ipsius subministraret. 42 Si enim lex posset spiritualem vitam præbere, quæ in illius obseruatione consistit, verè ex sola illius notitia esset iustitia, & benedictio, & ita contraria esset promissioni: sed scripta lex 43 coarctauit omnes sub peccato, & fecit eos esse reos damnationis absque fide Christi: vnde factum est, vt benedictio ipsa, quæ promissa fuit, ex solo spiritu Christi, non ex notitia legis communicaretur. 44 Prius autem, quam fides daretur, sub lege veluti munito præsidio, vnde exire non poteramus, detinebamur ratione peccati in ipsam

commissi,

commissi, veluti sub custodia carceris conclusi 45 *vsque ad Christum, cuius fides reuelatione nobis communicanda erat, & virtute illius eramus iustificandi, & à custodia illa carceris liberandi.* 46 *Ex his omnibus itaque constat legem fuisse hominibus ad instar pædagogi: nam ea, quæ ostendebat, non ex se,* 47 *sed in Christi adiutorio obseruari faciebat, vt sic verum sit, quod sæpe dixi, ex fide iustificationem contingere, non ex lege. At vbi venit Christus, qui autor futurus erat fidei, iam non indigemus legis* 48 *pædagogia, quare, & ipsa ex ea parte, qua non erat naturalis, cessare debuit: ideo autem cessare debuit iam pædagogia legis,* 49 *quia omnes post aduentum Christi sumus filij Dei per fidem illius, non quomodocunque; sed quasi in adulta ætate.* 50 *Quicunque enim baptizati estis in Christo, illius gratiam ita copiose, & manifestè accepistis, vt Christum induisse videamini. Dixi quoscunque baptizatos, siue fuerint Iudæi genere, siue Græci, siue conditione serui, siue liberi, siue sexu mulieres, siue viri: omnes enim quatenus baptizati, & Christiani vnum corpus cum Christo constituistis.* 51 *Quod si ita estis vnum cum Christo, eritis certè semen illud Abrahæ, cui factæ sunt promissiones, ac proinde heredes* 52 *promissionis in ipso.*

ANNOTATIONES.

1. Vtitur metaphora fascini, quod tantum dicitur lædere pueros ipsos verò Galatas appellat pueros, quia recens in fide nati erant.

2. Aliqui codices, & emendatus Sixti V. legunt *præscriptus*, melius quam alii *proscriptus*, Græce enim est προεγράφη, quod significat præscriptum, & declaratum esse, sic Græci omnes cum Chrysostomo exponunt.

3. Illud *in nobis* redundare videtur: non est in Græco, nec habent August. & Ambros. & in quibusdam codicibus Latinis non reperitur, est tamen in vulgata emendata.

4. Nomine *spiritus* intelligit dona ipsius, quæ tunc fidelibus baptizatis passim dabantur per manus impositionem, de qua dicit Paulus, *Si Spiritum sanctum accepistis credentes* Act. 19. & 9. Cui responderunt, *Neque si Spiritus Sanctus est, nouimus*, non loquebantur de tertia persona Trinitatis, quam iam vtique nouerant, sed de donis illius. Tunc ergo imposuit illis manus, & acceperunt Spiritus Sancti dona.

5. Per opera legis in toto hoc cap. vt dixi in argumento, intelligit etiam moralia non tantum ceremonialia, & in ea interrogatione affirmatiua debet suppleri responsio negans ad hunc sensum, quia non fuerunt in illis talia bona opera moralia facta ex sola legis notitia sine adiutorio gratiæ Dei, quibus consequerentur dona spiritus: notitia enim

legis sola inefficax,& infirma est,vt in Epistola ad Rom, ex mente Augustini satis ostendimus.

6. In hac interrogatione, quæ aduersatiuo sensu fit, suppleri debet responsio affirmans,vt ita ostendat ex fide,non ex notitia sola legis hęc dona accepisse,quæ erant signa iustificationis.

7. Dicit *sine causa*, hoc est,frustra,quia cum multa passi essent, frustra ea sustinuissent, siquidem ad ceremonias reuertentes gratiam Dei amittebant.

8. Ex hoc textu manifeste probatur,secundum hanc expositionem, merita mortificata per peccatum iterum redire,vt dixi 1. 2. disp. 121.

9. Verba *tribuit*, & *operatur*, possunt esse pręteriti,& pręsentis: in Gręco enim sunt participia,quę tempori præterito accommodari possunt, si verò sumantur pro præsenti, intelligendum est adhuc Galatas retinuisse dona illa, postquam exciderunt, neque in hoc à Deo desertos fuisse. Verum Paulus ostendit eos illa habere non ex lege, sed spiritu fidei, quam semel acceperunt: id quod ex præterito tempore, quando non credebant ceremonias legis necessarias esse, facile probatur, quia tunc hæc dona habebant, & cum in præcedente periodo de pręterito dixerit *accepistis*,rectè etiã in hac de præterito intelligemus.

10. Nomine operum legis non intelligit tantum ceremonialia,sed etiam moralia, vt in reliquo huius capitis: vult enim ostendere legem infirmam fuisse: cum verò dicit, *ex operibus legis*,non intelligit, ita vt ipsi facientes illa opera etiam moralia, & legem obseruantes non consequerentur spiritum sanctificationis,sed quia talia opera ex sola lege facere non poterant, & ideo dicit, ex legis operibus non accepisse Spiritum sanctificationis.

11. Totus ille numerus suppletus est, quia est veluti responsio, quam interrogatio illa tacitè continebat: addidimus autem illud: *Quo homines iustificantur apud Deum*: ad hoc enim pertinet testimonium fidei Abrahæ,& ea,quæ sequuntur.

12. De illo testimonio satis dixi in Epistola ad Rom. Illud *scriptum est*, non est in Græco,nec in omnibus Latinis.

13. Eos dicit esse ex fide,qui fidei spiritu,non sola legis notitia ducuntur.

14. Aliqui illud *præuidens*, aut *prouidens*, quod idem est, referunt ad hoc,quod antea scriptura nuntiauit Abrahamo, Genes. 12. *In te benedicentur omnes Gentes* Et postea 13. cap. sequitur, *Credidit Abraham Deo, &c.* melius tamen prouidentia illa ad nos refertur, qui instar Abrahæ ex fide iustificandi sumus,vt ita illi ob hanc causam dictum sit: *in te benedicentur omnes Gentes*, hoc est illi,qui tui imitatores fuerint, ex fide iustificabuntur: per scripturam verò intelligit Deum scripturæ autorem per metonymiam.

15. Est

Digitized by Google

15. Est conclusio ex his, quæ dixit, & repetit eandem phrasin, qua vsus antea fuit, scilicet, qui ex fide sunt, ad ostendendos eos, qui ex spiritu fidei ducuntur.

16. Addidimus illam aduersatiuam partem, *non tamen, qui sola legis notitia ducuntur,* vt textus cohæreat, huc enim spectat ratio, quæ sequitur, cum enim dixisset, *qui ex fide sunt, benedicentur cum Abrahamo,* & solum de iis intelligat benedictionem, sequitur eos, qui fide non ducuntur, non esse benedicendos.

17. Illud *enim* aliqui mutant in *alioquin,* sed non est opus mutare, verè enim reddit causam eius, quod implicitum erat, & iam expressimus, scilicet non esse benedicendos eos, qui sola lege sine fide ducuntur.

18. Ostendit eos, qui sola notitia legis ducuntur, sine spiritu fidei esse iam sub maledictione comprehensos, probat verò syllogismo illo, qui sequitur.

19. Nomine legis intelligit etiam moralem, de omnibus enim intelligitur posita maledictio: ex quo constat, in hoc cap. non de sola lege ceremoniali loqui Paulum, & hæc est maior syllogismi.

20. Illa est minor.

21. Illa est minoris probatio.

22. Quod intelligat de vita spirituali, satis ostendi 1. 2. disp. 189. cap. 4. contra eos, qui tantum intelligunt de vita corporali, quia qui obseruat legem effugiet pœnam mortis impositam, ibi igitur probaui intelligi de vita spirituali, de qua etiam intelligitur illud Habac. 2. *iustus ex fide viuit,* quod adducit Paulus, vt ostendat neminem vita iustificationis viuere ex sola legis notitia, sed ex spiritu fidei.

23. Hæc est conclusio syllogismi, quam proposuit supra num. 17. ad hanc enim probandam, rationem hanc syllogisticam adduxit Paulus.

24. Non intelligit ex eo liberatos iustos à maledictione legis per Christum, quia ille abstulerit comminationem legis, quia reuera non abstulit, sicut nec legem ea parte, qua moralis est, sed dicitur abstulisse maledictionem eo modo, quo in paraphrasi diximus, eodem modo explicabimus illud ad Colossens. 2. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti.*

25. Vocem, quam hic Paulus prætermisit, scilicet *Deo,* & nos addidimus, habetur Deut. 21. ex quo loco citatur hoc testimonium: sensus autem est, omnem, qui admiserit peccatum, quod crucis morte plectendum sit, esse à Deo execratum, & ideo eodem die sepeliendum, & ad literam in eo capite de homine scelerato est sermo. De Christo autem intelligi potest, vel ad ipsum accommodari ob diuersam ratio-

Digitized by Google

nem, quia ipse propter delicta aliena, quæ tamen, vt propria luenda suscepit, crucifixus est, ideoque 1. Petr. cap. 2. dicitur: *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* Et Psal. 21. peccata nostra dixit delicta sua: *Longe à salute mea verba delictorum meorum*, dicitur ergo Christus maledictus à Deo, quia vt talis ab eo habitus est, vt ipsum videretur odio habere.

26. Illa parenthesis in textu (*secundum hominem dico*) significat se exemplo rerum humanarum illud, quod dixit, confirmaturum, tametsi hæc verba (*secundum hominem dico*) ad Rom. 3. significent idem, quod *more carnalium, & imprudentium hominum.*

27. Hinc incipit probare legem, non potuisse aduersari testamento, & promissioni Dei de benedictione spirituali, ita vt ex lege, non ex fide fieret iustificatio, quæ est benedictio spiritualis promissa Abrahæ, & semini eius, sumitur autem ratio ex natura testamenti, quod semel confirmatum mutari non potest, neque ei aliquid addi: numero autem 17. incipit idem probare ex Autore testamenti, & legis. Propter illam autem particulam *tamen*, quæ posita est post parenthesin, difficilis est contextus: habet verò eo loco vim particulæ *licet*, vel *etiamsi*, quare illa pars, *tamen hominis* commate disiungenda est, & addendum verbum *sit*, & aduerbium *cum*, & vt clarior contextus reddatur, postponenda est, vt in paraphrasi fecimus.

28. More Hebraico dixit *dicta sunt*, hoc est, factæ.

29. 30. Ponderat Paulus illud singulare, *& semini tuo* eo modo, vt diximus in paraphrasi, nec de solo Christo ita intelligitur, vt ille solus esset futurus particeps illius promissionis, sed quia futurus erat solus causa illius communicandæ benedictionis, quæ promissa fuit, & ita *in illo*, hoc est, propter illum benedicendæ erant omnes Gentes. Verum Paulus non collegit hoc ex eo solum, quod dictum non sit in numero plurali *seminibus*, sed in numero singulari *semini tuo*. Tum quia apud Hebræos nomen illud plurali caret, tum quia etiam in singulari sumi solet pro omnibus filiis posteritatis, vt Genes. 12. & 13. Cum Dominus terram Palestinę semini Abrahę intelligitur promisisse omnib. ex illo descendentibus. Id igitur collegit non respiciens ad numeros Grammaticos, sed ad res ipsas: nam cum interdum semen in singulari significet multos, aliquando vnum, ex circumstantiis discernendum est, quando de vno intelligatur. Et quoniam benedictio illa, quæ promissa fuit Abrahæ ob animi promptitudinem, qua immolare filium suum voluit, spiritualis est, quia non alia benedictione benedictæ sunt omnes Gentes in semine Abrahæ, ideo de Christo solo intelligendus est locus, siquidem non sunt benedictæ omnes Gentes in filiis aliis Abrahæ, sed in solo Christo.

31. Illud

Digitized by Google

31. Illud pronomen *hoc*, quidam referunt non ad testamentum, quasi sensus sit, ego autem dico hoc testamentum esse Dei, quia in Græco articulus *hoc*, est neutrius generis, testamentum verò fœminini: sed referunt ad antecedentia, cum dicit, *hoc autem dico*, ac si diceret: cùm igitur ita sit, &c. & planior sensus est, quem sequuti sumus in paraphrasi, vt verba illa, *ego autem dico*, sint inferentis ex duabus propositionibus positis, quarum altera est testamentum hominis reuocari non posse: altera verò, Deum promisisse verbo suo veluti testamento.

32. Quod dicit, *non irritum facit ad euacuandam promissionem*, idem prorsus significat, quare illud ad euacuandam promissionem abundat, vt moris est in scriptura.

33. Totus ille numerus subintelligendus est in Paulo, est enim conclusio, quam proposuit probandam, ex lege scilicet non esse futuram benedictionem, quæ est hereditas spiritualis Abrahæ, & postea optimè sequitur ratio in sequenti numero.

34. Probat deinde quomodo per legem irritum fuisset testamentum, & promissio Dei.

35. *Propter transgressionem*, aliqui exponunt hoc modo: positam scilicet esse legem ad coercenda peccata, quibus benedictio impediri posset, sed cum Paulus hic sicut in epistola ad Romanos velit ostendere legis imbecillitatem, vt ita probet benedictionem iustitiæ spiritualis ex sola promissione prouenire per fidem in Christum, melius explicatur sententia Pauli eo modo, vt in paraphrasi. Prosequitur enim in hoc capite, vt notaui in argumento illius id, quod proposuit, nempe solam legem etiam moralem non iustificare, hoc est, solam illius notitiam. Illud etiam, *propter transgressionem*, potest significare euentum, non causam: quia occasione legis factum est, vt abundaret peccatum, & plures essent transgressiones, & ideò dicitur, *donec veniret semen*, ac si diceret, lex ex se, donec gratia communicabatur Christi, solum erat occasio peccati, vt sic ostendat ex lege, non futuram hereditatem.

36. Illa particula, *donec*, non significat temporis durationem, quasi sensus sit, legem positam esse vsque ad tempus aduentus Christi, & illo adueniente cessasse, quia cum hic sit sermo de morali lege, vt ostensum est, ea enim etiam propter transgressiones posita est, & nunquam cessauit: ideo causalitatis ordinem non durationis debet denotare, vt in paraphrasi explicauimus: quasi dicat Paulus, legem ad solam notitiam transgressionis positam, nec vllo modo adimplendam fuisse promissionem, nisi per Christum, qui est semen Abrahæ, in quo benedicendæ erant Gentes, & ideò per *nisi* eam explicuimus. Nec tamen ob hoc non fuit promissio adimpleta tempore toto ante incarnationem, sed quia

Digitized by Google

quia ab initio mundi impleta fuit ex Christi meritis, ideò dicit, *donec veniret semen,&c.* in quo significat ante Christum iuxta ordinem causæ, non durationis, non fuisse promissionem implendam.

37. Probauerat supra num. 27. legem non potuisse aduersari testamento Dei,& promissioni, vt ex ipsa, & non ex promissione daretur benedictio,& ita ex lege testamentum abrogaretur: hoc autem ostenderat ex sola natura testamenti, quod mutari non potest. Nunc autem ex eo confirmat, quia ab eodem Deo lata fuit, qui sibi contrarius esse non potest. Et ideo repetiuimus illud, *lex quidem adiecta, & posita fuit*, quod enim dicatur ordinata per Angelos, vel per manus Moysis tradita, non denotat ab eis legislatoribus positam esse.

38. Per mediatorem aliqui Christum intelligunt, vix tamen contextus Pauli constare potest hoc modo, quod facile, quis videre poterit.

39. Illud *Deus autem vnus est*, plures habet expositiones, quas longum esset referre, legantur in Adamo, sed nulla illarum contextui accommodari potest: hæc verò, quam sequuti sumus, videtur secundum mentem Pauli, vt ita ostendat legem datam ab ipsomet Deo autore testamenti,& promissionis, qui sibi contrarius esse non potest.

40. Aliqui putant esse quæstionem, quam Paulus proponit, & ideo diuidunt à præcedentibus: ego verò puto esse conclusionem rationis, quam induxit, sed sub interrogatione.

41. Totus ille numerus supplendus videtur, vt causalis sequens in num 42. vim habeat, quæ in se continere videtur destructionem illam consequentis, quod intulit superiori ratione.

42. Iam reddit rationem, quomodo destrueret lex promissionem, si illa non solam notitiam, sed etiam vires præberet.

43. Secundum aliquos verbum illud *conclusit*, est illationis,& consequentiæ nota, & nomine scripturæ non legem, sed scripturam intelligunt, melior tamen expositio est, quam sequuti sumus in paraphrasi, quæ est Augustini, vtiturque Paulus eadem phrasi, qua vsus fuit ad Rom. 11. *Conclusit Deus omnia sub incredulitate vt omnium misereatur Deus.*

44. Aliqui hic accipiunt fidem pro ipso Christo, ante cuius aduentum dicunt nos fuisse sub lege conclusos, vt saltem timore pœnarum, quæ in lege erant, abstineremus ab illius transgressione. Verum cum iam satis ostensum sit, Paulum in hoc capite voluisse nobis ostendere legis imbecillitatem, vt sine spiritu fidei, quantumcunque addat timoris,& pœnæ, nullus illam possit obseruare: multo melius est iuxta hanc expositionem explicare verba Pauli, vt adhuc intelligantur de ipsa imbecillitate legis, vt in paraphrasi; & nomine fidei, intelligamus spiritum fidei. Dicitur verò prius quam veniret, hoc est, priusquam com-

Digitized by Google

municaretur nobis, siue etiam Patribus antiquis: omnes enim, quotquot legem seruarunt, hoc spiritu solũ eam obseruarunt. Quare illud verbum *custodiebamur*, nõ significat aliquod legis adiutorium, vel tutamen, sed potius illã legem fuisse veluti carcerem eo modo, vt in paraphrasi, vt sic ostendatur adhuc imbecillitas illius, & ita correspondet alteri modo loquendi ipsius Pauli cum dixit, scripturam conclusisse omnia sub peccato, sic ergo in illa custodiebamur conclusi. Si autem nomine fidei intelligamus Christum, sensus erit, genus humanum, quantum erat ex parte legis, sub illa teneri conclusum, veluti in carcere propter peccatum, donec veniret Christus, cuius merito liberandi eramus à peccato, ita tamen vt particula *donec*, non temporis ordinem, sed causalitatis denotet.

45. Cum dicit *in eam fidem*, nomine fidei intelligit Christum, & particula *in* significat idem quod *vsque*, non denotans originem temporis: quasi sensus sit, omnes fuisse sub peccato tempore toto ante Christi aduentum, quia tunc etiam multi iustificati sunt, sed ordinem causalitatis, vt detentio in lege veluti in carcere ratione peccati in ipsam commissi intelligatur fuisse semper, quousque spiritu fidei à peccato iustificati essemus, qui quidem spiritus communicandus erat ex meritis Christi: & ideo dixit in eam fidem, *qua reuelanda erat*, hoc est, ad Christum vsque: particulam verò *vsque* significare ordinem causalitatis, non durationis, ostendimus in epist. ad Rom. cap. 5. sicut supra in hoc capit. num. 36.

46. Particula *itaque* est illationis nota, & indicat conclusionem vniuersalem, quam ex omnibus contendebat Apostolus deducere, legem scilicet scriptam non adiuuisse nos alio modo, quam indicando ea, quæ facturi eramus, quod proprium est pædagogi: nec enim pædagogus vires præstat interius addiscendi, sed tantum exterius sonat præceptum illius, & doctrina.

47. Dixit non simpliciter fuisse pædagogum, sed cum additamento illo *in Christo*, vt ostenderet adiutorium fuisse Christi, ex meritis scilicet ipsius, quod semper fuit cum pædagogia legis, quamuis illud ex se lex non haberet. Suppleuimus autem ibi nonnulla, vt planior esset sensus. Et particula *in* significat adiutorium Christi iuxta illud Psal. 17. *In Deo meo transgrediar murum.* & 1. ad Corinth. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, de qua præpositione multa 1. 2. disp. 189. cap. 4.

48. Quod inquit cessasse iam pædagogiam legis est conclusio omnium, quam inferre contendebat, vt in argumento epistolæ proposuimus. Docens igitur legem solam ostendisse facienda, & ideo fuisse imbecillem, comparat illam pędagogo, & colligit debuisse cessare aduentu Christi ea parte, qua non erat naturalis, sed qua solum erat volun-

tate Dei posita, quia filius non semper debet esse sub pædagogo, aut tutore, ea vero parte, qua naturalis erat cessare non potuit.

49. Quare cessare debeat iam pædagogia legis ostendit illa ratione, quia sumus filii Dei. Sed hanc non plenè explicat in hoc cap. explicat verò in sequenti, vt in argumento illius ostendimus: & ideo addidimus illud, *quasi in adulta ætate;* huc enim spectat ratio Pauli, vt videbimus cap. sequenti.

50. Probat eos esse filios Dei, & prouectæ quasi ætatis, propterea quòd Christum, & illius gratiam manifestè susceperint, scilicet per aduentum redemptoris, & per Baptismi Sacramentum, sicut initio sequentis capitis ostensurus est. Et in hoc capite inde probat Paulus, Galatas non esse sub pædagogia, quia iustificati erant per Baptismum, non quia erant filij quomodocumque, nam & filius sub pædagogo esse solet, sed quia erant filij manifestè, & ideò quasi in adulta ætate, & nisi ita intelligamus hanc filiorum adoptionem, nec causalis particula, neque ratio Pauli vllam vim haberet.

51. Ostendit eos esse hæredes benedictionis Abrahæ ex eo quòd sunt vnum cum Christo, quod etiam probare contendebat in hac epistola.

52. Illud, *secundum promissionem,* aliqui interpretantur, ita vt ostendat Paulus eos esse hæredes ex gratia, non ex meritis: melius tamen est secundum phrasin superius repetitam in hac epistola dicere, illos hæredes ipsius promissionis, in quo etiam ostenditur non meritis, sed gratia fuisse hæredes. Omnia quæ in annotationibus, & paraphrasi huius capitis, & præcedentis de imbecillitate legis diximus, fusiùs probauimus, & explicuimus 1. 2. disp. 189. ex mente Augustini multis in locis, qui in hunc sensum intellexit Paulum in hac epistola, & præcedente. Quo autem pacto non dicatur homo iustificari ex operibus tam in prima iustificatione, quam in secunda, quæ fit per augmentum gratiæ, diximus in epistola ad Romanos cap. 3. & 1, 2, disput. 189. cap. 4.

ARGVMENTVM
CAPITIS IV.

INtulit Paulus num. 46. superioris capitis conclusionem, quam contendebat ex toto discursu illius elicere, scilicet legem ceremonialem cessasse, vt iam iustificati post aduentum

tum Christi Galatæ non essent sub legis ceremoniis; probauit verò ex eo, quod essent filij Dei, veluti in adulta ætate, & ita non deberent esse sub pædagogo, scilicet sub lege, cum ante Christi aduentum iusti verè fuissent filij Dei, & tamen sub legis pædagogia constituti, ostendit eos fuisse veluti in paruula ætate, & ita sub pædagogo; at verò filios Dei post Christi aduentum iam esse veluti in adulta ætate, & ideo non esse sub pædagogo: vtiturq́; alio exemplo in hoc cap. 4. continuans id, quod dixerat in 3. Exemplum verò est tutoris; sub quo etiam filius est, tanquam sub pædagogo; ergo sicut filius non semper est sub tutore, sed certo tempore, sic ostendit non esse sub pædagogo, nisi vsque ad determinatum tempus. Hoc autem tempus in iustificatis docet fuisse aduentum Christi; ex quo sequitur non fuisse eis præfixum terminum pædagogiæ, & tutelæ iuxta ætatem ipsorum, sed iuxta Dei voluntatem, vsque ad Christi aduentum: cum enim illius merito iustificandi essent omnes etiam, qui ante Christum fuerunt: iure optimo effectum est, vt veniente Christo iam cessaret

omnis umbra, quæ erat veluti pædagogia, sub qua antea omnes etiam filij Dei, & iustificati veluti sub tutore, & pædagogo fuerunt. Quocirca in reliquo capitis suadet Galatis, vt nullo modo legales obseruent ceremonias, quod ipse ab initio epistolæ proposuerat.

CAPVT IV.

1 DIco autem; quanto tempore heres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium; sed sub tutoribus, & a-
2 ctoribus est vsque ad præfinitum
3 tempus à Patre: Ita & nos, cum essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes.
4 At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt
5 eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum recipe-
6 remus. Quoniam autem estis filij Dei: misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem; Abba, Pater. Itaque iam non es seruus: sed filius. Quòd si filius, &
7 heres per Deum. Sed tunc, quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dij, seruiebatis.
8 Nunc autem cum cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo: quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa,
9 quibus denuò seruire vultis? Dies obser-

PARAPHRASIS.

ILlud 1 autem, quod dicere cœperam de pædagogia legis, & de filiis Dei per fidem, & Baptismum, qui post Christi aduentum in adulta ætate esse cœperunt, tale est, quale solet esse de tutela etiam filiorum: quanto enim tempore filius heres in puerili ætate constitutus est, etiam si sit dominus hereditatis, quia verè filius est, tamen seruus esse videtur, cum nullius rei liberum vsum habeat, sed sub tutore sit, eiusque arbitrio rebus propriis vtatur vsque ad tempus vel à patre in testamento, vel à Principe in lege signatum: 2 at elapso tempore, iam non solum filius, & dominus est, sed verè talis apparet omnino à tutela, & pædagogia liberatus. 3 Ita & Iudæi ante Christi aduentum, quamuis essent verè filij Dei, & heredes benedictionis Abrahæ ex merito Christi venturi, quia tamen erant in statu paruulorum, adhuc etiam erant sub pædagogia, & tutela, 4 vt serui viderentur seruientes illis ceremo-

obseruatis, & menses, & tempora,
10 & annos. Timeo vos, ne fortè si-
ne causa laborauerim in vobis.
11 Estote sicut ego, quia & ego sicut
vos. Fratres, obsecro vos: nihil
12 me læsistis. Scitis autem quòd per
infirmitatem carnis euangelizaui
13 vobis iam pridem: & tentationem
vestram in carne mea non spre-
uistis, neque respuistis; sed sicut
Angelum Dei accepistis me, sicut
14 Christum Iesum. Vbi est ergo
beatitudo vestra? Testimonium
enim perhibeo vobis, quia si fieri
potuisset, oculos vestros eruisse-
15 tis, & dedissetis mihi. Ergo inimi-
cus vobis factus sum, verum di-
16 cens vobis? Æmulantur vos non
bene: sed excludere vos volunt,
17 vt illos æmulemini. Bonum au-
tem æmulamini in bono semper:
18 & non tantum cum præsens sum
19 apud vos. Filioli mei, quos ite-
rum parturio, donec formetur
20 Christus in vobis. Vellem autem
esse apud vos modo, & mutare
vocem meam: quoniam confun-
21 dor in vobis. Dicite mihi, qui sub
lege vultis esse, legem non legi-
22 stis? Scriptum est enim: Quo-
niam Abraham duos filios ha-
buit: vnum de ancilla, & vnum
23 de libera. Sed qui de ancilla, se-
cundum carnem natus est: qui
autem de libera, per repromissio-
nem: quæ sunt per allegoriam di-
24 cta. Hęc enim sunt duo testamen-
ta. Vnum quidem in monte Sina,
in

remoniis, & sacrificiis, quæ erant ru-
dimenta, & quasi prima 5 *elemen-*
ta paruulorum, quæ cum non possent
hominem iustificare, & nōdum Chri-
stus apparuisset, cuius fide, & merito
iustificati erant, & ipsa in se virtu-
tem non haberent iustificandi, adhuc
ipsos iustificatos sub se ita habebant,
sicut paruulus est sub pædagogo, &
tutore: vt etiam ipsi serui peccati,
non filij Dei viderentur, si remedia
antiquæ legis solum spectares: in il-
lius enim sacrificiis, quæ exterius ap-
parebant, nullum prorsus ex se reme-
dium peccati fuit. 6 *Postquam au-*
tem præfinitum tempus à Patre æter-
no aduenit, misit Deus filium suum
factum ex muliere, sub lege consti-
tutum, vt iam solueretur pretium re-
demptionis, 7 *quo etiam illi, qui*
sub legis tutela erant, iustificati fue-
rant, & adoptionem filiorum accepe-
rant, & status ille seruorum, & par-
uulorum sub pædagogia, & tutela
legis finiretur, statusque adoptionis,
& filiorum plane appareret. 8 *Vo-*
bis autem, ô Galatæ, quoniam estis
modo per fidem Christi consequuti fi-
liorum Dei adoptionem, dedit Deus
Spiritum gratiæ suæ, quæ excitat vos,
vt ex corde, & affectu inuocetis ip-
sum 9 *Patrem. Itaque iam non estis*
serui peccati, sed filij, quod si filij e-
stis, etiam heredes per misericordiam
Dei spiritualis benedictionis. Sed tunc
certè antequam Christum cognosce-
retis, non eratis sicut Iudæi, nimirum
X 3 *filij*

Digitized by Google

in seruitutem generans, quæ est
25 Agar, (Sina enim, mons est in A-
rabia, qui coniunctus est ei, quæ
nunc est Ierusalem) & seruit cum
26 filiis suis. Illa autem quæ sursum
est Ierusalem, libera est; quæ est
mater nostra. Scriptum est enim:
27 Lætare sterilis, quæ non paris: e-
rumpe, & clama, quæ non partu-
ris: quia multi filij desertæ, magis
28 quam eius quæ habet virum. Nos
autem fratres, secundum Isaac
29 promissionis filij sumus. Sed quo
modo tunc is qui secundum car-
nem natus fuerat, persequebatur
eum qui secundum spiritum: ita
30 & nunc. Sed quid dicit scriptura?
Eijce ancillam, & filium eius: non
enim heres erit filius ancillæ cum
31 filio liberæ. Itaque fratres, non
sumus ancillę filij, sed liberæ: qua
libertate Christus nos liberauit.

filij Dei sub pædagogo, seruorum tantum effigiem habentes, sed verè eratis serui peccati seruiẽtes idolis, sicut aliæ Gentes, & his, qui natura non sunt Dij, sed vana hominũ opinione. Quare, & tunc ante Christi aduentum in multo inferiori gradu eratis, quam Iudæi: cum ergo iam veram Dei notitiam sitis consequuti, vel potius, 10 cùm Deus ipse vobis sui notitiam & fidem communicauerit, 11 quomodo conuertimini ad legis cæremonias, quæ nihil roboris ad iustificãdum habent? quibus denuo seruire velitis, postquam idolis & falsis Dijs primum seruiuistis. Obseruare quidem vultis ritu Iudaico, dies scilicet Sabbathorum, Nouiluniorum, & decimum diem primi mensis, & menses, in quibus celebres sunt dies, & annos, septimum remißionis, & quinquagesimum Iubilæi. Timeo de vobis, ne sine fructu laborauerim erga vos, & labores mei reddantur inanes. Audete magna fiducia legis cæremonias negligere, sicut me videtis facere, vt ita sitis, sicut ego sum. 12 Nam & ego etiam aliquando fui, quales vos nunc estis existimans pietatem esse circuncisionem, & alias ceremonias seruare. 13 Fratres obsecro audiatis me, 14 nihil à vobis læsus sum, cum vobis Euangelium prædicaui, sed potius vestra in me maxima fuit obseruantia. 15 Vobis autem omnibus notum est, me cum Euangelium vobis antea prædicarem, nudum fuisse, & inopem ab omnibus humanis præsidiis, atque adiumentis. Scitis etiam 16 nuditatem illam, & inopiam meam ab humanis præsidiis, quæ erat vobis quasi tentationis occasio, & incentiuum, ne mihi crederetis, nihil vobis nocuisse, quominus prædicationi meæ acquiesceretis, imò me ita destitutum tam piè, & sanctè suscepistis, & auscultastis, ac si Angelus Dei, aut Christus ipse ad vos venisset. 17 Vbi ergo modo est 18 insignis vestra erga me beneuolentia, qua me beatum prædicabatis, quo ve illa abiit? beneuolentiam dico; 19 testimonium enim perhibeo, quia etiam in mei gratiam oculos eruisſetis,

setis,

fetis, si opus mihi fuisset. Quomodo ergo nunc veluti inimicum, & infensum me habetis, quia pergo dicere veritatẽ? quod potius vestram erga me dilectionem augere deberes. Isti verò vestri Doctores, à quibus antea dixi cap. 1. vos perturbari, magno studio ostendunt, se vestri 20 zelo ardere, & amore, qui re vera bonus non est: conantur enim vos à fide, & Euangelio adducere ad legis ceremonias, vt ita illos imitemini in legalium obseruatione. 21 Bonum autem præceptorem, qualis ego fui vobis, imitamini in eo, quod bonum est, ita vt stabiles, & firmi maneatis semper in eo, & non tantum in præsentia mea, sicut tunc fecistis, sed etiam nunc in absentia. Filioli, quos semel tanquam mater genui in Christo, non sine multo labore, nunc verò in errorem prolapsos iterum parturio, magna scilicet sollicitudine ad Christum reuocare laborans, donec ad illius fidei perfectionem perueniatis neglectis legis ceremoniis: cuperem 22 autem apud vos esse, 23 vt non scripta, sed viua voce vobiscum agerem: 24 quoniam dubito de vobis, ne paulatim in pristinum statum recidatis, quod ego facilius sermone, quam epistola impedire possem. Obsecro respondeatis mihi, qui ceremonias legis obseruare vultis, nunquam ne legistis in ipsius 25 Moysis pentateucho Gen. 16. Abrahæ duos filios fuisse Ismaelem ex Agar muliere ancilla, & Isaac ex Sara vxore libera? sed horum duorum longe fuisse diuersam generandi rationem: nam Ismael natus est iuxta naturæ ordinem, natus enim est ex puella fœcunda adhuc ætate virente; at verò Isaac, qui ex libera susceptus est, natus est supra naturæ ordinem, & vires virtute diuinæ promissionis: repugnat enim naturæ, vt senex ex anu sterili, qualis erat Sara, filium generet. Quæ per allegoriam reconditum habent sensum. 26 Hæc enim quæ dixi, duo significant, & figurant testamenta. 27 Agar quidem (quæ serua est ipsa, 28 & filij eius) significat illud, quod in monte Sina datum est, quod etiam seruos facit. 29 Dico ergo Agar significare ipsum montẽ Sina (hoc est, testamentum ibi datum) qui similitudinem, 30 & cognationem habet cum Hierusalem 31 terrestri, quam videmus, ea enim 32 sicut Sina seruos gignit, seruans idem testamentum, & ceremonias. 33 Illud autem cœlestis Hierusalem nouum testamentum, cuius typum gerit Sara, liberum est, sicut, & Sara libera fuit, & omnes fideles filij illius sunt, & eam matrem habent, sicut scriptum est Isaiæ 54. Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ nõ parturis, quia multi filij desertæ magis, quam eius, quæ habet virum. Quasi dicat: lætare tu Ecclesia primitiua, quæ ea parte, qua ex Gentibus constas, hactenus derelinquens Deum, & fornicans cum idolis, sterilis fuisti, erumpe ergo in vocẽ gaudij, 34 quia plures iam tibi sunt filij, quã synagogæ, quæ 35 maritum habuit Deum à principio. Nos ergo, qui sub Euangelio

nati

Digitized by Google

nati sumus, filij sumus Abrahæ, non quidem iuxta naturæ ordinem, sicut fuit Ismael, sed iuxta gratiam promißionis, sicut Isaac heredes fidei illius, & libertatis; sed sicut tunc Ismael secũdum carnis ordinem natus persequebatur Isaac, qui secundum promißionis gratiam natus est, sic etiam modo Israelitæ, qui legis ceremoniis adhuc adhærent, vt filij Abrahæ secundum carnem contra fratrem minorem, Ecclesiam scilicet Gentilium, quæ nata est secundum Euangelij libertatem ex gratia promißionis, & fide inflantur, non sustinentes spiritualem Euangelij libertatem: sed sicut Deus, vt Scriptura testatur, dixit Abrahamo: Eiice ancillam, & filium eius, non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ. *Sic etiam vetus testamentum, quod per Agar ancillam significatur, & filij eius, obseruantes scilicet ceremonias legis, & propterea serui, eiiciendi sunt ex domo, & congregatione fidelium, vt hi solum, qui ex fide filij sunt Abrahæ, heredes sint regni cœlestis. Ex quibus constat nos, qui nouum testamentum reiectis ceremoniis veteris legis complectimur, esse verè filios Isaac secundum promißionem, & ita liberos; non autem seruos, & filios ancillæ,* 37 *qua libertate à ceremoniis nos Christus gratia sua donauit, & consequenter futuros esse heredes regni cœlestis promisit.*

ANNOTATIONES.

1. Illud *Dico autem* est explicantis id, quod antea dixerat: hæc verò explicatio refertur ad id, quod de pædagogia legis dixerat, vt in argumento capitis declarauimus. Ex hoc textu Pauli contra quosdam recentiores Theologos conuicimus 3. part. disp. 88. cap. 1. in antiqua lege filiorum Dei adoptionem verè, & propriè fuisse, atque ex eodem testimonio, etiam probauimus 1. 2. disput. 184. cap. 3. circuncisionem non habuisse vim iustificandi, sicut habet Baptismus, quia sicut baptizati dicuntur filii Dei, quasi in adulta ætate, eo quod manifesto signo sunt iustificati, ita etiam circuncisi dicerentur filij Dei in adulta ætate, & non tanquam serui sub tutoribus, si circuncisio vim haberet iustificandi.

2. Totum illum numerum suppleuimus, qui implicitus erat in exemplo, ad vtrumque enim tempus pædagogiæ, & libertatis pupilli attendit Paulus in applicatione exempli, præcipuè verò ad tempus libertatis, quam ponit num. 6. illis verbis: *at vbi venit.*

3. Hinc incipit applicare exemplum tutoris, & filij heredis, primum quidem tempus tutelæ ad iustificatos in lege veteri, qui etiam filij erant: deinde ad iustificatos post aduentum Christi, qui iam non sunt sub tutore.

4. In hoc seruat comparationem: sicut enim filius defuncti est heres illius,

illius, & dominus hereditatis, apparet tamen ex tutela, & pædagogia seruus ratione dicta in paraphrasi, sic & iusti in lege veteri erant filij Dei, & hæredes benedictionis Abrahæ, sed considerata solùm pædagogia legis serui videbantur peccati, nec habuisse hereditatem Abrahæ spiritualem.

5. Cęremonias illas appellat elementa mundi huius, sicut ad Hebr. 5. & Coloss. 2. dicit enim esse veluti rudimenta paruulorum, & prima elementa. Dicit autem *seruientes*, vt ostendat statum illum, in quo adhuc serui videbantur esse, si solum illas cæremonias spectes: serui inquam peccati ob rationem, quam in paraphrasi addidimus.

6. Hic iam applicat exemplum filij, cum liberatur à tutore, ad iustificatos post aduentum Christi, quod erat tempus definitum pædagogiæ, & tutelæ.

7. Cum dicit, *Vt filiorum adoptionem reciperemus*, non ideò dicit, quia solum post Christi aduentum fuerint verè filij adoptiui Dei; fuerunt enim etiam ante aduentum, vt planè ostendi explicans hunc locum 3. part. quæst. 23. art. 2. sed quia post aduentum Christi, vbi manifestatum est pretium nostræ redemptionis, & adoptionis, & Sacramenta, quibus vt manifesto signo iustificamur, sicut in fine præcedentis ca. de Baptismo diximus, & iam iusti receperunt adoptionem manifestè, ita vt verè filij Dei adoptiui non solùm essent, sed etiam apparerent, ablata iam pædagogia, & tutela cæremoniarum legis.

8. Hactenus ostenderat diuersum statum filiorum Dei inter eos, qui in Iudaismo per meritum Christi futuri iustificati fuerunt, & eos, qui post aduentum Christi: quòd hi non tantum essent filij, sed etiam statum filiorum absque pædagogia essent consequuti: illi verò essent filij, sed serui apparerent sub tutore, & legis pædagogia constituti, quam ostendit debuisse cessare, cùm tempore signato à Patre venit Christus: nunc verò ostendit diuersum statum, quem nunc habent Galatæ ab eo, quem ante fidem Christi habuerunt, multò sane inferiorem, quàm Iudæi in lege veteri, vt potiori ratione in eis etiã cæremoniæ legis cessare debeant, id quod incipit ostendere ab illis verbis, *sed tunc quidem.*

9. Variè aliqui exponunt, vt videre licet apud Adamum, quare Paulus geminauerit dictionem, quæ Patrem significat, & Hebraice dicendo *Abba*, & Græce dicendo *Pater.* ego tamen existimo fuisse solùm expositionem Hebraicæ vocis.

10. Corrigit id quod dixerat, scilicet *postquam nouistis Deum*, vt agnoscant gratiam Dei, quasi diceret: potius dicere debebam cognitos fuisse vos à Deo, quia vos non quæsiuistis eum, sed ille se vobis ostendit, & propterea dicit cognitos esse à Deo. Doctrinam hanc ex alijs locis desumpsit Concil. Arausic. secundum can. 4.

11. Illud *iterum*, quod habetur in textu, non expresſimus in paraphraſi, quia ſatis explicatur, cum ponitur infra particula illa *denuo*, ſignificat autem Paulus eos conuerti ſine cauſa ad egena elementa, hoc eſt, ad ceremonias legis, quas ſupra in hoc cap. nu. 5. appellauit elementa, ſicut etiam alibi, quod notaui in eo numero. Dicit autem iterum *conuertimini, & denuo ſeruire vultis*, non quia antea ſeruierint, cum illi non eſſent natione Iudæi, nec in Iudaiſmo antequam ad Chriſtum conuerterentur, imò ſeruirent idolis, vt nu. 8. & 9. oſtendi, ſed dicit *iterum*, & *denuo* reſpectu prioris ſtatus idololatriæ, vt in paraphraſi explicaui. Aliqui putant eos reprehendi, quòd conuerterentur iterum ad Solem, & Lunam, non vt eos colerent, ſicut antea tanquam Deos, ſed quia obſeruabant dies, & annos, & hæc putant dixiſſe Paulum elementa. Sed placet expoſitio, quam ſequuti ſumus in paraphraſi.

12. Illud *quia ego ſicut vos*, Caiet. refert ad futurum, ac ſi diceret, quia ego ero ſicut vos: cæterum parum haberet hoc energiæ ad perſuadendum id, quod contendebat Paulus. Adamus refert ad præſens in hūc ſenſum: eſtote ſicut ego ſum in obſeruatione ceremoniarum, ſicut & ego me vobis accommodaui in aliquibus, quæ propria videbantur Gentilium. Verum parum etiam haberet coloris hæc ratio, quia Paulus ſe ſolum accommodauit in his, quæ non pertinebant ad ſalutem, Galatis autem perſuadet, vt relinquant ea, quæ ipſi putabant neceſſaria ad ſalutem: quare expoſitio paraphraſis placet, quæ magnam vim habet.

13. Illud *obſecro vos*, aliqui cum Hieronymo referunt ad præcedentia, vt obſecret Paulus eos eſſe, ſicut ipſe erat: cæterùm videretur præpoſterè poni in fine periodi, ſi hunc ſenſum haberet: Græci omnes referunt ad ſequentia, & eſt phraſis Scripturæ, cum quis incipit aliquid denuo loqui, vel rationem nouam obijcere, ſicut Geneſ. 28. *Obſecro ne iraſcaris Domine, ſi loquar adhuc ſemel*, & in vulgari ſermone vtimur eadē phraſi. Exod. 4. *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius.*

14. Græci omnes putant ea de cauſa dixiſſe Paulum, *Fratres nihil me læſiſtis*, vt eis oſtenderet non laceſsitū aliqua iniuria, contra eos omnia, quæ retulimus, dixiſſe; ſed cum aliàs multis ab ipſis affectus eſſet beneficijs, vt amorem in eos oſtenderet. Ego verò exiſtimo alia de cauſa id dixiſſe, vt in paraphraſi conſtat, ita enim ratio Pauli maiorem vim habet.

15. *Infirmitatem carnis*, aliqui cum Hieronymo referunt ad ægritudinem corporis; verùm non ſatis conſtat, cum ea Paulum prædicaſſe Galatis. Alij, vt Græci, putant Paulum ſignificaſſe perſecutiones, quas ibi cum prædicaret, paſſus eſt; id tamen non quadrat cum eo, quod dicit, exceptum fuiſſe, ſicut Angelum Dei: melius igitur intelligi poteſt,

test, vt in paraphrasi, sic enim & ratio Pauli optimè contexitur.

16. Tentationem appellat ipsam nuditatem humani auxilii, erat enim illa occasio, ne Paulo tam facile crederent, humano modo loquẽdo: hanc ergo non respuistis, nec spreuistis, inquit Paulus, ea ratione, qua dixi in paraphrasi, quia nihilominus prædicantem exceperunt Paulum, vt Angelum Dei. quidam verò codices vulgati legunt *vestram*: alij verò *meam*, idem tamen sensus est: in Græco habetur *meam*, vel *mei*. Dicitur autem *vestra*, quia poterat Galatis esse occasio non attendendi Paulo prædicanti: dicitur autem *mea*, quia illa erat in ipso Paulo: dicit etiam *in carne mea*, id est, in nuditate sua in modum explicatum. Vulgata autem emendata habet *vestram*.

17. In Græco dicitur τίς, id est, quæ est beatitudo vestra, sed vt notauit Theodoretus *qua* posuit pro *vbi*, & in idem redit sensus, sicq; interpretantur Græci omnes.

18. In Græco est μακαρισμός, à verbo Græco μακαρίζω, id est, beatum prædico, vnde eo loco beatitudo est beatificatio, vel prædicatio alicuius tanquam beati: Theophylactus, & Theodoretus referunt ad alios, à quibus Galatæ beati prædicabantur ob singularem beneuolentiam eorum in ipsum Paulum, & sic illud *vestra* sumitur pasśiue, OEcumenius refert ad ipsum Paulum, qui Galatas antea beatos prædicabat, & sic etiam sumitur pasśiuè: mihi placet actiue accipere iuxta sensum, quem sequuti sumus in paraphrasi.

19. Causalis illa poterat referri ad præcedentia, scilicet tanquam Angelum Dei excepistis; commodius tamen refertur ad illud, *vbi est beatitudo vestra*, ceterum opus est supplere aliqua, vt fecimus in paraphrasi, aliàs nullius rationem, & causam reddet.

20. *Æmulantur vos*, idem est quod æmulatione, vel zelo erga vos ardent, æmulari enim significat zelum habere, vt Apocal. 3. *æmulare ergo, & pænitentiam age*, & 1. Cor. 14. *æmulamini spiritualia*, & paucis interiectis in hoc cap. æmulari accipit pro imitari, vtrumque enim significat.

21. Græci legunt hoc modo, *bonum est æmulari semper in bono*, idem tamen sensus est.

22. Particula *autem*, aut redundat, vt sæpe fit, aut prior periodus mansit Ecliptica propter animi affectionem, ita vt sit quædam ad ipsos conuersio, solum eos filios appellans.

23. Illud *mutarem vocem*, ad hoc referunt Græci, vt præsens vteretur diuerso loquendi modo, nunc plangentis, nunc verò admirantis, &c. & ad hunc ferè modum exponit Hieronymus: existimo tamen potius mutationem vocis referendam esse ad id, quod dixi in paraphrasi, desiderabat enim Paulus potius viua voce, quam Scriptura cum ipsis agere, sicut Ioannes 2. epist. & 3. *Plura habens vobis scribere nolui per chartam,*

 & atra-

& atramentum, spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui. Dicitur verò mutari vox hoc modo, quia etiam Scriptura dicitur vox quædam, tametsi quasi mortua.

24. Reddit rationem, quare desideret os ad os loqui cum eis, quia scilicet confundor in vobis. Verbum *confundor* non significat *erubesco*, aut *pudefio*, sed *hæsito*, & *dubito*, Græce enim est ἀπορῦμαι, sensus verò est quasi diceret, non vt aliqui volunt, quia nescio quid, aut quomodo scribam, hæc enim ratio non videtur quadrare superioribus, maximè si sequamur interpretationem paraphrasis, sed sensus est, quem in paraphrasi dixi.

25. Nomine legis intelligit Paulus librum legis, qui dicitur Pentateuchus, vnde non accipit legem eo modo, quo proximè antea acceperat, nempe pro ceremoniis legis. In hoc loco Pauli quatuor sensus, qui solent Scripturæ assignari, simul contineri ostendi 1. part. disputat. 16. cap. 3.

26. Vulgatus interpres legit αὐτὰ, id est, *hæc*, Græci codices habent αὗται, id est, *hæ*, prima lectio refertur ad ea omnia, quæ narrata erant, secunda ad duas mulieres Agar, & Saram, vt illis duo Testamenta significentur.

27. Textus sic habet: *Vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Agar*, in quibus verbis notandum est, illud relatiuum *quæ*, in Græco esse fœmininum, & referri posse ad testamentum, quod Græcè est fœminini generis διαθήκη, & ad Agar: in versione Latina non potest referri ad testamentum, quod est neutrius, sed debet referri ad Agar, cum autem dicit, *quæ est Agar*, sensus est, quæ per Agar significatur.

28. Illud *seruit cum filiis suis*, quod ab aliquibus ponitur in textu, post parenthesim, in emendata verò Sixti sine parenthesi, refertur ad Agar, & ita coniunximus in paraphrasi, quamuis deinde idem etiam de Hierusalem terrestri dicat Paulus.

29. Textus sic habet, *Sina enim mons est in Arabia, &c.* In omnibus codicibus Græcis est repetitio eiusdem in hunc modum, *Agar enim Sina mons est in Arabia*, & Græci Patres hoc modo legunt, & ex Latinis solùm apud Ambrosium est vestigium quoddam huius repetitionis, sed vtroque modo in idem redire potest sensus. Mitto autem varias expositiones, quas inuenies in Adamo in hunc locum.

30. Quod Latine habetur *coniunctus est*, Græce dicitur συστοιχεῖ, quod verbum significat consensum, & conuenientiam in natura, aut similitudinem in alia qualitate, & ita tollitur difficultas, quæ posset esse si de coniunctione loci loqueretur Paulus. Mitto varias etiam expositiones huius loci, sic enim facile constat verus sensus Pauli.

31. In textu dicitur: *Hierusalem, quæ nunc est*, quod varie explicari solet, vt

Digitized by Google

vt videre licet in Adami commentariis: verum illam particulam *nunc*, puto non significare solam temporis durationem, sed etiam locum, vt significet Hierusalem, quam nunc videmus, id est, terrestrem: id quod colligo ex eo, quod postea opponit ei cœlestem Hierusalem.

32. Illud, *& seruit cum filiis suis*, quod ponitur post parenthesim, referri videtur ad Agar, potest tamen ad illam, & ad Hierusalem referri, quia in hoc est cognatio, & similitudo vtriusque, frustra verò refert Caiet. illud ad seruitutem temporalem, quia seruiebant ciues Hierusalem Romanis: est enim hic sermo de seruitute ceremoniarum legis.

33. Nomine Hierusalem non intelligit ipsam congregationem Christianorum, sed nouum testamentum, id est, legem gratiæ: superius enim illas duas mulieres dixit significare duo testamenta. Vocat autem hoc nouum testamentum fidei, & gratiæ cœlestem Hierusalem per figuram metonymiam accipiens continens pro contento. Dicitur verò cœlestis non iam Ecclesia triumphalis solùm, sed viatorum, quia rebus cœlestibus intendit.

34. Nomen positiuum *multi* comparatiuè accipit, & significat plures, quod indicat particula *quam*, quæ subsequitur: sicut econtra ad Roman. 5. nomen *plures* non accipitur comparatiue, vt ibi notaui.

35. Habere maritum, quidam referunt ad Moysem, & legem scriptam, melius tamen refertur ad Deum, vt in eodem sit comparatio, quòd illa, quæ antea Deo coniuncta non fuit, vt generaret filios, scilicet Gentilitas, modò coniuncta plures habeat, quàm synagoga, quando etiam coniuncta fuit Deo, tanquam viro.

36. Cum prosequatur hactenus allegoriam superius propositam, facile hæc vltima pars applicari potest, quam Paulus sine applicatione reliquit.

37. Græci illam extremam clausulam interrogatiue legunt, & coniungunt cum sequenti cap.

ARGVMENTVM

CAPVT V.

PRosequitur id, quod proposuerat: à circuncisione enim adhuc Galatas auertit, & Pseudo Apostolis, qui contrarium eis suade-

Digitized by Google

bant, imprecatur. Tandem ad solam obseruationem legis charitatis hortatur eos, in qua ostendit totam legem decalogi contineri, quam satis est obseruare.

CAPVT V.

1 STate, & nolite iterum iugo
2 seruitutis contineri. Ecce ego
Paulus dico vobis : quoniam si
circuncidamini, Christus vobis
3 nihil proderit. Testificor autem
rursus omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est v-
4 niuersæ legis faciendæ. Euacuati
estis à Christo, qui in lege iustifi-
5 camini : à gratia excidistis. Nos
enim Spiritu ex fide, spem iustitiæ
6 expectamus. Nam in Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium : sed fides, quæ per charitatem operatur.
7 Currebatis bene : quis vos impediuit veritati non obedire? (Ne-
8 mini consenseritis.) Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos.
9 Modicum fermẽtum totam mas-
10 sam corrumpit. Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis. Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, qui-
11 cunq; est ille. Ego autem fratres, si circuncisionem adhuc prædico: quid adhuc persecutionẽ patior? Ergo euacuatum est scandalum
12 crucis. Vtinam & abscindantur qui vos conturbant. Vos enim in liber-

PARAPHRASIS.

FIrmi estote, 1 & in fide amplius ne vacilletis, & libertatem, quam lege Euangelica consequuti estis, retinete, ne implicemini iugo legis Mosaicæ 2 iterum, postquam sub iugo infidelitatis in Gentilismo primum fuistis. Ecce ego 3 Paulus Dei Apostolus, qui apud vos deberem maioris esse autoritatis, quàm Pseudo Apostoli isti, qui vos seducunt, affirmo vobis, si circuncidamini, putantes necessariam esse circuncisionem ad salutem, fidem 4 Christi nihil vobis profuturam: rursus addo, quemuis tam Iudæum, quàm Gentilem, qui circuncisionis ceremoniam obseruat, tanquam necessariam, obnoxium se reddere ad obseruandas vniuersas alias legis ceremonias: 5 tum quia eadem est illius, & aliarum omnium ratio; tum etiam quia ipsamet circuncisio est veluti professio quædam, & signum Iudaicæ religionis. At vos, ô Galatæ, non obseruatis omnes alias ceremonias, cur igitur circuncisionem putatis ad salutem necessariam? opus, & labor Christi nihil vobis profuturus est, qui ex legis Mosaicæ ceremoniis 6 iustificari con-

libertatem vocati estis fratres:
tantum ne libertatem in occasio-
nem detis carnis, sed per charita-
tem Spiritus seruite inuicem. O-
14 mnis enim lex in vno sermone
impletur: diliges proximum tu-
15 um sicut teipsum. Quòd si inui-
cem mordetis, & comeditis: vi-
dete, ne ab inuicem consumami-
16 ni. Dico autem in Christo: Spiri-
tu ambulate, & desideria carnis
17 non perficietis. Caro enim con-
cupiscit aduersus Spiritum: Spi-
ritus autem aduersus carnem; hęc
enim sibi inuicem aduersantur:
vt non quæcunq; vultis, illa facia-
18 tis. Quòd si spiritu ducimini, non
19 estis sub lege. Manifesta sunt au-
tem opera carnis; quæ sunt forni-
catio, immunditia, impudicitia,
20 luxuria, idolorum seruitus, vene-
ficia, inimicitiæ, contentiones, æ-
mulationes, iræ, rixæ, dissensio-
21 nes, sectæ, inuidiæ, homicidia, e-
brietates, comessationes, & his si-
milia: quæ prædico vobis, sicut
prędixi, quoniam qui talia agunt,
regnum Dei non consequentur.
22 Fructus autem Spiritus est: cha-
ritas, gaudium, pax, patientia, lon-
ganimitas, bonitas, benignitas,
mãsuetudo, fides, modestia, con-
23 tinentia, castitas. Aduersus hu-
24 iusmodi non est lex. Qui autem
sunt Christi, carnem suam cruci-
fixerunt cum vitiis, & concupis-
25 centiis. Si Spiritu viuimus: Spiritu
26 & ambulemus. Non efficiamur
inanis

contenditis, & à gratia iustificationis, quam per ipsum consecuti eratis, defecistis. 7 Nos 8 quidem, qui sincerè Christiani sumus per 9 Spiritum fidei, iustitiam, 10 quæ in votis nobis est, speramus consequi. Apud Deum enim nullius valoris, & effectus est circuncisio, vt Pseudo Apostoli isti vobis persuadent, nec etiam præputium Gentilium, vt quidam etiam Gentiles arroganter iactitant, sed 11 fides actuosa, & quæ charitatem excitat ad operandum, & ad obseruandam legem. Pulcre vobis succedebat vita, & doctrina Euangelica, in qua currebatis; quis impediuit istum cursum, cuius erat spes magni profectus, 12 quominus obtemperaretis veritati? 13 Nemini, quisquis ille est, qui ad circuncisionem, & alias ceremonias Mosaicas vos inuitat, consenseritis: talis enim persuasio non est 14 à Deo. 15 pauci enim impostores totam vestram congregationem facilè inficient. 16 Ego tamen de vobis fido 17 fretus Dei bonitate, quod deinceps nihil aliud diuersum sentietis ab eo, quod principio tenebatis de gratia Christi: tum etiam spero, quod is, qui vos decepit, quicunq; ille sit, luet pœnas peccati sui. Ego autem fratres, si adhuc prædico necessariã esse circuncisionẽ, vt calumniantur Pseudo Apostoli, volentes etiam vos seducere, cur adhuc Iudæi pergunt tam obstinato odio me insectari? sic enim cessaret offen-

inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

offendiculum prædicationis Crucis Christi: non enim tam offenduntur, quòd Christum prædicem esse Messiam, quàm quòd per ipsum dicam legem, & ceremonias esse abolitas: 18 at nondum cessauit persecutio: ergo non approbo prædicatione mea circuncisionem. Vtinam illi, qui vos à recto statu Euangelij deiicere conantur, penitus à vestro contubernio 19 amputentur. 20 Dixi, qui vos deiicere conantur, & perturbant, quia vocati estis vocatione Euangelij in libertatem à ceremoniis istis: cum ergo isti rursus ad eas vos reducere conantur, vos perturbant. Vocati igitur in libertatem, quam dixi, tantum curare debetis, ne libertate hac, qua donati estis, abutamini ad vitæ licentiam, & prætextu illius desideria carnis compleatis, sed volo vos exerceri in charitate, & mutuis officiis præstandis, nec aliquid aliud à vobis peto. 21 Tota enim lex hoc vnico verbo continetur: Diliges proximum tuum sicut teipsum, *contra verò, si per contentiosas disputationes, quas de legis ceremoniis inter vos habetis, vos mutuo mordetis, & quod magis est, deuoratis, periculum est, ne tanquam mutuis vulneribus conficiamini. Illud igitur, quod dixi, vos scilicet vocatos esse in libertatem, & tantùm curare debere, ne ea abutamini ad desideria carnis implenda, sic explico. 22 Spiritum fidei, in quo est libertas, quam dixi, in omnibus vestris actionibus, vt ducem sequimini, & desideria 23 carnis non perficietis: caro enim concupiscit contraria spiritui, & gratiæ, & hic spiritus contraria carni: hæc enim duo sibi aduersantur. Quocirca & caro resistit, ne omnia faciatis, quæ spiritu gratiæ desideratis facere; contra etiam idem spiritus gratiæ repugnat, ne omnia faciatis, ad quæ caro impellit. 24 Quod si spiritus gratiæ ductum sequimini, lex non tenebit vos reos, & obstrictos pœnis suis, quia sic adiuti gratia præstabitis opera legis, & pœnam illius fugietis. Sic ergo libertatem veram consequemini, ad quam vocati estis, nec illa abutamini ad vitæ licentiam. Ignorare autem non potestis, quænam sint ista opera carnis, quæ fugere debetis: sunt enim fornicatio, 25 vsus venereus contra naturam, &c. Et qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Contra verò fructus spiritus gratiæ est charitas, gaudiũ, &c. 26 Eis verò, qui hæc agunt, non est contraria lex, nec eos damnat, nec accusat: vnde liberi sunt ab eius timore, & pœna. 27 Qui verò sunt Christi, mortui sunt carnalibus desideriis: & in hoc Christo assimilantur, quòd sicut ille mortuus est vitæ temporali, sic & ipsi mortui sunt vitæ peccati, & carnis operibus, & cum ipso consepulti in Baptismo, & ita ei configurati, 28 vt sicut ipse surrexit à mortuis in vitam immortalem, ita & qui sunt Christi, spirituali vita viuant.*

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

1. Conclusio est eius, quod antea dixerat in fine 4. cap. *qua libertate Christus nos liberauit.*

2. Illud *iterum*, quod est in textu, habet sensum, quem expreßimus in paraphrasi, & eodem modo explicauimus eandem particulam capit. 4. num. 11.

3. *Ego Paulus* emphasin habet, & ostendit autoritatem suam apud Galatas, vt inde eos conuincat.

4. *Christus* idem est, quod fides, vel gratia Christi.

5. Duas rationes attulimus, ob *quas* dixit Paulus, qui circunciditur, obnoxium se facere omnibus aliis ceremoniis, quas tamen Paulus non expreßit, quomodo autem circuncisio sit profeßio legis Mosaicæ, diximus 3. part. quæst. 70. artic. 2. Chrysostomus adducit aliam causam, quia in ipsa circuncisione necessarium erat plures alias ceremonias obseruare, vt legitimè illa susciperetur. Verùm mihi placet magis expositio, quam sequutus sum in paraphrasi: quia hoc modo non esset, qui circunciditur, obnoxius toti legi, sed bonæ parti illius. Paulus vero dicit, vniuersæ legi. Expreßi etiam argumentum, quod ex propositione illa fieri potest, quodque Paulus non deduxit: hinc enim colligere licet, Galatas non voluisse seruare omnes ceremonias, alioquin argumentum Pauli nullum esset. Porro autem ipsos aliquas alias præter circuncisionem seruasse, constat ex cap. præcedente post num. 11.

6. Illud *iustificamini* non pro re ipsa sumitur, sed pro conatu, & voluntate, vt in paraphrasi.

7. Per illud *nos* significat se, & alios, qui sententiam ipsius in hac parte sequuntur.

8. In Græco est particula γὰρ, quæ significat *enim*, & sic vertit interpres hoc loco. Aliquando verò denotat *certè*, seu *quidem*: hic autem nó videtur habere vim causalis: vix enim appareret, quò referri poßit, si causalis sit, nec ad proximè, nec ad superius antecedentia.

9. Per *spiritum* aliqui intelligunt Spiritum sanctum, aliqui spiritualem legis intelligentiam. Verum satis congrue intelligitur ipsa gratia, quæ dicitur Spiritus ex fide.

10. *Spem iustitiæ* posuit pro eo, quod est sperata iustitia, quia ipsa res, quam speramus, aliquando dicitur spes, iuxta illud ad Rom. 8. *Spes autem, quæ videtur, non est spes*, & vulgò vtimur hoc etiam loquendi modo, vt res ipsa spes dicatur.

11. Fides dicitur per charitatem operari, non vt quidam dicunt, tanquam per causam, ex qua fides habeat efficaciam operandi, quia re vera charitas non est causa fidei, sed, vt dixi in paraphrasi, quia fides exci-

Digitized by Google

modo conciliari possunt hæ duæ sententiæ, vt hic loquatur de lege, quę vt plurimum obseruanda occurrit erga proximum, ibi verò de lege tam erga Deum, quàm erga proximum.

22. Nomine Spiritus aliqui intelligunt Spiritum sanctum, sed cum Spiritus sanctus in nobis dicatur operari per spiritum gratiæ, & fidei, melius pro hoc accipitur, & vtroque modo in idem redit.

23. Siue nomine carnis intelligat appetitum rebellem, siue prauas cogitationes, idem est sensus. Nomine autem spiritus non intelligit solam animam rationalem, sed eam spiritu gratiæ instructam: sic omnes Græci nomine spiritus, spirituales cogitationes; nomine verò carnis cogitationes humanas ad malum inclinantes intelligunt.

24. Aliqui putant illud, *non estis sub lege* significare idem, quod 1. ad Tim. 1. *Iusto non est lex posita*, quasi vtrobique Paulus dicat: non indigetis doctrina, & instructione legis. Ego tamen existimo sensum huius loci esse, quem sequuti sumus in paraphrasi, & congruit cum eo, quod proposuit antea, videlicet, eos vocatos esse in libertatem: & cum eo, quod postea subiungit, *Aduersus huiusmodi non est lex*, & eundem sensum diximus esse illius loci. 1. ad Timoth. 1. t. 2. disput. 166. cap. 2. Planum autem est, Paulum hic non loqui de lege ceremoniali, quasi dicat, Galatas ab ea liberos esse, nec eam seruare debere: nam hoc non solùm verum est de iis, qui spiritu ducuntur, hoc est, qui operantur bene, sed etiam de iis Christianis, & baptizatis, qui desideria carnis sequuntur. Hic autem loquitur Paulus de iis, qui rectè operantur. Adde; quod cum ait: *Aduersus huiusmodi non est lex*, intelligere non potest de obseruatione legis ceremonialis, vt patet.

25. Immunditia non quancunque luxuriam significat, sed quæ est contra naturam, quam Hieron. libidinem extraordinariam appellat.

26. Æquiuocum est, quos intelligat, cum ait, *aduersus huiusmodi non est lex*, vtrum ipsas personas, an opera: sed in idem ferè redit sensus. Contextus postulare videtur, vt personas intelligat, de quarum libertate semper loquitur.

27. Seruat eandem metaphoram, qua vsus fuit ad Rom. 6. Eos verò dicit esse Christi, qui baptizati susceperunt fidem ipsius, & in ipso Baptismo figuram Christi mortui, & sepulti in se expresserunt: propterea nos aliqua addidimus in explicationem huius sententiæ iuxta illud ad Romanos 6. Alij verò interpretantur hoc modo: qui sunt Christi, subegerunt, & mortificarunt non tantum praua desideria carnis, sed etiam ipsam carnis cupiditatem, & radicem illius assiduo labore. Verùm cum hic loquatur Paulus cum omnibus iustificatis in Baptismo, non est, cur tantum de illis, qui assiduo labore subegerunt sibi passiones, intelligamus. De omnibus verò baptizatis intelligitur

Digitized by Google

eo modo, quo ad Roman. 6. vnde statim subdit, *si spiritu viuimus, spiritu ambulemus*, sicut ad Rom. 6. dixerat, *consepulti enim sumus cum illo per Baptismum, vt in nouitate vitæ ambulemus.*

28. Cum Paulus dicit eos, qui sunt Christi, mortuos esse peccato, crucifigentes carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis, ad hoc tendit, vt ostendat, eos viuere vita spirituali, quod ipse non expressit: nos tamen suppleuimus, vt ita cohæreat contextus, vnde statim infert optimè, *si spiritu viuimus, spiritu ambulemus*, & in omnibus seruat eandem sententiam, quam dixerat ad Rom. 6.

ARGVMENTVM
CAPITIS VI.

PRosequitur Paulus id, quod proposuerat tradere, scilicet, documenta moralia, & spiritualia Galatis, exhortans eos ad fructus spirituales nouæ vitæ, & vt mutuo se adiuuent. Huius exemplum ostendit in seipso, quod hanc Epistolam propria manu scripserit. Contra verò ostendit Pseudo Apostolos, qui eis suadebant circuncisionem, ea de causa id fecisse, vt fugerent crucis Christi ignominiam, & persecutionem, non vt legem custodirent, se autem in nullo alio gloriari, quàm in cruce Christi, & ignominia pro eo toleranda, ad quod exhortatus Galatas paucis verbis, & gratiam Christi precatus claudit epistolam. Sequuntur autem diuisionem Græcorum, qui caput hoc sextum incipiunt ab vltima periodo præcedentis.

Cap.

Capvt VI.

1 FRatres,& si pręoccupatus fue-
rit homo in aliquo delicto,
vos qui spirituales estis, huius-
modi instruite in spiritu lenita-
tis,considerans teipsum, ne & tu
2 tenteris. Alter alterius onera por-
tate;& sic adimplebitis legē Chri-
3 sti. Nam si quis existimat se ali-
quid esse,cùm nihil sit, ipse se se-
4 ducit. Opus autem suum probet
vnusquisque,& sic in semetipso
tantum gloriam habebit, & non
5 in altero. Vnusquisque enim o-
6 nus suum portabit. Communi-
cet autem is, qui catechizatur
verbo,ei qui se catechizat,in om-
7 nibus bonis. Nolite errare: Deus
non irridetur. Quæ enim semi-
nauerit homo: hæc & metet.
8 Quoniam qui seminat in carne
sua; de carne & metet corruptio-
nem; qui autem seminat in Spiri-
tu, de Spiritu metet vitam æter-
9 nam. Bonum autem facientes,
non deficiamus: tempore enim
suo metemus non deficientes.
10 Ergo dum tempus habemus,o-
peremur bonum ad omnes, ma-
xime autem ad domesticos fidei.
11 Videte qualibus literis scripsi vo-
12 bis mea manu. Quicunque enim
volunt placere in carne, hi co-
gunt vos circuncidi, tantum vt
crucis Christi persecutionem non
13 patiantur. Neque enim qui cir-
cunciduntur, legem custodiunt:
sed volunt vos circuncidi, vt in
carne

PARAPHRASIS.

SI ergo viuimus vita spirituali cum
Christo suscitati à morte peccati,
1 præstemus opera huic vitæ con-
uenientia; non efficiamur cupidi glo-
riæ, quæ in hominum opinione posita
est, quæque merito dicitur inanis: nec
prouocemus nos mutuo ad conten-
tiones, nec inuicem inuideamus. Fra-
tres, 2 si quis præoccupatus fuerit,
antea quam cauere possit, in aliquo
crimine, nolite eum acrius obiurgare,
sed vos, qui estis spirituales, in spiritu
lenitatis componite, & reficite, at-
que adiuuate eum, siue monendus,
siue corripiendus, siue castigandus
sit: 3 illud considerantes, quod v-
nusquisque vestrum 4 tentari, &
labi possit. Si videritis alium lapsum
in delictum, subleuate, & adiuuate
illum: sic enim legem Christi, quæ est
lex charitatis implebitis. Si enim ali-
quis iactet se ita perfectum esse Chri-
stianum, vt alterius ope non indi-
geat, cùm reuera ita non sit, ipse suam
mentem in hoc decipit, cùm experi-
mento ei constet se in multis deficere.
5 Verùm ne quis putet se ab aliis ita
adiuuandum, & subleuandum, vt
ipse sui operis curam non habeat, sed
totam in alium reiiciat: probet vnus-
quisque, & examinet opus suum, vt
rectè illud, quod debet, 6 faciat:
& sic remunerabitur opus ipsius, &
à Deo honorem accipiet 7 in semet-
ipso pro opere suo in suam ipsius vti-
litatem, non alterius: vnusquisque
etiam

Digitized by Google

14 carne vestra glorientur: mihi au-
tem absit gloriari, nisi in cruce
Domini nostri Iesu Christi: per
quem mihi mũdus crucifixus est,
15 & ego mundo. In Christo enim
Iesu, neq; circuncisio aliquid va-
let, neque præputium: sed noua
16 creatura. Et quicunque hanc re-
gulam sequuti fuerint, pax su-
per illos,& misericordia, & super
17 Israel Dei. De cetero nemo mihi
molestus sit: ego enim stigmata
Domini Iesu in corpore meo
18 porto. Gratia Domini nostri Iesu
Christi cum spiritu vestro fratres.
Amen.

etiam in semetipso 8 sui oneris, & defectus damnum sentiet, non alius. Sicut autem vnusquisque debet proximum in crimine deprehensum instruere spiritu charitatis, & ferre onus, seu defectum illius: sic etiam & ille, 9 qui instruitur, & adiuuatur verbo, debet instruenti, & corripienti gratias pro accepto beneficio referre, & ita communicare cum illo in omni charitatis officio, dum ab eo accipit spiritualem instructionem: & ipse etiam ex animo ei gratiam rependit. 10 Fratres, nolite sub aliquo humano prætextu, quo apud homines excusari poteritis, errare, sequendo opera carnis, quæ supra numeraui: Deus enim, apud quem est remuneratio vestri operis, nullo prætextu humano deludi poterit: sed secundum opera, quæ reuera quisque in hac vita fecerit, quæq; sunt veluti semina quædam alterius, ita colliget fructum retributionis à Deo in alia vita: quoniam qui sequutus opera carnis iam enumerata, seminauerit ea in hac vita, de his carnalibus operibus colliget fructum damnationis: qui autem fide ex charitate seruierit iustitiæ, & opera illius in hac vita seminauerit, inde colliget fructum vitæ æternæ. 11 Non defatigemur autem, sed perseueremus tempore sementis in seminandis bonis operibus: tempore enim messis, scilicet in alia vita, colligemus fructum 12 sine fine, & in perpetuum duraturum infatigabiles, & nunquam à colligendo cessantes. Sic ergo dum tempus sementis, & benemerendi apud Deum bonis operibus præsens est, operemur incessanter, & charitatem feruentius erga omnes; maximè verò erga fideles. 13 In cuius rei exemplum videte, quàm deformibus literis epistolam vobis scripserim propria manu contra morem solitum non refugiens laborem scribendi, cuius indicium sunt literæ deformes, quas non sine labore scribere possum, vt vos in fide vacillantes confirmarem. 14 Nam alij, qui placere volunt 15 Iudæis, prædicant necessariam circuncisionem, non quidem vt officium charitatis vobis præstent, sed eam solum ob causam, ne prædicantes 16 crucem Christi, & ceremonias Moysis excludentes, persecutionem patiantur à Iudæis. Quod verò non charitatis, & beneficentiæ gratia erga vos id faciant, inde

Digitized by Google

inde colligitur, quia qui seruant ceremonias, & circunciduntur, de cetero non
seruant legem. Quid ergo mirum, si non ex officio charitatis vobis persuade-
ant circuncisionem, sed tantùm, vt apud homines glorientur de vestra car-
nali circuncisione, quod vos effecerint sui sectatores, & discipulos? A me au-
tem procul absit, vt in alia re glorier, quàm in cruce, & ignominia Christi
Iesu, cuius gratia ea, quæ vulgò videntur esse pretiosa, & mundus admiratur,
mihi facta sunt velut mortua, & nullius momenti; & ego vicissim illis. Ideò
autem mihi nullius momenti facta sunt, quia in regno gratiæ Christi nihil va-
let, aut circuncisum esse, & ea, quæ Iudæi magna esse putant: nec Gentilem
esse, & ea, quibus ipsi confidunt, bona: sed solùm anima gratiâ, & fide Dei
renouata. His verò omnibus, quicunque hunc viuendi modum seruauerint ce-
remoniis omnibus legis reiectis, pax, & mentis tranquillitas continget: 17
qui sunt veri Israelitæ non secundum carnem ex Iacob progeniti, sed ex Dei
promissione, & gratia. 18 *Reliquum est, vt nemo mihi molestiam afferat,*
19 *& me insimulet, quòd circuncisionis legem non obseruem, sed potius eam*
dissuadeam: ego enim 20 *signa Domini nostri Iesu Christi impressa gero in*
carne mea, res scilicet aduersas, fugas laboriosas, plagas mortiferas, & ce-
tera periculosa discrimina, quæ propter Euangelij, & crucis prædicationem
passus sum, quibus satis ostendo me nihil circuncisioni, sed fidei Iesu Christi
confidere. Gratia Domini nostri Iesu Christi perseueret cum spiritu vestro.
Amen.

ANNOTATIONES.

1. Illud *ambulemus*, in Græco non est verbi περιπατεῖν, quod est ambulare, sed στοιχεῖν, quod significat ordine suo incedere, & ideò Chrysost. & Theophylact. sic interpretantur: Contineamus nos intra spiritum, incedamus ordine nostro, id est, contenti simus Euangelio, non quæramus legem Moysis. Ceterum magis quadrat contextui expositio tradita in paraphrasi, vt adhuc exhortetur Paulus Galatas ad bona opera, quæ appellauit fructus spiritus, nec hic mentionem facit ceremoniarum, & ideò in exemplum subdit: *Non efficiamur inanis gloria cupidi, &c.* & sensus iste locum habet etiam cum illo verbo Græco, στοιχεῖν, nam & ordine suo incedit, qui viuens vita spirituali opera spiritualia præstat.

26. Sententia hæc similis est ei, quæ habetur ad Roman. 14. & 15. Verùm cum ibi generalem doctrinam tradat Apostolus, vt ostendat, quomo-

quomodo quisque se debeat gerere erga infirmos, aliqui hic cum Hieronymo sententiam hanc peculiariter intelligi volunt de his, qui seducti erant à Pseudo Apostolis, vt legalia sequerentur: quod mihi non tam placet, quàm vt vniuersale sit præceptum hoc Pauli ad omne genus delicti: cùm hic tradat præcepta quædam spiritualia in vniuersum, iuxta id, quod proposuerat cap. 5. in fine illius.

3. In textu dicitur: *Considerans teipsum, ne & tu tenteris*, mutat autem Paulus numerum, cum antea in plurali loqueretur, in quo Hieron. putat Paulum solœcismum commisisse ex imperitia linguæ. Alij verò, humilitatis gratia. Sed probabilius est, quod notat Adamus ex Erasmo, Apostolum ex industria mutasse numerum, quod singularis esset magis idoneus ad compellendum vniuscuiusque conscientiam: & mira cautione hoc fecit, ne offenderet eos, quos studebat corrigere: durius enim erat dicere omnibus: Considerate vos ipsos, ne & vos tentemini. Sic enim solet aliquando mutare personam, & numerum, vt videbimus in annotat. 14. in cap. 12. ad Hebræos.

4. Illud *ne tenteris* significat, ne & tu aliquando tentatione etiam victus in delicto deprehendaris, quando velles tecum mitius agi. Vt enim Augustin. hoc loco inquit, nihil ad misericordiam magis inclinat, quàm proprii periculi cogitatio.

5. Sequens periodus videtur satis clara; verùm difficile quadrant contextui aliorum expositiones, quas quia variæ sunt, prætermitto. Mihi placet expositio paraphrasis, quæ verbis quibusdam additis optimè cohæret cum præcedentibus: postquam enim exhortatus fuit Paulus, vt mutuo se adiuuarent, & defectus aliorum, quos onera appellauit, ferrent, ne vnusquisque de proprio opere non esset solicitus, addidit illud, *probet autem, &c.*

6. Illud *gloriam habebit*, multi exponunt, id est, gloriari poterit, sed in Domino, de suo opere rectè facto. Caiet. verò sic exponit, vt quisque examinet opus suum, si putat aliquid esse, vt inde videat propriam imbecillitatem. Illud verò, *& sic gloriam habebit*, exponit ipse per ironiam. Est tamen expositio hæc extorta: magis verò quadrare videtur, quam sequuti sumus in paraphrasi.

7. In Græco habetur *in seipsum, & in alterum*, & OEcumenius interpretatur in hunc sensum: aduersus seipsum gloriationem habebit, & non aduersus alium, id est, seipsum condemnabit, & non alium, & inde gloriationem habebit aduersus se, & non aduersus alium. Verùm hæc interpretatio non quadrat contextui, melius est, si illud *in se ipsum* interpretemur, vt in paraphrasi, id est, in sui vtilitatem, & illud *in alterum*, in alterius vtilitatem, & sic perinde est dicere, *in se ipso, & non in altero*, atque, in se ipsum, & non in alterum.

8. Onus

8. Onus intelligunt multi interpretes, opus proprium, siue bonum, siue malum: verum magis quadrat contextui, si intelligamus opus malum, quod nomine oneris significat Paulus supra, cùm dicit, *alter alterius onera*, hoc est, defectus, *portate*, hic verò dicit, vnusquisque defectum suum portabit: intelligit, quod attinet ad supplicium, sicut in paraphrasi, vt ita moneat singulos sui operis curam habere, & non in alterius curam illud reiicere.

9. Cum Paulus vtatur nomine catechumeni, & catechizantis, multi putant ipsum hic loqui de eo, qui ad Baptismum instruitur, ipsumq; exhortatur, vt, cum accipiat spiritualem doctrinã, ipse rependat gratiam, & honorando eum, qui catechizat, & etiã ipsum alendo de bonis suis, vt ita communicet in omnibus bonis: sic omnes Græci. Id tamen videtur esse contra id, quod Paulus proposuerat. Idcirco ego puto, hic adhuc Paulum prosequi sententiam illam, *alter alterius onera portate*, & postquam dixit, quid debeat facere ille, qui alium in delicto deprehendit, & quid vnusquisque in seipso: tandem inquit, quomodo is, qui instruitur, se debeat habere erga eum, qui ipsum instruit.

10. Putant aliqui adhuc Paulum exhortari Galatas, vt ex suis facultatibus alant Doctores verbi Dei, & ne prætextu aliquo id recusent: Melior tamen est interpretatio in paraphrasi posita, vt semper prosequatur id, quod proposuerat superiori cap. scilicet, ne sequantur carnis desideria prætextu quocunque, ostendens illis, quisnam fructus colligatur in alia vita ex his operibus, & ex operibus spiritus.

11. Aliqui existimant adhuc loqui Paulum de merito erga præceptores fidei, ipsos scilicet alendo. Mihi tamen videtur potius semper in genere loqui de quocunque bono opere, & merito erga quemcunque alium.

12. In Græco est aliud vocabulum pro illa parte *non deficientes*, aliud verò pro priori *non deficiamus*, illud tamen est ἐκλυόμενοι, hoc est, infatigabiles: quod interpretatur Chrysostom. in hunc sensum: Agricola quidem & cum seminat, & cum colligit fructum, multũ laboris sustinet cum squalore, & puluere, sed nos in die iudicii fructum bonorum operum, quæ cum labore seminauimus, colligemus non defatigati.

13. Græca voce, quam interpres vulgatus legit, *qualibus literis*, putat Hieronymus significari potius magnitudinem, quàm qualitatem: Græci, quorum opinionem sequutus sum, potius videntur ad qualitatem referre, qualibus scilicet literis, hoc est, quàm deformibus literis. Quorsum autem hoc modo dicat Paulus, vtrum nouam incipiat sententiam, an prosequatur quam proposuit, non explicant. Ego verò in paraphrasi facile ostendi, Paulum prosequi semper sententiam illam, *Alter alterius onera portate*, & quomodo id exemplo sui in scribendo hanc

epistolam confirmet. Illud verò *propria manu*, explicant Theophylact. & alij Græci additum fuisse, quod contra morem Apostoli erat, qui solùm literas, quas dictabat, & alij scribebant, ipse subscribebat propria manu. Inde autem optimè ostendit officium charitatis erga Galatas.
14. Illud *nam*, non est causalis particula, vix enim reperiri potest cuius causam reddat, sed est veluti aduersatiua: quasi dicat, *at verò abÿ, &c.* & Latinè sæpe vtimur illa phrasi, & modo loquendi.
15. In carne placere, periphrasis est significans placere hominibus, & quia homines, quibus illi Pseudo Apostoli placere cupiebant, erant Iudæi, ideò diximus, Iudæis placere.
16. *Ibi expressimus causam* persecutionis, quam Pseudo Apostoli timebant: iuxta ea, quæ dixit Paulus supra in hac Epistola cap. 5.
17. *Israel Dei* appellat veros Israelitas, de quibus in hac epistola cap. 4. & epist. ad Rom. 9. dicit non omnes genitos secundum carnem ex Iacob esse Israelitas veros, sed natos ex promissione Abrahæ.
18. Illud *de cetero* est particula claudentis epistolam.
19. Illud addidimus, in quo videbatur molestari Paulus: & est secundum interpretationem communem. Statim verò optimè subiungit, *ego enim stigmata, &c.* vt sic ostendat, non debere suggillari, & accusari falso de illa re, cum ipse contraria omnia signa expressa habeat in carne sua.
20. Signa hæc, & stigmata non erant crucifixionis Christi in pedibus, & manibus, sed erant persecutiones, plagæ, & alia, quæ passus erat pro Christo, de quibus dixerat in hac epistola cap. 5.
Ego autem si circuncisionem prædico, quid adhuc persecutionem patior?

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS.

ARGVMENTVM TOTIVS EPISTOLAE.

HANC Epistolam aliqui arbitrantur scriptam contra Simonem Magum, & eius familiam, Menandrum scilicet, & alios, inter quos fuit Cerinthus, qui ex parte addictus fuit Iudaismo, vt refert Epiphan. hæres. 28. Contra horum ergo errores putant epistolam scriptam, cum in ea nulla eorum mentio habeatur. Ego verò potius existimo, in ea Paulum exhortari Ephesios, vt in fide suscepta permaneant. Ad id verò commendat eximiam Dei charitatem erga illos, summumque prædestinatio-

Digitized by Google

nationis beneficium. Deinde solicitudinem exponit, qua assiduè Deum deprecatur pro ipsorum perseuerantia. Demum documenta quædam spiritualia eis præbet.

ARGVMENTVM CAPITIS I.

PRæmissa, more solito, salutatione, recenset beneficium diuinæ prædestinationis per Christum erga electos in vniuersum: deinde erga ipsos Ephesios peculiariter: pro quo non tantum se Deo gratias agere testatur, sed etiam quotidie postulare, vt à Deo illuminati intelligant diuitias gloriæ, quam Deus illis præparauit.

CAPVT I.

1 PAulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, & fi-
2 delibus in Christo Iesu. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro,
3 & Domino Iesu Christo. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiri-
4 tuali, in cœlestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionē, vt essemus sancti,

PARAPHRASIS.

PAulus per voluntatem Dei Apostolus Iesu Christi omnibus sanctis, & fidelibus merito Christi, qui sunt Ephesi, hanc epistolam mittit. 1 *Gratia vobis, & pax sit à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Laudetur* 2 *Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui* 3 *in cœlestibus existens* 4 *abundanti spiritualium donorum beneficentia, & largitate,* 5 *propter Christi meritum*

cti, & immaculati in conspectu
5 eius in charitate. Qui prædestina-
uit nos in adoptionem filiorum
per Iesum Christum, in ipsum, se-
cundum propositum voluntatis
6 suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ,
in qua glorificauit nos in dilecto
7 filio suo: in quo habemus redem-
ptionem per sanguinem eius (re-
missionem peccatorum) secun-
8 dum diuitias gratiæ eius, quæ su-
perabundauit in nobis in omni
9 sapientia, & prudentia; vt notum
faceret nobis sacramentum vo-
luntatis suæ, secundum benepla-
10 citum eius, quod proposuit in eo,
in dispēsatione plenitudinis tem-
porum, instaurare omnia in Chri-
sto, quæ in cœlis, & quæ in terra
11 sunt, in ipso. In quo etiam, & nos
sorte vocati sumus, prædestinati
secundum propositum eius, qui
operatur omnia secundum con-
12 silium voluntatis suæ: vt simus in
laudem gloriæ eius nos, qui ante
13 sperauimus in Christo. In quo &
vos, cùm audissetis verbum veri-
tatis, (Euangelium salutis ve-
stræ:) in quo & credentes signati
estis Spiritu promissionis sancto,
14 qui est pignus hereditatis no-
stræ in redemptionem acquisi-
15 tionis, in laudem gloriæ ipsius.
Propterea & ego audiens fidem
vestram, quæ est in Christo Iesu,
& dilectionem in omnes Sanctos,
15 non cesso gratias agens pro vo-
bis, memoriam vestri faciens in
oratio-

*tum cumulauit nos, eodem prorsus
modo, quo 6 per eundem Christum
ab æterno 7 gratuita sua electione
nos elegit, vt essemus sancti, & im-
maculati coram ipso, qui corda intue-
tur, atque præfiniuit nos in filios 8
sibi adoptare per Christum ex propen-
sa animi affectione, & voluntate, vt
sic adoptati magnificam eius gra-
tiam, qua nos gratiosos effecit per
dilectum Filium suum, laudaremus,
& prædicaremus. Per quem etiam
Christum à peccatis, 9 redempti
sumus pretio sanguinis ipsius, iuxta
diuitias gratiæ suæ, quam in nos ef-
fudit abundè: 10 simul quoq; exi-
miam suorum mysteriorum sapien-
tiam, & prudentiam nobis tribuens,
vt cognosceremus arcanum volunta-
tis suæ, prout ipsi beneplacitum fuit:
quod sanè arcanum, seu mysterium
proposuit 11 ex eodem beneplaci-
to complere temporibus iam elapsis,
quæ ab æterno ad illius dispensatio-
nem ipse præfinierat, videlicet vni-
uersa ad vnum 12 caput Christum
reuocare, renouando omnia, tam quæ
in cœlis, quàm quæ in terris sunt:
propter quem 13 nullis ex nobis præ-
cedentibus meritis vocati sumus:
prædestinati quoque ex illius volun-
tate, qui omnia liberè ex consilio vo-
luntatis suæ operatur, vt ipsius in no-
bis gloria illustraretur: in nobis in-
quam 14 Iudæis, qui omnium pri-
mi in ipsum sperauimus, & credidi-
mus, & in vobis, qui in ipsum etiam
15 spe-*

Digitized by Google

17 orationibus meis: vt Deus, Do-
mini nostri Iesu Christi Pater glo-
riæ, det vobis spiritũ sapientiæ, &
18 reuelationis, in agnitionem eius,
illuminatos oculos cordis vestri,
19 vt sciatis, quæ sit spes vocationis
eius, & quæ diuitiæ gloriæ here-
ditatis eius in Sanctis, & quæ sit
supereminẽs magnitudo virtutis
eius in nos, qui credimus secun-
20 dum operationem potentiæ vir-
tutis eius, quam operatus est in
Christo, suscitans illum à mor-
21 tuis, & constituens ad dexteram
suam in cœlestibus, supra omnem
principatum, & potestatem, &
virtutem, & dominationem, &
omne nomen quod nominatur
non solùm in hoc seculo, sed et-
22 iam in futuro. Et omnia subiecit
sub pedibus eius: & ipsum dedit
caput supra omnem Ecclesiam,
23 quæ est corpus ipsius, & plenitu-
do eius, qui omnia in omnibus
adimplet.

15 sperastis, postquam audistis verbum veritatis, scilicet Euangelium, quo vobis salus annunciata fuit, per quem Christum credentes, ab eo obsignati estis, vt in populo suo vos connumeraret: obsignati, inquam, Spiritu sancto promisso, quem in vos effudit abundè, qui in vobis habitans, & virtutem præstans contra diaboli insidias loco pignoris, & arrhabonis est vitæ æternæ 16 hereditario iure tribuendæ, qua perfectam 17 redemptionem, & liberationem non solùm à peccatis, sed ab omni quoque aduersitate ad gloriosam ipsius laudem consequemur. 18 Propterea ego perspecta fide vestra in Dominum Iesum Christum, & charitate erga omnes 19 fideles non cesso pro vobis gratias 20 agere, & mentionem vestri in orationibus meis facere, vt 21 Deus gloriosus, & Pater Domini Iesu Christi det vobis Spiritum sapientiæ, mentisque vestræ oculos illustret, vt ipsum agnoscatis, vt etiam sciatis, 22 ad quæ, & quam magna bona vocati sunt, qui in ipsum credunt, hoc est, quam opulenta sit gloria, quam hereditario iure adepturi sunt 23 sancti. Porrò quam excellens est erga nos, qui credidimus, magnitudo potentiæ ipsiùs, 24 quam ostendit, dum primitias nostras, Christum scilicet, suscitauit à mortuis, & sedere fecit 25 ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & super omne, 26 quod dici, aut celebrari potest, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, cuius pedibus omnia subiecit, & ipsum caput constituit omnium Ecclesiarum fidelium, siue Ephesiorum, siue Philippensium, &c. quæ corpus ipsius mysticum sunt, & ipsum, 27 quodammodo complent, & perficiunt, 28 qui sanè Christus, cum sit omnia in omnibus, & singulis suis membris completur, & consummatur.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. Formam huius salutationis habes explicatam in cap. 1. ad Rom. num. 4. Quòd verò dicit *in Christo*, intelligendum est, vt in paraphrasi, nempe *merito Christi*: nam præpositio *in* sæpe denotat idem, quod *per*, vt num. 5. dicemus, qua significatur causa effectrix, cuius virtus conuenit Christo per merita ipsius.

2. *Deus, & Pater*, potest legi coniunctim, vt sensus sit: Deus Domini nostri Iesu Christi, & Pater Domini Iesu Christi, iuxta illud Ioan. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Nam Pater æternus non tantùm dicitur Pater Christi, sed etiam Deus Christi, vt 3. part. 1. tom. disp. 80. cap. 1. diximus. Vel potest legi separatim, vt sit sensus: Benedictus Deus, qui etiam Pater est Domini nostri Iesu Christi.

3. *In cælestibus existens* aliqui supplent *rebus*. Hieron. verò *locis*, iuxta id, quod cap. 6. dicitur, *Non est nobis colluctatio*, &c. *contra spiritualia nequitia in cælestibus*, hoc est, contra dæmones in aere hoc degentes, sic ergo illud etiam Matth. 21. *Hosanna in excelsis*, hoc est, tu qui habitas in excelsis, saluifica. *Filio Dauid*, id est, in gratiam filij Dauid.

4. Illud, *In omni benedictione*, significat abundantem benedictionem, sicut infra *in omni sapientia*.

5. Præpositio *in* hoc loco posita est loco *per*, quod familiare est Paulo: idem autem est *per Christum*, & per meritum ipsius. Erasmus fine præpositione *in* interpretatur, vt *Christo* sit in casu dandi, & sit sensus, Benedixit nos Christo, hoc est, in gloriam Christi: in Græcis enim exemplaribus non est præpositio. Sed cum Patres Græci Chrysostom. Theophylact. & OEcumen. & Hieron. interpretentur *in Christo*, non est, cur Latinos codices cum Græcis, quos modo habemus, emendemus. Et quamuis in textu, qui adiunctus est commentariis Ambrosij, non sit præpositio, ipse tamen in commentario exponit *in Christo*.

6. Aliqui putant illud *in ipso*, non significare meritum Christi, sicut id, non semper significat, cùm Paulus dicit *in Christo*, vnde probabile putant, sic dici electos in Christo, sicut in ipso conditos, hoc est, ab ipso, vel per ipsum, aut in ipso: hoc est, ad habendam fidem in ipso. Hoc dicunt recentiores quidam, quòd existiment electionem nostram, & prædestinationem non cadere sub meritum etiam Christi: sed falluntur, vt latè ostendi 1. part. disputat. 94. cap. 1. 2. 3. & 4. est enim eadem ratio prædestinationis, electionis, atque gratiæ, quare si ex meritis Christi nobis data est gratia, electi etiam sumus ob eadem merita, vt ibi ostendimus.

7. Illud

7. Illud *in ipſum*, idem ſignificat quod ſibi, quod clarius dixiſſet interpres, *in ſe*, eſt enim in Græco pronomen reciprocum.

8. Hoc loco, *In dilecto filio ſuo*, iterum ſignificat meritum Chriſti, quod fuit cauſa noſtræ gratificationis, & iuſtificationis.

9. Græce eſt ἀπολύτρωσιν, quod ſignificat redemptionem captiui pretio factam: hic noſtræ redemptionis pretium dicit Paulus fuiſſe ſanguinem Chriſti, hoc eſt meritum paſsionis ipſius. Explicat verò qualem remiſsionem habuimus, vel ex cuius poteſtate, cum dicit per appoſitionem, *Remiſsionem peccatorum*.

10. Præpoſitio *in* ponitur pro *cum* more Hebraico: nec debet intelligi ſapientia ipſius, ſed quam ſimul nobis communicauit cum remiſſione peccatorum, vt explanauimus in paraphraſi. Quod verò dicit *in omni*, ſignificat abundantem ſapientiam.

11. Illud *in eo*, aliqui referunt ad Chriſtum: verum quia poſtea dicit *in Chriſto*, & iterum addit *in ipſo*, ne toties idem repetatur, melius refertur ad beneplacitum, vt in paraphraſi. Quod verò addit *in Chriſto*, & iterum *in ipſo* repetitio eſt Hebræis familiaris, vt in Pſal, 67. *Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*. Et in Pſal. 121. *Cuius participatio eius in idipſum*, & alibi.

12. Hic locus luculenter explicatus à nobis eſt 3. part. i. tom, diſp. 49. cap. 4. vbi expoſuimus, quid ſignificet inſtaurare.

13. *Sors* hoc loco euentum gratiæ ſignificat, qua quiſque noſtrûm electus eſt ſine ſuis meritis, & nihil prius cogitans de illa, ideo reſpectu electi gratia, ad quam eligitur, eſt veluti fortuitus euentus, cum accidat non cogitanti, Deo tamen non eſt fortuitus vlla ratione.

14. Illud *antea*, ſignificat Iudæorum vocationem ad fidem Chriſti fuiſſe priorem: inde enim Euangelium cœpit. Græci illud referunt ad diem vltimi iudicii. Hieron. putat præteritum *ſperauimus* pro *ſperamus*, poſitum, repugnat tamen præpoſitio *ante*.

15. Opus eſt ſupplere illud *ſperaſtis*, ſicut expreſſum erat in præcedentibus, aliàs contextus vix ordinari poteſt.

16. Vitam æternam nomine hereditatis appellauit, quia filiis Dei, iuſtis videlicet, & ſanctis datur.

17. *Redemptionem acquiſitionis*, idem eſt, quod acquirendam, ſicut Petrus dixit Epiſt. 1. cap. 2. *populus acquiſitionis*, id eſt, acquiſitus. Dicit autem vitam æternam redemptionem, non à peccatis, quæ iam ſupponitur facta, ſed à multis etiam malis, quam ad Rom. 8. appellauit redemptionem corporis noſtri.

18. Ex multis beneficiis Dei erga homines, quę ſuperius enumerauerat, infert Paulus, ideò ſe agere Deo gratias pro his, quæ Epheſij acceperunt, imò & poſtulare, vt in dies Deus maiora ipſis largiatur.

19. San-

Digitized by Google

19. Sanctos hic appellat fideles, vt in Epistola ad Galat. cap. 1.
20. Participium *faciens*, est loco verbi infiniti.
21. Græci etiam exponunt hoc modo: *Deus Domini nostri Iesu Christi, qui est Pater gloriæ, &c.* alij coniungunt illud *gloriæ* cum Patre, parenthesi distinguentes verba intermedia: quem sensum secuti sumus.
22. Spes hoc loco pro re, quam speramus, accipitur, iuxta illud ad Rom. cap. 8. *Spes, quæ videtur, non est spes.*
23. Quamuis sancti communiter in hac Epistola, & aliàs dicantur fideles, cum tamen agitur de retributione vitæ æternæ, vt in hoc loco opus est intelligere Sanctos, non sola fide Sanctos, sed etiam vitæ integritate, & virtute.
24. Sic interpretatur OEcumenius, à quo non dissentit Theodoret. Alij cum Chrysost. & Theophylact. putant, hic fieri comparationem ab Apostolo, vt ostendat eadem opus fuisse virtute ad vocandos Philippenses, quæ necessaria fuit ad suscitandum Christum, & constituendum in dextera. Expositio tamen paraphrasis magis quadrat etiam textui.
25. Quomodo sedeat ad dexteram, explicaui ex Damascen. 3. part. disp. 96. cap. 6.
26. *Nomen* hoc loco significat non vocabulum, sed rem ipsam, vt notaui 1. part. disp. 22. cap. 7.
27. Ecclesia fidelium dicitur complere, & perficere Christum, & ab eo perfici perinde, atque corpus, & caput mutuò etiam se perficere dicuntur.
28. Suppleri debet *Christus*, vt in paraphrasi. Dicitur autem esse omnia virtute, & eminentia, ac proinde etiam in membris suis perfici. Verbum *adimpletur*, est medium apud Græcos, in actiua, & passiua vsurpari potest, si in actiua capiatur, sensus est: Qui Christus omnia, scilicet motum, vitam, & reliqua omnia bona in omnibus membris adimplet, & facit. Verum priorem sequuti sumus in paraphrasi cum vulgata lectione.

ARGVMENTVM
CAPITIS II.

PRosequitur in hoc cap. Apostolus quod proposuerat in superiori, nimirum be-

b *nefi-*

neficium prædestinationis diuinæ speciatim, erga ipsos Ephesios: quare huius capitis sententia continua est cum superiori.

Capvt II.

1 ET vos cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris, in
2 quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in
3 quibus & nos omnes aliquando cõuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filii iræ, sicut & ceteri:
4 Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam
5 charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo (cu-
6 ius gratia estis saluati) & conresuscitauit, & cõsedere fecit in cœ-
7 lestibus in Christo Iesu, vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Ie-
8 su. Gratia enim estis saluati per fidem, (& hoc non ex vobis, Dei
9 enim donum est.) Non ex ope-
10 ribus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis
11 ambulemus. Propter quod memores estote quòd aliquando vos eratis

PARAPHRASIS.

ET vos quoq; Deus 1 qui est abunde misericors pro sua eximia charitate, & beneuolentia ad vitam spiritualem gratiæ reuocauit vnà cum 2 Christo, quem ad corporalem suscitauit, cuius resurrectionis figuram gerunt, qui apud Deum à peccatis resurgunt. Cum tamen antea spiritualiter mortui essetis propter peccata vestra, in quibus aliquando 3 vixistis vita mundana huius seculi, & pro voluntate 4 Principis, qui in hoc aere potestatem habet, dæmonis videlicet, qui vsque adhuc vim habet in 5 incredulos, & indociles, 6 inter quos, & 7 nos aliquando versati sumus, sequentes concupiscentias carnis nostræ, & eius voluntati, & cogitationibus obedientes, ac proinde non secus, atque alij eramus filij iræ. 8 Sed Deus abunde misericors pro sua benignitate nos etiam, sicut & vos cum Christo viuificauit, & suscitauit, & cum ipso cœlestes etiam sedes per ipsius Christi meritum 9 præparauit, vt futuro tempore excellentes gratiæ suæ diuitias in nos per Christi meritum collatas ostenderet: ea 11 enim manifestè Dei donũ est, non ex operibus solius arbitrij acquisita. 12 Ac proinde nemo glorietur ex

eratis Gentes in carne, qui dice-
bamini præputium, ab ea, quæ
dicitur circuncisio in carne, ma-
12 nufacta: quod eratis illo in tem-
pore sine Christo, alienati à con-
uersatione Israel, & hospites testa-
mentorum, promissionis spem
non habentes, & sine Deo in hoc
13 mundo. Nunc autem in Christo
Iesu, vos qui aliquãdo eratis lon-
ge, facti estis propè in sanguine
14 Christi. Ipse enim est pax nostra,
qui fecit vtraque vnum, & me-
dium parietem maceriæ soluens,
15 inimicitias in carne sua: legem
mandatorum decretis euacuans,
vt duos condat in semetipso in
16 vnum nouum hominem, faciens
pacem, & reconciliet ambos in
vno corpore, Deo per crucem,
interficiens inimicitias in semet-
17 ipso. Et veniens euangelizauit pa
cem vobis, qui longe fuistis, &
18 pacem iis, qui propè. Quoniam
per ipsum habemus accessum
ambo in vno Spiritu, ad Patrem.
19 Ergo iam non estis hospites, &
aduenæ: sed estis ciues Sancto-
20 rum, & domestici Dei super ædifi-
cati super fundamentum Aposto-
lorum, & Prophetarum, ipso sum-
mo angulari lapide Christo Iesu.
21 In quo omnis ædificatio constru-
cta, crescit in templum sanctum
in Domino. In quo & vos coædi-
ficamini in habitaculum Dei in
Spiritu sancto.

*ex se fidem habuisse, aut prome-
ruisse, aut etiam salutem fuisse se-
quutum. 13 Porrò eam ex operi-
bus arbitrij solius non haberi, vel in-
de constat, quòd ipsius per omnia
figmentum, & creatura sumus: &
si qua bona opera in nobis sunt, ita
ea ex Deo habemus, vt instar crea-
tionis ex nullo nostro merito ab eo
acceperimus, quæ æterna sua præde-
stinatione ex seipso, & nullo merito
nostro prædefiniuit, vt in tempore ea
operaremur. Quamobrem memores
estote vos ignobiliori loco natos, 14
secundum carnem sub Gentilismo, qui-
bus à Iudæis circuncisis carnali cir-
cuncisione, quam à Patribus accepe-
runt, in qua ipsi gloriabantur, præ-
putij nomen opprobrio vertebatur,
15 vos quoque eo tempore sine vlla
Christi fide fuisse abalienatos ab in-
stituto, & ratione, viuendi Iudæo-
rum, tanquam 16 peregrinos, & ex-
traneos expertes legis ipsorum, & 17
testamenti promissorij, seu pacti, nec
vllam spem resurrectionis habentes:
denique sine veri Dei cognitione, &
cultu in hoc mundo degentes. Nunc
autem, qui longe ante à Deo, eiusque
populo aberatis, iam ad ipsum perti-
nẽtes propinquastis: ipse enim est pax
18 nostra, qui ex vtroq; populo Iu-
daico, & Gentili vnum efficit, diru-
ens intermediũ 19 parietẽ 20 quo
diuidebantur, mutuas videlicet inter
eos inimicitias, tribuens ipsis fidem
21 mysteriorum, qua possent legem*

Digitized by Google

Decalogi obseruare: ac proinde auferens ipsi legi omnem vim, quæ eos propter transgreßionem accusabat: 22 *vt duos populos, Gentilem scilicet, & Iudaicum in nouum hominem liberum à peccatis eadem fide renouaret, &* 23 *in semetipso omnium capite vniret, atque in eodem corpore Ecclesiæ inter se, & cum Deo paßióne conciliaret, inimicitiâ, qua sibi inuicem aduersabantur, peremptâ* 24 *in semetipso: & veniens in carne tum vobis, qui procul à Deo, & populo ipsius eratis, tum etiam Iudæis, qui propius ad illum accedebant, non solum faustum pacis, & reconciliationis nuncium attulit,* 25 *sed etiam ipsam tribuit: nam ipse est per quem vterque populus eodem spiritu fidei accessum habet* 26 *ad Deum. Iam ergo Ephesij non estis peregrini, & aduenæ in populo Dei, nullam cum eo communicationem habentes, sed estis conciues* 27 *sanctorum Abrahæ, Moysis, Heliæ, & aliorum, ad Dei populum spectantes, tanquam ad familiam Dei potentis. In quo sane ædificio* 28 *Prophetæ, & Apostoli in fundamentum positi sunt, vos autem reliquam partem ædificij supra ipsos completis, connexi omnes per fidem, & spiritum gratiæ in Christo, qui est* 29 *angularis lapis in hoc ædificio, fundamentum, & reliquas ipsius partes connectens: in quo quæcunque structura coagmentata crescit, & surgit in templum sanctum Domini: in quo ex vobis, & Iudaico populo fit vnum habitaculum Dei per Spiritus Sancti gratiam.*

ANNOTATIONES.

1. Hoc loco suppleuimus totum id, *Deus qui est, &c.* vsque ad illud *à peccatis resurgunt,* id autem desumpsimus ex nu. 8. vbi Paulus dicit (*Deus autem, &c.*) ibi enim redit ad caput orationis, quod innuit particula *autem* Græcè δὲ, secundum Hieron. γάρ: idem enim verbum, quod nos repetiuimus deseruit duabus periodis, videlicet, *& nos quoque, &c.* & *in quibus & nos, &c.*

2. Iustificati dicuntur conuiuificati Christo iuxta phrasin eiusdem Apostoli ad Rom. 6. qui enim baptizantur, dicuntur in aßimilationem mortis Christi mori peccatis, sicut ille vitæ corporali: & contra resurgere à morte peccati, sicut ille à corporali: ad hoc igitur alludit in hoc cap. cum dicit *conuiuificauit.*

3. Illud *ambulastis* significat vitam contrariam, quam in vitijs habuistis: ambulare enim est actio quædam vitæ.

4. Principem aeris huius intelligit dæmonem, vt cap. 6. *Contra spiritualia nequitia in cælestibus,* nam dæmones, cum quibus nobis pugna est, hoc medio aere commorantur.

5. Filios diffidentiæ phrasi Hebraica intelligit incredulos, & diffidentes, sicut filius perditionis dicitur perditus homo. Græce est ἀπείθεια, quod impersuasibilitas dici potest Latinè.

6. In

6. *In quibus* refert Hieron. ad delicta.
7. *Vos* aliqui referunt ad Iudæos: melius tamen ad ipsam personam Pauli refertur.
8. Hæc periodus est, quæ suppleri debet in præcedentibus, vt notauimus num. 1.
9. Cum dicit, *consedere nos fecit*, quasi rem præteritam, non refertur tantum ad eos, qui iam in cœlestibus cum Christo sedebant, sed ad omnes, qui merito ipsius sessuri sunt. Dixit autem de præterito, *sedere fecit*, accipiendo sessionem ipsam, pro eo quod merito Christi sedes nobis præparatæ sunt ab æterno: & ideo particula illa *in Christo*, idem significat, quod *per Christum*, qua denotatur meritum ipsius.
10. Causalis illa exprimit causam eius, quod proximè præcessit, nimirum *(diuitias gratiæ suæ, &c.)*
11. Hoc loco *enim* causam assignat, quare gratia saluati sumus per fidem, nempe quia fides Dei donum est: si enim per fidem, absque dubio gratis saluati sumus: fides enim Dei donum est. Quomodo verò per fidem dicamur saluari, & iustificari, in Epist. ad Rom. 4. & 1. 2. disput. 209. cap. 4. explicaui. Quod ergo dicit *Dei enim donum est*, refertur ad fidem, & ita optima conficitur ratio, quam diximus, non tamen refertur ad illud *non ex vobis*: nam satis manifestum est, gratiam idem esse, quod donum, & non ex operibus.
12. Particula *ne*, quæ communiter significat causam finalem, idemque valet, atque *vt non*, hoc loco eam non significat: neque enim ad hoc fides est donum, vt homo non glorietur, cum id non suapte natura fides habeat: habet ergo vim illationis in hoc loco, sicut etiam aliquando solum euentum significat, ac si dicamus, *& ideo* vel *ac proinde*.
13. Causalis *enim*, hoc loco rationem reddit, quare fides non sit ex nostris operibus, quam in paraphrasi breuiter induximus.
14. Hieron. putat illud in carne additum, vt significaretur ipsos fuisse solùm secundum carnem Gentiles, spiritu verò fidei veros Israelitas, cum tamen Paulus loquatur de tempore, quo nondum Christum cognouerant, vt ex sequentibus patet: hæc interpretatio constare non potest. Alij exponunt *in carne*, hoc est, viuentes secundum carnalia desideria. Verùm cum Paulus statim adiiciat, *quod eratis in illo tempore, &c.* quo etiam ostendit, eos in peccatis vixisse, & cum Iudæos circuncisionem manifestam appellet, quasi oppositos Gentilibus secundum carnem, ideo magis placet expositio, quam in paraphrasi sequuti sumus.
15. *Sine Christo*, idem est, quod sine vlla fide Christi adhuc venturi.
16. Hospites appellat peregrinos, & alienos, sicut 1. Pet. cap. 2. *Tanquam aduenas, & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis:* hoc est, rogo vos abalienatos esse à desideriis carnalibus: peregrini enim in aliqua

Digitized by Google

ciuitate non communicant priuilegiis, & aliis bonis. Sic ergo admonet Petrus, vt in hac carne simus, veluti peregrini, non communicantes desideriis eius. Eadem phrasi dixit cap. 4. *Nolite peregrinari in feruore, qui vobis fit ad tentationem*, hoc est, nolite vos arbitrari alienos esse debere à tentatione; atque ita subiungit, *quasi nouum aliquid vobis contingat.* Alij cum Cypriano lib. 4. Epistolarum epist. 6. quæ nunc est 56. ante medium, & in exhortatione ad martyrium, cap. 9. explicant, nolite mirari, in eum sensum, quo rem mirabilem dicimus peregrinam, seu raram.

17. Hieronymus in magnis commentariis, tom. 6. & Græci referunt genitiuum, *promissionis* ad testamentum, vt nos in paraphrasi; alij referunt ad spem, melius autem refertur ad testamentum: est enim veluti epitheton testamenti, quod sæpe Scriptura appellat pactum. Per spem autem intelligit Paulus, non Christum, sed resurrectionem, quę Act. 26. dicitur facta Patribus, & ob quam alibi dixit Paulus: *Propter spem Israel catena hac circundatus sum.* De hac etiam dixit cap. 1. huius Epist. *Quæ sit spes vocationis vestra*, inquit autem eos expertes testamenti promissorij, non quòd Gentibus non esset promissum, eas benedicendas esse in semine Abrahæ, hoc est, in Christo, sed quia erant extra populum illum, cui solum prima facie videbatur facta promissio, & propterea dixit ad Rom. 3. Præstare super omnem modum populo Gentilico, quod ei commissa essent eloquia Dei, hoc est, lex, & testamentum, & Prophetiæ apud ipsos essent seruatæ. Quod verò attinet ad negotium iustificationis, in eo cap. in nulla re antecellere fusius dixi.

18. Christus non dicitur pax nostra, sicut nec sanctificatio, quòd illius sanctitate tanquam forma sancti dicamur, sed quia meruit nobis sanctitatem, & pacem, de quo 1. par. disput. 85. cap. 6. & 1. 2. disp. 202. cap. 2.

19. Græcè est vna vox μεσότοιχον, quæ significat illum parietem, quo ædes diuiduntur. Participium verò *soluens* explicari posset verbo præteriti, sicut dixit *fecit vtraque vnum*, vtrobiq; enim est participium eiusdem temporis in hunc modum, *Qui fecit vtraque vnum, & diruit inter medium parietem*, sensus autem vtroque modo idem est.

20. Istum intermedium parietem aliqui interpretantur, non inter duos populos Iudaicum, & Gentilium, sed inter ipsos Epheseos, & Deum: dum enim erant in sua infidelitate, à Deo erant diuisi. Verùm cum antea inter duos populos fecerit comparationem, & inferius dicat, vt duos condat in semetipso, melius quadrat contextus, vt in paraphrasi.

21. Hieronym. Chrysostom. Theophilact. Theodoret. & Æcumen. sic interpretantur, legem ceremonialem præceptis Euangelicis abrogans, seu commutans. Erasmus verò legit *in decretis*, atque adeò interpreta-

pretatur hoc modo: legem mandatorum in decretis sitam euacuans. Sed Græci, & Hieron. & alij Latini Patres non legunt *in decretis*. Verùm interpretes Chrysostomi, & Theodoreti ex suo cerebro in textu Pauli posuerunt *in decretis*. Mihi placet expositio paraphrasis, vt per decreta intelligat fidei dogmata, & ea pro fide accipiat, quam interpretationem sequuntur etiam Chrysost. Theophylact. & OEcumenius: & eodem modo interpretari possumus illud ad Coloss. 2. *Delens quod aduersus nos erat, chirographum decreti* si legamus, *chirographum decretis*.

22. Repetitio est illius, quod dixit: *Fecit vtraque vnum*.

23. Nonnulli interpretantur, *per semetipsum*, quæ phrasis in hac Epistola, & alibi sæpe familiaris est Paulo: sed quia hic Christum videtur comparare capiti, sicut inferius lapidi angulari coniungenti vtrunque populum, vt seruetur continuata metaphora: & comparatio, placuit interpretari, vt in paraphrasi.

24. Eodem modo interpretantur *per semetipsum*, mihi magis probatur *in semetipso*, vt sensus sit: Ipse occisus est sua morte, quod est, in seipso interfecit, & dissoluit inimicitias duorum populorum.

25. *Euangelizare*, hoc loco plus, quàm *verbo annunciare*, significare videtur, scilicet opere ipso, sicut de his etiam, qui rem desideratam nobis detulerunt, dicimus bonos fuisse nuncios.

26. Patrem nō appellat primam personam, sed Deum Patrem communem. Sicut ad Rom. 8. inquit, *In quo clamamus, Abba, Pater*.

27. Hos sanctos, & alios similes ex populo Dei intelligit Paulus, vt exposuit Chrysost.

28. Fundamentum aliqui intelligunt fidem Apostolorum, & Prophetarum, alij verò ipsum Christum, sed metaphoricè, & argumento proposito magis congruit expositio paraphrasis: vult enim Paulus ostendere, quomodo Ephesij aggregati sint populo Dei, Christum autem comparat inferius lapidi angulari.

29. Non satis nunc cognoscitur lapis angularis, qui si esset perspectus, appareret maximè vis comparationis, & metaphoræ. Videtur sane hac metaphora optime explicare Paulus, quod superius dixerat, nempe, ex duobus populis veluti ex duobus parietibus diruto intermedio pariete inimicitiarum, factum fuisse vnum populum, veluti vnum templum; cùm verò ex duobus parietibus fit vnum habitaculum, opus est in angulo aliquo lapide communi copulari: huic ergo comparatur Christus in hoc ædificio spirituali.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM.
CAPITIS III.

EXposito iam in duobus præcedentibus capitibus mysterio vocationis erga omnes in vniuersum, & speciatim erga ipsos Ephesios, explicat nunc illis Paulus, quanto animi affectu à Deo petat, vt opus, quod in ipsis Deus sua gratia cœpit, perficiat eosque corroboret, & impleat spiritu gratiæ suæ, vt possint optimè cognoscere, quæ à Deo eis donata sunt. Et cum se in principio epistolæ vinctum esse dixisset pro ipsis, obiter explicat munus prædicationis sibi commissæ: cuius occcasione in vincula coniectus fuerat, vbi longissimam interserit parenthesin, siue hyperbaton, ob quod difficilis est sensus, vt statim apparebit.

CAPVT III.

1 HVius rei gratia ego Paulus
vinctus Christi Iesu, pro vo-
2 bis Gentibus, si tamen audistis
dispensationem gratiæ Dei, quæ
3 data est mihi in vobis: quoniam
secundum reuelationem notum
mihi factum est sacramentum,
sicut suprà scripsi in breui: prout
4 potestis legentes intelligere pruden-

PARAPHRASIS.

HVius rei, quam hactenus vobis exposui, gratia, ego Paulus in vincula coniectus, propter Euangelij huius prædicationem 1 *flecto genua, & anxiè deprecor Deum, vt virtute, & potentia ab eo corroboremini. Ego inquam, vinctus propter Euangelij prædicationem, siquidem audistis quemadmodum munus gratiæ prædi-*

dentiam meam in mysterio Chri-
5 sti, quod aliis generationibus non
est agnitum filiis hominum, sicut
nunc reuelatum est sanctis Apo-
stolis eius, & Prophetis in Spiri-
6 tu. Gentes esse coheredes, & con-
corporales, & comparticipes pro-
missionis eius in Christo Iesu, per
7 Euangelium. Cuius factus sum
ego minister secundum donum
gratiæ Dei, quæ data est mihi se-
cundum operationem virtutis e-
8 ius. Mihi enim omnium sancto-
rum minimo data est gratia hæc,
in Gentibus euangelizare inue-
stigabiles diuitias Christi, & illu-
9 minare omnes, quæ sit dispensa-
tio sacramenti absconditi a secu-
lis in Deo, qui omnia creauit, vt
10 innotescat principibus, & pote-
statibus in cœlestibus, per Eccle-
siam, multiformis sapientia Dei,
11 secundum præfinitionem seculo-
rum quam fecit in Christo Iesu
12 Domino nostro; in quo habe-
mus fiduciam, & accessum in con-
13 fidentia per fidem eius. Propter
quod peto, ne deficiatis in tribu-
lationibus meis pro vobis, quæ
14 est gloria vestra. Huius rei gratia,
flecto genua mea ad Patrem Do-
15 mini nostri Iesu Christi, ex quo
omnis paternitas in cœlis, & in
16 terra nominatur; vt det vobis se-
cundum diuitias gloriæ suæ, vir-
tutem corroborari per Spiritum
17 eius in interiori homine: Chri-
stum habitare per fidem in cordi-
bus

prædicandi vobis Euangelium mihi
peculiari ratione commissum est: sa-
cramentum 2 *enim, & mysterium*
hoc absconditum, quod prædico, non
humano studio, neque ex aliorum A-
postolorum, aut Prophetarum do-
ctrina didici: 3 *sed ex reuelatione*
ita mihi innotuit, 4 *quemadmo-*
dum superiori cap. breuiter vobis ex
posui: 5 *breuiter inquam, non dif-*
fusè, quatenus vos capaces ad meam
de Christo scientiam percipiendam,
& intelligendam cognoui: 6 *quod*
sanè mysterium priscis temporibus
nulli vnquam hominũ, qualiter nunc
sanctis Apostolis, & Prophetis reue-
latum est. Mysterium inquam, illud,
quo Deo placuit Gentes 7 *vnà cum*
Iudaico populo sub vno capite, Chri-
sto videlicet constituere, simulq; he-
redes promissionis in Christo factæ,
per apprehensionem Euangelij parti-
cipes efficere, cuius ego minister sum
factus ex dono gratiæ ipsius, quæ mi-
hi ad prædicandum 8 *efficax, &*
virtute collata est. Mihi 9 *enim*
sanctorum minimo, & nouissimo cre-
dita est hæc prouincia, vt annunciem
Gentibus inscrutabiles Christi diui-
tias, & in lucem proferam, quæ sit
communicatio, 10 *& dispensatio*
tanti mysterij, quod Deus omnium
conditor tot seculis in seipso abscon-
ditum seruauit, 11 *vt appareat, &*
in conspectu Principum, & Potesta-
tum cœlestium spirituum manifesta
fiat tam varia, & multiformis Dei

bus vestris, in charitate radicati,
18 & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis,
19 quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.
20 Ei autem qui potens est omnia facere superabundāter, quam petimus, aut intelligimus secūdum virtutem, quæ operatur in nobis:
21 ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Iesu in omnes generationes seculi seculorum, Amen.

sapientia, & gratia, quam ab æterno donare decreuit, 12 & re ipsa in tempore exhibuit 13 per Iesum Christum Dominum nostrum: cuius merito 14 audemus nobis polliceri per fidem eiusdem, amicitiam, & accessum ad Deum. Cum ergo tam magnum sit vocationis vestræ mysterium, & talem accessum ad Deum habeamus, obsecro ne afflictiones, quas vestri causa patior, vos à cœpto deterreant: 15 illæ namque etiamsi vobis contingant, esse possunt causa gloriandi. 16 Huius ergo mysterij, quod hactenus exposui, gratiâ, flexis genibus aßiduè precor Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo tum omnis 17 familia, & cognatio, tum etiam omnis paternitas, & principatus Angelorum in cœlis, & hominum in terris 18 existit: vt virtute sua, & spiritu gratiæ suæ nos interius confirmet, 19 & faciat 20 per eundem spiritum fidei Christum 21 permanere in vobis: vt ita postquam in charitate altè radices egeritis, & firma ieceritis fundamenta, percipere, & intelligere poßitis vnà cum omnibus sanctis, quæ sit tanti mysterij 23 magnitudo, & eximiam Christi in vos charitatem omnē creata cogitatione superiorem intelligere: vt 24 donorum; & beneficiorum Dei perfectione compleamini. 25 Ipse autem Deus, qui omnia hæc abundantius, quàm petimus, aut cogitamus præstare potest per Christi meritum, laudetur ab Ecclesia sua in omnes generationes seculi seculorum. Amen.

ANNOTATIONES.

1. Hieronymus cum non inueniret verbum huic priori periodo, dixit esse solœcismum; nam pro eo quod dicere debuit: huius rei gratia ego Paulus vinctus Iesu Christi pro vobis Gentibus cognoui mysterium, ait: huius rei gratia ego Paulus: notum mihi factum est Euangelium. Sed quod hoc verbum non poßit deseruire huic priori parti manifestè indicat particulam *quoniam*, quæ interposita est, quam præterit Hieron. Alij cum Erasmo addunt verbum substantiuum *sum* in hunc modum: huius, scilicet prædicationis gratia, ego Paulus pro vobis vinctus sum; imò & ipsi textui audacter addidit. Obstat tamen huic eius inter-

interpretationi, quòd in Græco nomini illi *vinctus* additur articulus ὁ, qui non solet adiici prædicato enunciationis. Alij cum Ambrosio supplent hoc modo: ego Paulus pro vobis legatione fungor. Alij dicunt, vt Græcanica scholia, rectum pro obliquo positum, vt sensus sit: huius rei gratia mihi Paulo, qui vinctus sum, Iesu Christi data est gratia hæc, videlicet, in Gentibus euangelizare. Ceterùm verisimilius est, hic esse parenthesin longissimam occasione illius, quod dixerat, se vinctum pro illis: quare verbum quod suppleri debet, est inferius, cum iterum repetit: *huius rei gratia flecto genua*, quasi diceret: huius, inquam, rei gratia. Et hoc pacto in paraphrasi addidimus.

2. Reddendo causam eius, quod dixerat, explicat, qua ratione commissum ei fuerit euangelicæ prædicationis officium.

3. Idem habet ad Galat. 1.

4. Significat eo modo, quo illud mysterium ipsis superiori cap. exposuit, sibi fuisse reuelatum: neque aliquid de suo addidisse.

5. Quia multo copiosius mysterium ei fuerat reuelatũ, limitat, quod dixerat superiori numero, nimirum ita à se expositum breuiter, non quod copiosius non acceperit, sed quòd ipsi non essent magis capaces. Vnde particulam *prout* Græcè πρὸς ὅ, id est, *ad quod*, vel *iuxta quod*, optimè interpretatur Chrysost. vt valeat idem, quod *quatenus*, quę est particula limitantis.

6. Ambrosius putat veteres Prophetas, & Patriarchas ignorasse hoc mysterium, quomodo scilicet Gentes sine circuncisione forent participes donorum per Christum: sed hoc verisimile non esse, quisq; colligere potest ex libris Prophetarum, maximè Isaiæ. Alij vt Chrysost. & S. Thomas 3. p. q. 17. art. 5. ad tertium dicunt, seculis præteritis reuelatum hoc mysterium, sed non sub illis circunstantiis, quibus fuit Apostolis, & Prophetis Euangelicis. Tertia expositio est etiam Chrysost. videlicet, antiquos Prophetas, & Patriarchas cognouisse vocandas esse Gentes, ignorasse tamen ex æquo futuras consortes cum Iudæis. Verùm ex libris Prophetarum conuinci potest contrarium. Mihi placet expositio Hieronymi. quam etiam habet Chrysost. vt solùm neget Apostolus filiis hominum reuelatum esse mysterium hoc. Per filios autem hominum, intelligit alios omnes, præter Prophetas, etiam antiquæ legis, & Apostolos Euangelij, hi enim dicuntur filij Dei. Sic ergò solùm hi, quibus spiritu Dei reuelatum fuit hoc mysterium, notitiam illius habuerunt: ac si diceret Paulus, paucis illud reuelatum fuisse.

7. Illud coheredes, & concorporales aliqui referunt ad Christum, vt sit sensus: heredes vnà cum Christo, & vnum cum illo corpus constituentes. Verum, vt constat ex superiori capite potius ad Iudæos

Digitized by Google

referri debet, vt in paraphrasi: sic enim in fine cap. 2. dixit coædificamini in habitaculum Dei: ex vtroque namque populo dixit eundem in Christo factum, & ædificatum. Quare mysterium est, Gentes simul cum Iudæis sub eodem capite, & in eundem populum vniri, & heredes esse promissionis.

8. Quod interpres Latinè reddidit operationem, Græcè est ἐνέργειαν, quæ vox significat efficaciam, & operationem.

9. Græcè est ἐλαχιστοτέρῳ, non superlatiuum, sed comparatiuum ex superlatiuo formatum.

10. Græcè non est οἰκονομίας, quæ significat sæpissimè ipsum mysterium Incarnationis in Scriptura, & apud sanctos Patres: sed est κοινωνία, id est, communicatio.

11. Locum istum habes explicatum in tractatu de Angelis 1. p. q. 57. art. 5. vt hic in paraphrasi, non quia ex Ecclesia didicerint Angeli, sed quia in conspectu ipsorum gesta sunt ea, quæ ipsis innotuisse dicuntur.

12. Illud *quam facit*, non refertur ad æternam prędestinationem Dei, sed ad executionem in tempore.

13. Illud *in* denotat idem, quod *per*, vt sæpius dictum est. Christus autem meruisse dicitur æternam Dei præfinitionem, non secundum se, vt increatum quid est, sed ratione rei, quam Deus præfiniuit, sicut 1. part. disp. 94. diximus.

14. Fiducia hoc loco Græcè est παῤῥησία, quod aliquando significat audaciam loquendi, vt Act. 4. *Videntes autem Petrum, &c.* Verum audacia hæc idem est, quod fiducia: qui enim loquitur cum audacia, cum fiducia etiam loquitur: hîc etiam fiduciam cum Deo etiam significat.

15. Illud, *quæ est gloria vestra* Græci interpretantur in hunc sensum, nimirum: gloriari potestis, quòd tanti vos faciat Deus, vt dilectissimos Apostolos pro vobis affligi patiatur. Quæ expositio non displicet. Cæterùm fortassis Paulus etiam eos ad similes aduersitates patienter in se ipsis tolerandas exhortatur, & ob id magis placet expositio paraphrasis.

16. Hactenus durauit hyperbaton, de quo num. 1. nunc ergo redit ad orationis filum.

17. Quod paternitas hoc loco significet familiam, seu principatum latè ostendi 1. p. q. 3. art. 6. & ideo vtranque significationem in paraphrasi expressimus.

18. *Nominatur* hoc loco significat idem, quod esse, seu existere, vt eodem art. latè ostendi.

19. Infinitiuũ *habitare* pendet ex verbo superius posito, *det vobis*: ideò addidimus nos verbum *faciat*, quod in idem redit.

20. Per

20. Per fidem dicit, tanquam per nuncium, cui sæpe in hunc sensum tribuit Paulus iustificationem, vt vidimus in epist. 1. ad Rom. quòd spiritus fidei præstet vires ad operandum, & obseruandum legem.
21. *Habitare* perseuerantem præsentiam significat, qui enim non diu manet alicubi, non dicitur ibi habitare.
22. Comprehendere hoc loco non vsurpatur eo sensu, quo scholastici accipiunt, sed vt in paraphrasi.
23. Plenitudinem intelligit non tantum notitiæ speculationis, sed operationis etiam, quam ex ea cognitione eos habituros esse sperat.
24. Præpositio *in* hoc loco, vt alibi sæpe, significat *per*, vt Greci interpretantur. Idem est *per Christum*, atque, per meritum illius, sine quo nemo potest Deum laudare.

ARGVMENTVM
CAPITIS IV.

IAm ab hoc capite incipit Paulus sanctæ vitæ documenta Ephesiis præbere. In hoc verò ad charitatem erga proximum eos exhortatur, & hæc est secunda pars epistolæ, quæ est parænetica, seu exhortatoria.

CAPVT IV.

1 OBsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati
2 estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charita-
3 te, soliciti seruare vnitatem Spiri-
4 tus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ,
5 vnus Dominus, vna fides, vnum
6 baptisma. Vnus Deus, & Pater omni-

PARAPHRASIS.

CVm 1 ergo ita sit, quòd vos Deus tot, tantisq; beneficiis donauerit, vt hactenus ostendi, obsecro ego, qui propter Dominum in vincula sum coniectus, vt eum vitæ modum obseruetis, qui fini, & scopo, ad quem vocati estis, optimè respondeat, 2 humiliter, 3 mansueti, 4 & patienter, si quid in alio vitiosum, aut minus rectum videbitur tolerantes inuicem 5 per charitatem, studentes 6 voluntatum vnionem obser-

omnium,qui super omnes, & per
7 omnia, & in omnibus nobis. V-
nicuique autem nostrum data est
gratia secundum mensuram do-
nationis Christi,propter quod di-
8 cit: Ascendens in altum, capti-
uam duxit captiuitatẽ;dedit dona
9 hominibus.(Quod autem ascen-
dit,quid est, nisi quia & descendit
primùm in inferiores partes ter-
10 ræ? Qui descendit, ipse est,& qui
ascendit supra omnes cœlos, vt
11 adimpleret omnia,) & ipse dedit
quosdam quidẽ Apostolos,quos-
dam autem Prophetas,alios verò
12 Euangelistas, alios autem pasto-
res,& doctores ad consummatio-
nem Sanctorum in opus ministe-
rii,in ædificationẽ corporis Chri-
13 sti: donec occurramus omnes in
vnitatem fidei, & agnitionis filij
Dei,in virum perfectum,in men-
suram ætatis plenitudinis Christi.
14 Vt iam non simus paruuli flu-
ctuantes, & circunferamur omni
vento doctrinæ in nequitia ho-
minum,in astutia ad circumuen-
15 tionem erroris. Veritatem autem
facientes in charitate,crescamus
in illo per omnia, qui est caput,
16 Christus: ex quo totum corpus
compactum, & connexum per
omnem iuncturam subministra-
tionis, secundum operationem
in mensuram vniuscuiusq; mem-
bri,augmentum corporis facit in
ædificationem sui in charitate.
17 Hoc igitur dico, & testificor in
Domi-

uare vinculo pacis, 7 *vnum corpus,*
& eundem spiritum cum aliis con-
seruantes, quemadmodum vocati e-
stis,cum credidistis in vnam, & ean-
dem vitam 8 *immortalem, quam*
speratis. Vnus est 9 *enim Dominus*
omnium, vna fides, vnum baptisma,
quo initiamur, vnus etiam Deus, &
Pater omnium nostrum, 10 *qui o-*
mnibus præsidet,omnia peruadit, &
permeat, & in ipsis quoque manet.
11 *Ob id autem quisque non putet*
se aliis omnibus æquari posse, quòd
eiusdem corporis vnitatem cum aliis
sub eodem capite Christo sit conse-
quutus: vnicuique enim huius cor-
poris membro gratiæ spiritus, & in-
fluxus iuxta mensuram, & Christi
beneplacitum,qui est caput omnium,
communicatus est: id quod Psalmi-
sta 12 *significare voluit Psal. 67.*
cum dixit. Ascendens in altum,
captiuam duxit captiuitatem,de-
dit dona hominibus. 13 *Cur Pro-*
pheta inquit, ascendit? *nisi quia ipse*
descendit prius in inferiores partes
terræ: qui autem descendit, ipsemet
Christus est, qui ascendit super omnes
cœlos, vt omnia,quæ de ipso prædicta
erant,adimpleret. Et ipse quidem, 14
prout ei placuit, in hoc Ecclesiæ suæ
corpore cõstituit quosdam Apostolos,
quosdã Prophetas, alios verò Euan-
gelistas,alios Episcopos,qui & locum
pastoris,& doctoris habent, vt vni-
uersitatem corũ,qui prædestinati sunt
15 *consummaret,omnibusq; numeris*
abso-

Domino: vt iam non ambuletis,
sicut & Gentes ambulant in vani-
18 tate sensus sui, tenebris obscura-
tum habentes intellectũ, alienati
à vita Dei per ignorantiam, quæ
est illis, propter cęcitatẽ cordis ip-
19 sorum. Qui desperantes, semeti-
psos tradiderunt impudicitiæ, in
operationem immunditiæ omnis
20 in auaritiam. Vos autem non ita
21 didicistis Christum: si tamẽ illum
audistis, & in ipso edocti estis, sic-
22 ut est veritas in Iesu. Deponite
vos secundum pristinam conuer-
sationem, veterem hominem, qui
corrumpitur secundum desideria
23 erroris. Renouamini autem spi-
24 ritu mentis vestræ, & induite no-
uum hominem, qui secundum
Deum creatus est in iustitia, &
25 sanctitate veritatis. Propter quod
deponentes mendacium, loqui-
mini veritatem vnusquisq; cum
proximo suo: quoniam sumus
26 inuicem membra. Irascimini, &
nolite peccare: Sol non occidat
27 super iracundiam vestram. Noli-
28 te locum dare diabolo. Qui fura-
batur, iam non furetur: magis au-
tem laboret, operando manibus
suis quod bonum est, vt habeat
vnde tribuat necessitatẽ patienti.
29 Omnis sermo malus ex ore ve-
stro non procedat: sed si quis
bonus ad ædificationem fidei, vt
30 det gratiam audientibus. Et noli-
te contristare Spiritum sanctum
Dei, in quo signati estis in diem
redem-

*absolutum esset totius corporis mini-
steriũ, & operatio: atq; ita ædificium,
quod 16 in seipso constituere propo-
suit: 17 donec omnes perueniamus
ad vnam fidem, & agnitionẽ filij Dei,
& in viros perfectos, 18 tanquam
plenæ ætatis in rerum Christi cogni-
tione euadamus, robusti scilicet, &
constantes in fide ipsius: nec amplius
simus pueri, 19 hoc est, inter vera,
& falsa dogmata fluctuantes, nec cir-
cumferamur quouis vento doctrinæ,
per 20 artificiosam hominum falla-
ciam, & astutiam, qua in errorem nos
inducere conantur; sed potius verita-
tem sectantes 21 omni opere, & oc-
casione in charitate crescamus, 22
coniuncti cum eo, qui est caput no-
strum, Christo nimirum, 23 ex quo
totum huius Ecclesiæ corpus compa-
ctis, & connexis inuicẽ membris, sin-
gulisq; suo loco quadam animorum
connexione colligatis 24 virtute, &
energia, pro cuiusq; membri cõditio-
ne, proportione quadam communica-
ta 25 coalescit, & quasi ædificium
quoddam crescit in 26 charitate. Hoc
igitur dico, & per Christum obtestor,
vt iam non ita agatis, sicuti Gentiles,
qui quæcunq; vana eorum 27 mens
excogitauerit, ea prosequuntur, ex-
cæcati tenebris ignorantiæ, alieni o-
mninò à vita spirituali, quam Deus
Sanctis suis elargitur: 28 qui post-
quam eo duritiæ peruenerunt, vt
peccatorum dolere nesciant, 29 de-
sperati ita semetipsos tradiderunt
impu-*

redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio: & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.

impudicitiæ & lasciuiæ, vt eorum libido 30 iniustitia, si opus fuerit, compleatur. Vos autem iuxta Christi doctrinam, & spiritum non ita facere didicistis, 31 nisi forsan illius doctrinam audientes, nondum plenè edocti estis 32 iuxta veritatē, quam Christus docuit: 33 exuere vos veterem hominem, hoc est, vitam, 34 quæ prauis desideriis nullum alium fert fructum, quam corruptionis. Renouamini autem in ea 35 vestri parte, quæ est spiritus, seu mens vestra, induentes nouum Adamum, scilicet 36 Christum, qui à Deo factus est, & omni iustitia & sanctitate ornatus, hoc est Christi in nobis conuersationem, & virtutes exprimite. 37 Quapropter omne genus mendacij fugientes, cum sitis inuicem membra eiusdem corporis, vt prædictum est, omnes veritatem cum aliis profitemini, neque vllus alium seducat. 38 Si verò contingat irasci, ira sit ita moderata, vt non peccetis, sed ea sit breuissima, vt in vobis 39 ad occasum vsque solis non perseueret, quin imo non solùm ei consensum non præbeatis, verum etiam optimis rationibus illam omnino deponatis, & nolite in ea permanentes locum dare 40 dæmoni. Qui antea aliena rapiebat, amplius non furetur; 41 sed potius laboret, & 42 ex aliquo bono opificio quæstum quærat, 43 vt habeat, quo indigentibus subuenire poßit. 44 Nullus sermo spurcus, & turpis de ore vestro procedat, sed qui alios in spiritu 45 ædificet, & ad bonum promoueat, ipsisque 46 commodum afferat: & nolite à vobis quasi contristatum expellere Spiritum sanctum Dei, 47 quo obsignati estis in baptismate, 48 quæ fuit dies redemptionis vestræ. Omnis amaritudo, quæ radix est aliorum malorum, ira, indignatio, vociferatio sine iudicio, & mensura, & 49 maledicentia longè à vobis absit, sed potius estote inuicem benigni, misericordes, 50 condonantes, & ignoscentes vobis ipsis, sicut etiam Deus condonauit vobis per meritum Christi.

ANNOTATIONES.

1. Particula *itaque* est nota consequutionis ex præcedentibus, vt in paraphrasi explicauimus.

2. Explicat quo pacto dignè vocationi suę debeant ambulare, omnia autem respiciunt mutuam charitatem.

3. Græca vox est, quæ à sentiendo dicta est, cum quis modeste de se sentit, quod proprium est humilitatis.

4. Græcè

4. Græcè est μακροθυμία, quæ longanimitatem significat: est autem differentia inter patientiam, & mansuetudinē, vt colligitur ex S. Tho. 2. 2. quæst. 136. & quæst. 157.

5. Particula *cum* idem significat hoc loco quod *per*, denotat autem charitatem debere esse principium mutuò tolerandi alienos defectus; id verò non significat superius, vbi dicit *cum humilitate, &c* sed ibi potius denotat affectum charitatis, & explicat, quale debeat esse opus tolerandi mutuò aliorum defectus.

6. Per spiritum aliqui intelligunt Spiritum sanctum, vt Chrysost. & Græci: verùm vtroque modo eòdem recidit sensus.

7. Illud *Vnum corpus, & Vnus spiritus*, multi non referunt ad præcedentia, sed explicant hoc modo: vnum corpus est omnium, qui credunt, & vnus spiritus per singula membra, ita vt inde noua periodus incipiat. Mihi cum Caietano placuit continenti sermone ad præcedentia referre.

8. *Spes vocationis*, hoc loco pro re ipsa, quam speramus, accipitur, vt ad Rom. 8. *Spes quæ videtur, non est spes*

9. Supplenda videtur illa causalis: hanc enim videtur assignare causam, ob quam ad vnionem, & paternam charitatem eos exhortatur.

10. *Super omnes*, quidam putant significare dominium *per omnia*, & gubernationem *in omnibus* verò inhabitationem: possemus etiam in illo *per omnia*, intelligere penetrationem Dei, qui sua substantia intimè in rebus est, addidit autē Paulus *in omnibus*, vt perseueranter in ipsis eum manere ostenderet, non quasi transeuntem ea penetrare.

11. Aliqui censent id dixisse Paulum, vt reprimeret affectum inuidiæ, & superbiæ erga alios: alij putant dictum, vt eos, qui minus acceperant, consolaretur, quòd Christus iuxta suæ voluntatis nutū ita distribuerit. Sensus tamen paraphrasis mihi magis probatur, & congruit cum eo, quod dicitur num. 23. & infra.

12. Psalmum illum aliqui contendunt scriptum pro victoria Syriæ habita, quæ describitur 2. Reg. 8. sed quamuis non sit contemnendus hic sensus, saltem mysticè de Christo intelligendum esse definit Paulus hoc loco.

13. Explicat Paulus verba Psalmi ad Christum ea applicans: dicit ergo Dauid: *Ascendit in altum*, hoc est, mirabiliter exaltatus es, cum ipsos Syrios in captiuitatem cepisti: nam iuxta phrasim Hebraicam captiuam ducere captiuitatem, est captiuos ducere, vnde Deuteron. 21. loco illius quod vertit Hieronym. *captiuos duxeris*, ad verbum in Hebræo habetur *captiuam ceperis captiuitatem*, hic sensus est iuxta corticem literæ, at verò sensu mystico explicat Paulus de Christo. Illud autem *in inferiores partes terræ*, variè solet explicari: quidam de ipsamet terra, vt sit sensus: in inferio-

Digitized by Google

feriores partes mundi, quæ sunt terræ. Alij quorum sententia mihi probatur in infernum, quod subtus terra est, de quo dicemus latius 3. part.
14. In verbo *dedit*, insinuatur gratuita Dei donatio, quæ nullis præcedentibus meritis, sed prout placuit ipsi, facta est.
15. Vox Græca *καταρτίζειν*, interdum significat instaurare, & reparare, & iuxta hanc significationem sensus esset: vt lapsos repararet, hæc dona largitum fuisse Christum. Appellat verò sanctos, hoc est, ad sanctitatem vocatos fideles, vt in Epist. ad Galatas, & ad Philippenses. Interdum verò significat perficere, quam significationem sequutus est interpres, quæ iure est præferenda.
16. Christi ædificium appellatur Ecclesia, quam supra Christum fundamentum firmissimum voluit ædificari.
17. Latini aliqui intelligunt illud *occurramus*, de occursu quo in die iudicii omnes conueniemus, non in vnam fidem, sed in vnam visionem, qua iam erimus stabiles, & falsis doctrinis non circumferemur: melius tamen quadrat contextui paraphrasis: nam ideo Christus constituit quosdam Apostolos, &c. ad ita perficiendos fideles, vt non solùm in alia vita, sed in hac non fluctuarent omni vento doctrinæ.
18. Ea periphrasi describit statum perfectum, quem per mensuram ætatis plenitudinis, hoc est, plenæ ætatis significat, illud autem *Christi* est obiectiue, & idem est, quod de Christo, quasi diceret, in cognitione Christi, & mysteriorum eius.
19. Quod addidit *fluctuantes* interpretatiuè additum est, vt explicaret illud, *non simus paruuli*, hoc est, pueri: horum enim propria videtur inconstantia, & fluctuatio.
20. Græca vox est, quam interpres vertit *nequitia*, est autem, vt interpretatur Chrysost. & alii Græci deducta à ludo tesserarum, in quo vnusquisque alium conatur decipere, sui tantùm commodi gratia. Præpositio *in* significat idem, quod *per*, vt sæpius in hac Epistola, & in aliis notauimus: ne autem repeteretur iterum coniunximus in paraphrasi, per astutiam, & fallaciam.
21. Illud *per omnia* interpretati sumus, in omni opere, & occasione.
22. Crescere in Christo significat in eodem corpore cum eo, tanquam capite coniunctos crescere, quod subinde explicauit, cum dixit, *qui est caput*.
23. Desumptum est ex similitudine incrementi corporis naturalis coniuncti capiti, instar cuius nos crescimus in charitate virtute à capite subministrata.
24. Secundum operationem Græcè est *κατ' ἐνέργειαν*, secundum energiam, hoc est, secundum virtutem, quod nos interpretati sumus, [illegible] communicata.

25. *Facit*

25. *Facit augmentum* interpretati sumus, coalescit. Ceterùm quia in hoc capite non tantùm comparauerat congregationem Ecclesiæ corpori naturali, sed etiam ædificio, vt num. 14. & 15. ideo addidit *in ædificationem*, hoc est, instar ædificij.

26. Illud *in charitate*, explicat illud, in quo fit augmentum huius corporis.

27. Græcè est νοῦς, quæ partem rationalem significat.

28. & 29. Desperantes interpretatur Ambros. non credentes immortalitatem, ac proinde eam non sperantes. Verùm in Græco est ἀπηλγηκότες, quam Græci, & Hieron. interpretantur *indolentes*, quos in paraphrasi sequuti sumus: ita tamen, vt vtrunque sensum complecteremur.

30. Græcè est πλεονεξία, quam noster interpres vertit auaritiam, verum non solum communem auaritiam significat, sed lucri, hoc est, excessus cupiditatem contra iustitiam: propterea iniustitiam interpretati sumus. Hic sensus constare potest, siue auaritia sit in accusatiuo, vt in vulgata, siue in effectiuo, vt in Græco, nec opus est referre vocem *auaritiam* ad illud tradiderunt, sed vt in paraphrasi diximus, ad illud *operationem immunditiæ*, vt sensus sit: ita vt eorum libido in iniustitiam prorumpat.

31. Chrysost. & alij putant, particulam *si tamen*, non esse dubitantis, sed asserentis, sicut est in secunda Epistola ad Thessal. cap. 1. *Si tamen iustum est apud Deum retribuere, &c.* at locus certè dissimilis est, ibi namque non ponitur particula *si tamen* correctionis gratia, sicut hic, quare melius est in modum dubitantis interpretari, vt in paraphrasi.

32. Aliqui legunt per parenthesin (*sicut est veritas in Christo Iesu*) verùm opus non est id sub parenthesi claudere, sicut non claudit emendata editio.

33. Aliqui legunt *deponite*, vulgata tamen Sixti habet *deponere*, quod referri debet ad illud, *edocti estis*, cum tamen vtroque modo idem sensus retineatur, si tamen legendum esset *deponite*, noua inde periodus deberet incipere.

34. Variè exponitur ab aliis illud *corrumpuntur*, quidam sic: qui vetus Adamus quotidie corrumpitur, dum scilicet ipsius desideria, quæ ad errorem perducunt, intercipiuntur, & eliduntur. Mihi planior videtur sensus paraphrasis, vbi desideria oneris interpretati sumus, praua desideria, quæ corruptionis fructum producunt, iuxta illud ad Galat. 6. *Qui seminant in carne, de carne metent corruptionem*

35. Quidam *Spiritum mentis vestræ*, intelligunt Spiritum sanctum, sed vtroque modo in idem recidit: verùm sensus paraphrasis ideò mihi probatur, quia cum primùm ostendisset partem nostram, scilicet exteriorem

Digitized by Google

tiorem hominem, quam exuere debemus: deinde eam demonstrat, secundum quam nos renouari postulat.

36. Nouum hominem Christum intelligit, opera scilicet iustitiæ, in quibus Christus creatus est, & eisdem in nobis ad viuum exprimitur.

37. Postquam persuasit in vniuersum nos exuere veterem hominem, hoc est, abiicere opera carnis, & renouari operibus interioris hominis, speciatim vtrunque genus operum ostendit: particula verò *quapropter*, indicat illationem ex eo, quod sint membra, vt in paraphrasi.

38. Illud *irascimini*, non est præcipientis, aut permittentis, sed sensus illius in paraphrasi expressus est.

39. Posuit exemplum occasus, non quod toto die permittat Apostolus in ira permanere, sed pro breui tempore illud assignauit.

40. Erasmus diabolum vertit calumniatorem, ἀπὸ τοῦ διαβάλλειν, quod est calumniari: intelligit verò in annotationibus Ethnicos calumniatores, vt sensus sit, compescite iram, ne ansam præbeatis Ethnicis calumniandi vos: præstat tamen cum reliquis vniuersalem omnium calumniatorem, dæmonem scilicet intelligere.

41. *Magis* hoc loco non est comparatiua particula, sed corrigentis, ideo interpretati sumus *potius*, quod in Græco est.

42. *Quod bonum est* aliqui per parenthesin legunt, nos retulimus ad *operando. &c.* vt in paraphrasi.

43. Exhortatur Paulus non tantum, ne furentur, aut laborent, ne indigeant, verum etiam vt habeant, vnde aliis tribuere possint.

44. *Omnis non* in Scriptura sæpissimè est idem, quod nullus.

45. Alludit ad metaphoram templi spiritualis, quod dixit esse ex sanctis constructum, & ita promotionem cuiusq; ad bonum appellat ædificationem.

46. Gratiam hic pro commodo phrasi Hebraica intelligit.

47. Metaphora est ab his, qui res suas obsignant, vt dignoscantur, cuius sint.

48. Quidam interpretantur in diem vsque redemptionis, quam dicunt esse extremi iudicij, habent enim Græca exemplaria, non præpositionem ἐν, sed εἰς: at verò aliàs etiam Apost. vnam pro alia ponit: & vulgatus merito non in diem, sed in die vertit, sicque interpretatur OEcumenius.

49. Blasphemia hic non pro maledicentia in Deum, sed genericè pro quacunque accipitur.

50. *Donantes*, putant aliqui positum pro *largientes*, quia Græcè est χαριζόμενοι, Chrysost. tamen Theophylact. & OEcumen. interpretantur condonantes, seu ignoscentes, idq; locum habere potest, etiamsi

parti-

participium Græcum significet largientes: nam & in ipsa condonatione iniuriarum est quædam liberalis largitio, & donatio.

ARGVMENTVM
CAPITIS V.

HOc etiam caput pareneticum est, & varia continet morum documenta, sicut præcedens, præsertim verò charitatis erga alios.

CAPVT V.

1 Estote ergo imitatores Dei,
2 sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauita-
3 tis. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet san-
4 ctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quę ad rem non pertinet, sed magis gratia-
5 rum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hereditatē in regno Chri-
6 sti, & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.
7 Nolite ergo effici participes eo-
8 rum. Eratis enim aliquando tenebræ.

PARAPHRASIS.

IMitamini [1] igitur Deum Patrem vestrum in condonando, tanquam filij ipsius dilectissimi: [2] & diligite inuicem, quemadmodum Christus dilexit vos, & semetipsum morti tradidit victimam Deo [3] suauissimi odoris. Fornicatio verò, & quæuis turpis libido, aut [4] iniusta pecuniæ cupiditas non solùm non sit in vobis, sed neque earum nomen, aut vocem [5] memoriâ retineatis, sicut decet eos, [6] qui Christi nomine, & fide sunt insigniti. Neque vlla verborum obscœnitas, aut in loquendo stultitia, aut nimia, & intempestiua [7] facetia, & dicacitas, [8] quæ nullius est vtilitatis, sed [9] potius congreßibus vestris de acceptis beneficiis Deo gratias agite: oportet enim optimè, & [10] exactè hoc scire, nempe nullum [11] fornicatorem, aut libidinosum, aut etiam [12] auarum, & pecuniæ

nebræ, nunc autem lux in Domi-
9 no. Vt filij lucis ambulate. (Fru-
ctus enim lucis est in omni boni-
10 tate, & iustitia, & veritate;) pro-
bantes quid sit beneplacitū Deo.
11 Et nolite communicare operibus
infructuosis tenebrarum; magis
12 autem redarguite. Quæ enim in
occulto fiunt ab ipsis, turpe est, &
13 dicere. Omnia autem quæ argu-
untur, à lumine manifestantur:
omne enim quod manifestatur,
lumen est; propter quod dicit:
14 Surge qui dormis, & exurge à
mortuis, & illuminabit te Chri-
15 stus. Videte itaque fratres, quo-
modo cautè ambuletis: non quasi
insipientes, sed vt sapientes, re-
16 dimentes tempus, quoniam dies
17 mali sunt. Propterea nolite fieri
imprudentes, sed intelligentes
18 quæ sit voluntas Dei. Et nolite
inebriari vino, in quo est luxu-
ria, sed implemini Spiritu sancto.
19 Loquentes vobismetipsis in psal-
mis, hymnis, & canticis spiritua-
libus, cantantes, & psallentes in
20 cordibus vestris Domino. Gra-
tias agentes semper pro omnibus
in nomine Domini nostri Iesu
21 Christi Deo, & Patri. Subiecti in-
22 uicem in timore Christi. Mulie-
res viris suis subditæ sint, sicut
23 Domino: quoniam vir caput est
mulieris, sicut Christus caput est
Ecclesiæ, ipse Saluator corporis
24 eius. Sed sicut Ecclesia subiecta
est Christo, ita & mulieres viris
suis

*cupidum, qui suæ pecuniæ ita obse-
quitur, eamque reuereri videtur, ac
si pro idolo, & Deo eam haberet, he-
redem futurum regni Christi, & Dei.
Nullus ergo vos seducat, dum verbis
fallacibus, & compositis aliud per-
suadere conatur: propter hæc enim
peccata, quæ commemoraui, Dei vin-
dicta 13 venit in eos. 14 qui per-
suadentibus hæc non licere, & conan-
tibus ab eis ipsos reuocare, non obse-
quuntur. Nolite ergo hæc vitia se-
ctantes esse participes malorum, &
pœnæ cum illis: 15 viuite, vt decet
eos, qui veram cognitionē diuinæ vo-
luntatis sunt consequuti, experimento
comprobātes, quod Deo placuit. Era-
tis 16 enim aliquando in summa Dei
17 ignoratione, nunc autem vera
eius notitia illustrati: fructus enim
18 lucis fidei vestræ est omne opus
bonum, atque iustitiæ, & veritatis.
Nec commercium cum his operibus
infructuosis 19 ignorantium, & in-
fidelium habeatis, quin 20 potius
ea reprehendite, 21 nam quæ in 22
profundo ignorantiæ, in quo ipsi ver-
santur, quasi in tenebrarum occulto,
operantur, adeò obscœna sunt, vt re-
ferre quoq; inhonestum videatur. Ce-
terùm omnia hæc, & similia, quæ 23
reprehenduntur, si ab his, qui 24
sunt filij lucis, & vt decet eos, qui ve-
ram habent cognitionem, viuunt, re-
prehendantur, ex occulto illo, & pro-
fundo ignorantiæ, in quo eorum tur-
pitudo non ita apparebat, eruuntur,
vt*

Digitized by Google

25 suis in omnibus. Viri diligite v-
xores vestras, sicut & Christus di-
lexit Ecclesiam, & semetipsum
26 tradidit pro ea, vt illam sanctifi-
caret, mundans eam lauacro aquę
27 in verbo vitæ, vt exhiberet ipse
sibi gloriosam Ecclesiam, non ha-
bentem maculam, aut rugam, aut
28 aliquid huiusmodi, sed vt sit san-
cta, & immaculata. Ita & viri de-
bent diligere vxores suas, vt cor-
pora sua. Qui suam vxorem dili-
29 git, seipsum diligit. Nemo enim
vnquam carnem suam odio ha-
buit: sed nutrit, & fouet eam, sic-
30 ut & Christus Ecclesiam. Quia
membra sumus corporis eius, de
31 carne eius, & de ossibus eius. Pro-
pter hoc relinquet homo patrem
& matrē suam, & adhærebit vxo-
32 ri suæ: & erunt duo in carne vna.
Sacramentum hoc magnum est,
33 ego autem dico in Christo, & in
Ecclesia. Verumtamen & vos sin-
guli, vnusquisque vxorem suam
sicut seipsum diligat: vxor au-
tem timeat virum suum.

*vt quam sint obscœna, statim appa-
reat: omne enim quod ex tenebra-
rum occulto detegitur, necesse est 25
illuminari. Eorum igitur turpia fa-
cta, quæ tenebris ignorantiæ tege-
bantur, dum à filiis lucis, & veræ fi-
dei reprehenduntur, illuminantur,
vt appareant: propter quod 26 di-
citur: expergiscere, qui somno pecca-
torum teneris, & exurge à morte pec-
cati, qui inter mortuos iaces: & Chri-
stiana tua vita, quæ est fructus lu-
cis, & veræ fidei illustrabit turpitu-
dinem proximi tui, vt videatur, quæ
propter tenebras ignorantiæ non ap-
parebat. Videte itaque, fratres, di-
ligenter, ne tempus vobis effluat,
dum aures præbetis his, qui verbis
compositis aliud vobis tradere co-
nantur; sed potius si opus fuerit, pa-
tiamini aliarum rerum iacturam,
vt in iis 27 tempus conteratis, quo-
niam dies multis malis expositi sunt.
Quare nolite imprudenter agere, sed
diligenter inuestigate, quæ sit Dei vo-
luntas, quidquid ei placeat, vt ope-
re exequamini: neque aures his qui
vos conantur decipere, prebeatis, & nolite inebriari vino, cuius 28 te-
mulentia despumat in 29 libidinem, sed replemini gratia Spiritus sancti:
quod 30 fiet, si dum in vnum ad quæuis loca conuenitis, Psalmi, & hym-
ni non solùm summis labiis, sed toto corde à vobis recitentur in laudem be-
neficiorum omnium, quæ à Deo Patre in 31 nomine, & merito Christi acce-
pimus. Et in congregationibus inuicem vnus alteri honorem, & reueren-
tiam non propter vanam hominum gloriam, sed Christi 32 reuerentiam de-
ferat: quæ tamen subiectionis reuerentia non omnibus in vniuersum exhiben-
da est. Nam 33 mulieres maritis suis subditæ esse debent, 34 sicut Christo:
vir enim est caput vxoris, sicut Christus est Ecclesiæ, 35 ipseque salus totius
corpo-*

4. Auaritia in Græco est πλεονεξία, quam accipit Hieronym. pro inordinata libidine, vt ita consequenter adiecta sit auaritia turpitudini, aliàs videretur extra rem. Sic etiam intelligit illud ad Thessal. 1. epist. cap. 4. *Ne quis in negotio circumueniat fratrem*, hoc est, relicta sua vxore alterius quærat. Mihi placet pro iniusta pecuniæ cupiditate accipi, nec extra rem eam adiecit Apostolus, cum plura alia vitia annumeret, & nescio, vbi nomen Græcum in significatione Hieronymi inueniatur: nam & illud ad Thessalon. de iniusta deceptione in negotiis agendis, & contractibus planè intelligitur.

5. Illud *nominetur* explicat Anselm. hoc modo: nulla in vobis sit, nec suspicio, nec rumor, aut fama talis peccati.

6. Sanctos appellat hic Christianos in vniuersum, sicut alibi sæpè.

7. Græcè est εὐτραπελία, quam in bonam partem accipit Aristot. 4. Ethic. cap. 8. de qua S. Thom. 2. 2. quæst. 168. artic. 2. tenet autem medium inter scurrilitatem, & rusticitatem: hic verò Paulus in malam partem accipit.

8. Eo dicitur scurrilitas, & dicacitas, *quæ non est ad rem*, quod nullius sit vtilitatis, & ideo ad rem, de qua oportet Christianos tractare, nihil attinet.

9. Magis hoc loco est idem, quod potius: in Græco est μᾶλλον, sicut cap. præced. num 40.

10. Duplicatio illa *scitote intelligentes*, est iuxta phrasin Hebraicam, qua exacta cognitio significatur, iuxta illud Psalm. 117. *Castigans castigauit me Dominus*, hoc est, seria correptione.

11. Pro eodem accipit fornicatorem, & immundum, sicut supra fornicationem, & immunditiam.

12. Hunc locum putant aliqui esse pro Hieronymo, qui supra nu. 4. auaritiam esse dixit eo loco inordinatam libidinem; quoniam cum schola Simonis, contra quam putat scriptam hanc epistolam, libidinem suam in Dei honorem referebat, ideo addidit, *quæ est idolorum seruitus*, hoc est, non quamlibet auaritiam intelligo, sed quæ est idolorum seruitus. Ego tamen non video, quam aptè illa libido Simonis dicatur idolorum seruitus, potius enim blasphemia veri Dei appellanda esset: quare placet expositio paraphrasis, quæ communis est, iuxta illud Matth. 6. *Non potestis Deo seruire, & mammona*, cum verò dicit, *quæ est idolorum seruitus*, non ad ipsum auarum, sed ad eius auaritiam refertur. Nos verò, vt contextum seruaremus, ad auarum retulimus, & in Græco est ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, qui est idololatra.

13. *Venit* est præsentis temporis.

14. *Filios diffidentiæ* Græcè est *inobedientiæ*, & phrasi Hebraica idem est, quod *inobedientes*, sicut filius iniquitatis idem, quod iniquus, Hieron.

Digitized by Google

vertit filios insuasibilitatis, hoc est, qui persuasionibus non acquiescunt.
15. Periodum, quæ subsequebatur in textu, transmutauimus, & priori loco posuimus, vt deinde particula causalis *enim* suauiorem faciat contextum: præponitur namque interdum causalis periodo, cuius reddit causam, vt si quis dicat: quia aliquando eratis in tenebris, nunc autem gratiæ lumen consequuti, viuite, vt decet eos, qui illustrati sunt.
16. Causam reddit, ob quam debent viuere, sicut filij lucis, quia scilicet cum antea essent in tenebris, iam sunt sub luce veræ fidei, & agnitionis.
17. Vtitur tenebris, & luce more Hebraico pro iis, qui in eis versantur.
18. Causalis *enim* refertur ad illud, *experimento comprobantes*, ideo enim, qui viuunt, vt decet filios lucis, hoc est, eos, qui notitiam veram Dei habent, comprobant experimento id, quod Deo placet: quia fructus, & opera lucis, quibus incumbere debent, sunt omnia bona opera virtutum iustitiæ, & veritatis, quæ sanè Deo placent. Participium illud *probantes*, quod Græcè est δοκιμάζοντες, significat exquirentes, experimento comprobantes, putantes, & alia. Merito tamen interpres transtulit *probantes*: sic enim causalis, quæ est num. 18. ad ipsum referri potest. Si verò dicamus *exquirentes* non videtur, cuius reddat causam.
19. Tenebræ sicut etiam num. 17. ponuntur pro his, qui in tenebris versantur, hoc est, ignorantibus.
20. *Magis* hoc loco est corrigentis, vt supra num. 9.
21. Causalis illa reddit rationem, quare non debeant communicare operibus tenebrarum, sed ea potius reprehendere.
22. In occulto Græcè est κρυφῆ, hoc est, occultè: hic verò non significat occultum locum, in quo illi absconditi ea faciant, ne videantur, sed refertur ad ignorantiam eorum, ratione cuius eorum turpitudo non ita apparet, sed est quasi in occulto, ita enim optimè quadrat, quæ sequuntur.
23. *Arguo* idem est hoc loco, quod num. 20. *redarguo*.
24. Illud *à lumine* coniungere cum *arguuntur*, vel cum *manifestantur*, proinde est. Nomine autem luminis hîc intelliguntur ij, qui supra dicuntur filij lucis, hoc est, veræ fidei, & agnitionis. Sensus verò est, eorum omnium turpitudinem manifestam fieri, si à filiis lucis redarguatur: nam per vitam Christianam, quæ est filiorum lucis, statim detegitur eorum obscœnitas.
25. Lumen hoc loco significat id, quod illuminatur, aut lumen accipit: nam quod detegitur, quia antea erat in tenebris, non fit lumen, sed illuminatur.

26. His-

Digitized by Google

26. Hieronymus teſtatur, hanc autoritatem ſe non potuiſſe in illis Hebræorum voluminibus reperire: quare eſt antiqua aliqua ſententia, quæ in ore hominum verſabatur; eam verò probat Paulus. Obſeruandum autem eſt *illuminabit*, hoc loco non denotare id, quod communiter ſignificat, nempe idem, quod illuſtrari à lumine quomodocunq;, ſicut contingit corpori, quod non habet in ſe natiuũ lumen, neque lumen ita recipit, vt illuminare alia poſsit; ſed ſicut num. 25. accepit Paulus lumen pro eo, quod eſt illuminatum, & illuſtratum, ſic etiam hic accipit illuminari contrario modo pro eo, quod eſt fieri lumen, aut luminoſum, vt illuminare poſsit, licet recepto lumine ab alio: ſicut ſpeculum, quod per refractionem, aut ſicut Luna, quæ recepto lumine, à ſole illuminare poſſunt, & detegere ea, quæ in tenebris erant: in Græco eſt καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ χριστός, ac ſi verbum pro verbo reddas. *Et illuceſcet, ſeu orietur tibi Chriſtus*: intelligitur, vt lumine ſuo tibi communicato, ſicut lunæ communicatur à ſole, rectè poſsis alia illuminare, & de tenebris peccatorum eruta manifeſtare, factus ſpeculum diuini ſplendoris: nam alio modo illuminari etiam contingit ipſis peccatoribus; nam quatenus lumine honeſtæ vitæ fratrum ſuorum deteguntur, dicuntur illuminari. Porro mihi non probatur aliorum expoſitio, qui illud *illuminabit*, referunt ad propriam turpitudinem, vt ſenſus ſit, illuminabit turpitudinem tuam, vt eam videas: hic enim ſenſus non congruit his, quæ ſupra dixerat, nimirum turpia facta filiorum tenebrarum manifeſtari à vita honeſta filiorum lucis.

27. *Tempus* Latinè, Græcè eſt καιρός, quod propriè articulum temporis ſignificat.

28. Illud *in quo* referri poteſt ad vinum, vel ad totam illam orationem; *nolite inebriari vino*, vt ſenſus ſit, *in quo*, hoc eſt, in qua re.

29. Luxuriam aliqui interpretantur pro luxu, quæ vox generalis eſt, & omnem ſuperfluitatem ſignificat. Magis tamen quadrat, ſi accipiatur pro libidine, quæ eſt proprius vini, & crapulæ fructus.

30. Oſtendit iam, quo poſsint gratia Spiritus repleri.

31. In nomine Chriſti non debet referri ad gratiarum actionem, quaſi ſenſus ſit, gratias eſſe Deo agendas in nomine Chriſti, ſed ad illud *pro omnibus*, vt ſit ſenſus, pro omnibus beneficiis in nomine, aut merito Chriſti acceptis.

32. Timorem Chriſti hac parte intelligit, quem Theologi filialem appellant, nempe reuerentiam quandam. Exhortatur ergo, vt inuicem exhibeant ſibi reuerentiam, & honorem ob reuerentiam, quam Chriſto debent.

Digitized by Google

33. Quia videbatur in vniuersum persuasisse, vt inuicem sibi subijcerentur, & subiectionis reuerentiam exhiberent, ne mulieres putarent inter ipsas, & maritos idem quoque fieri debere, subiungit, qualiter se mutuo gerere debeant.

34. Dominum hic intelligit Christum, cuius matrimonij cum Ecclesia comparatione vtitur: facit ad hoc, quod in Græco est articulus ὁ, vt sensus sit *illi domino*, alij referunt ad maritum, iuxta illud Genes. 18. vbi Sara maritum suum dominum vocat.

35. Quidam referunt ad Christum, qui est Saluator, seu salus totius Ecclesiæ, quia ex eo tota ipsius salus deriuatur; alii referunt ad maritum.

36. Particula *sed*, hoc loco indicat illationem ex præcedenti doctrina.

37. Verbum vitæ omnes intelligunt verba, quæ accedunt ad aquæ elementum, vt fiat sacramentum.

38. Exhibere sibi, idem significat, quod alteri exhibere, scilicet coniungere matrimonio. Particulam verò *vt*, non opus est repetere, nam particula *&*, eam continet.

39. Vtitur metaphora matrimonij, quo quisque desiderat sibi speciosam, & pulchram vxorem, non senem, & rugosam, nec aliqua macula turpem.

40. Repetitio est, applicat enim iterum similitudinem Christi cum Ecclesia ad virum, & vxorem: adiungit tamen nouam rationem diligendi, & explicat magis id, quod superius dixerat, quomodo scilicet vxor sit proprium corpus, & caro viri.

41. Intelligi debet hoc loco causalis.

42. Causalis illa non refertur ad proximè præcedens, *qui suam vxorem diligit, seipsum diligit*, sed ad illud, *Viri debent diligere vxores*: ideo sententiam repetiuimus cum sua etiam causa, vt contextus connecteretur.

43. Ideo aliqui dictum putant, *de carne eius, & de ossibus eius*, quia pretio sanguinis ipsius in corpus Ecclesiæ coaptati sumus. Verùm interpretatio paraphrasis mihi placet: nam & sequentibus maximè consonat, quibus matrimonium Christi cum Ecclesia indicat Apostolus factum in ipsa incarnatione, quando similis, & eiusdem nobiscum naturæ factus est.

44. Verba illa, *propter hoc* non sunt Pauli, sed Scripturæ Genes. 2. quam Paulus in confirmationem suæ sententiæ allegat.

45. Hæc verba de matrimonio consummato, non de solo rato intelliguntur: nam ipsa corporum commixtio ex affectu maritali arctius vinculum inter coniuges facit: propter quod iam quasi vna caro reputantur.

46. Hunc

46. Hunc locum late examinabo in tractatu de matrimonio.

47. Græce eſt φοβῆται, quod timere ſignificat: hic tamen non debet accipi ſeruorum more, ſed cum reuerentia, vt diximus, quæ timoris ſpecies à Græcis dicitur ἐυλάβεια.

ARGVMENTVM
CAPITIS VI.

PErſiſtit toto hoc capite in tradendis etiam præceptis moralibus, & poſtquam viros, & vxores inſtruxit, iam nunc ad alios hominum ſtatus ſermonem conuertit.

CAPVT VI.

1 FIlii, obedite parentibus veſtris
in Domino: hoc enim iu-
2 ſtum eſt; honora patrem tuum,
& matrem tuam: (quod eſt man-
datum primum in promiſsione.)
3 Vt bene ſit tibi, & ſis longæuus
4 ſuper terram. Et vos patres, no-
lite ad iracundiam prouocare fi-
lios veſtros: ſed educate illos in
diſciplina, & correptione Domi-
5 ni. Serui obedite dominis carna-
libus cum timore, & tremore, in
ſimplicitate cordis veſtri, ſicut
6 Chriſto: non ad oculum ſerui-
entes, quaſi hominibus placen-
tes, ſed vt ſerui Chriſti, facientes
7 voluntatem Dei ex animo, cum
bona voluntate ſeruientes, ſicut
Domino, & non hominibus:
ſcien-

PARAPHRASIS.

FIlij obedite parentibus veſtris, 1
ſecundum Domini voluntatem: nam hoc naturæ lex, & iuſtitia poſtulat, ſicuti habetur Exod. 20. honora patrem tuum, & matrem tuam, id enim eſt mandatum, 2 *cui primò adiuncta eſt promiſsio, ſcilicet vt benè ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Vos autem patres ne intempeſtiua correctione, & imperio durè filios veſtros tractetis, vt ita ad iracundiam prouocentur; ſed erudite eos, &* 3 *diſciplina, & obiurgatione Chriſtiana caſtigate. Serui obedite dominis veſtris temporalibus, etiamſi* 4 *infideles ſint, cum timore, & reuerentia, ſicut Chriſto, qui hoc præcipit: non ſub dolo, ſed ſimplici animo, non ſolum ipſis* 5 *præſentibus,*

Digitized by Google

8 scientes, quoniam vnusquisque,
quodcunq; fecerit bonum, hoc
recipiet à Domino, siue seruus,
9 siue liber. Et vos domini, eadem
facite illis remittentes minas, sci-
entes quòd & illorum & vester
Dominus est in cœlis: & perso-
narũ acceptio non est apud eum.
10 De cetero fratres, confortamini
in Domino, & in potentia virtu-
11 tis eius: induite vos armaturam
Dei, vt possitis stare aduersus in-
12 sidias diaboli: quoniam non est
nobis colluctatio aduersus car-
nem, & sanguinem, sed aduersus
principes, & potestates, aduersus
mundi rectores tenebrarum ha-
rum, contra spiritualia nequitiæ
13 in cœlestibus: propterea accipi
te armaturam Dei, vt posistis re-
sistere in die malo, & in omnibus
14 perfecti stare. State ergo succin-
cti lumbos vestros in veritate, &
15 induti loricam iustitiæ, & calcea
ti pedes in præparationem Euan-
16 gelij pacis. In omnibus sumen-
tes scutum fidei, in quo possitis
omnia tela nequissimi ignea ex-
17 tinguere. Et galeam salutis assu-
mite; & gladium spiritus (quod
18 est verbum Dei.) Per omnem ra-
tionem, & obsecrationem oran-
tes omni tempore in spiritu, & in
ipso vigilantes in omni instantia,
& obsecratione pro omnib. san-
19 ctis; & pro me, vt detur mihi ser-
mo in apertione oris mei cum fi-
ducia, notum facere mysterium
Euan-

*tibus, sed etiam absentibus iussa eo-
rum exequentes; non vt 6 ipsis ve-
stris dominis, qui homines sunt, sed vt
Christo, cuius serui estis, placeatis
exequentes scilicet ex animo iussa do-
minorum, quia Dei voluntas est, atq;
adeò prompta voluntate non domi-
nis vestris, sicut hominibus, vt ipsis
tantum placeatis, sed vt Deo, qui ita
præcipit, scientes quoniam vnusquis-
que boni, quod iuxta Dei voluntatem
fecerit, mercedem à Deo recipiet, siue
seruus ille sit, siue liber: ac proinde
non in gratiam hominũ, quibus obe-
diunt, id facere debent, cum ab eis
non mercedem æternæ retributionis,
sed solum temporalem sperent, sed vt
Deo, à quo æternum præmium habi-
turi sunt, placeant. Et vos domini
tales vos exhibete erga seruos, qua-
les ipsos erga vos esse desideratis: re-
laxate ferocitatem, & minas; ne sitis
erga eos imperiosi, scientes eundẽ esse
dominum in cœlis, qui & nostrum,
& illorum dominatur, apud quem
nulla est personarum acceptio, qua-
propter ita dominum, atque seruum
de facto suo iudicabit. 7 Tandem,
vt finem epistolæ imponam, date ope-
ram, vt fortes efficiamini gratia 8
Dei, & virtute illius; induite vos o-
mnem simul armaturam Dei, vt possi-
tis 9 permanere, & resistere insi-
dijs diaboli: ideò enim opus est, vt
omni diuina 10 armatura, & ope
roboremini: 11 quia colluctatio nõ
est nobis cum hominibus, qui ex car-
ne,*

Digitized by Google

20 Euãgelij, pro quo legatione fun-
gor in catena, ita vt in ipso audeã,
21 prout oportet me loqui. Vt au-
tem & vos sciatis, quæ circa me
22 sunt, quid agam: omnia vobis
nota faciet Tychicus, charissimus
23 frater, & fidelis minister in Do-
24 mino: quem misi ad vos in hoc
ipsum, vt cognoscatis, quæ circa
nos sunt, & consoletur corda ve-
25 stra. Pax fratribus & charitas
cum fide à Deo Patre nostro, &
26 Domino Iesu Christo. Gratia
cum omnibus, qui diligunt Do-
minum nostrum Iesum Christũ
in incorruptione, Amen.

ne, & sanguine sicut nos, constant,
sed aduersus 12 Principes huius
mundi, potestates, & rectores: mun-
di inquam, non omnium, quæ in vni-
uerso sunt, sed tenebrarũ, hominum
videlicet, qui in tenebris peccatorum
huius seculi versantur; contra 13
nequitias spirituales, dæmones vide-
licet, qui in hoc 14 aêre degunt.
Quia ergo tam fortes hostes, & sem-
per ad malum peruigiles habetis, ac-
cipite omnem 15 armaturam, vt in
die 16 malo, tentationis videlicet,
& pugnæ resistere poßitis, & omni-
bus armis perfectè instructi sic stare
poßitis, vt non moueamini. 17 Ac-
cingite ergo lumbos spirituales mentis vestræ veritate doctrinæ, sicut milites
balteo se solent ad bellum accingere: & 18 iustam, atque honestam vitam
veluti loricam induite. Estote 19 etiam veluti qui calceis pedes præparant
ad iter parati, non solùm ad Euangelium pacis tuendum, & retinendum, sed
etiam prædicatione vestra propagandum: & 20 per omnia assumite cly-
peum fidei, quo poßitis ignitos ictus dæmonum excipere; & spem vitæ 21
æternæ, tanquam capiti galeam imponite, & 22 spiritualem gladium, quod
est Verbum Dei. 23 Frequenter preces, & obsecrationes ad Deum fundite,
non in multiloquio sed ex affectu, & spiritu, ipso spiritu peruigiles, & ma-
gna 24 solicitudine, & frequenti obsecratione Deum pro omnibus fideli-
bus, & pro me deprecantes, vt Deus mihi verba 25 subministret, quibus
cum fiducia, & libertate prædicem, & publicè annunciem arcanum Euan-
gelij, & illius rationem reddam, pro cuius prædicatione legati munere fun-
gor etiam in 26 carcere, ita 27 vt de ipso Euangelio liberè audeam loqui,
prout oportet. Vt autem sciatis quæ circa me geruntur, quid etiam agam, o-
mnia narrabit Tychicus charißimus frater, & fidelis minister in Domino,
quem ad hoc ipsum misi ad vos, vt omnia, quæ dixi, intelligatis. Tranquilli-
tas, & pax conscientiæ omnibus fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre
nostro, & Domino Iesu Christo donetur. Gratia quoque sit ijs omnibus,
qui diligunt Dominum Iesum Christum incorruptè, &
sincerè, Amen.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. Illud *in Domino*, iuxta phrasim Hebraicam sæpius à nobis repetitam idem est, quod secundum Dominum, & illius voluntatem.

2. *In promissione*, est additamentum restringens illud mandatum primum.

3. Græce est παιδεία, vox anceps, quæ significat & eruditionem, & castigationem: hic putant aliqui pro sola castigatione moderata vsurpari: in paraphrasi vtrunque coniunximus, vt eruditionem cum castigatione etiam significet. Quod vero addit *Domini* significat moderatam, secundum rationem, quod nos Christianam dicimus.

4. Aliqui tempore Apostoli malè intelligentes libertatem Christianam docebant, seruos non debere esse subiectos dominis infidelibus.

5. *Non ad oculum*, idem est, quod non solùm in præsentia eorum, sed etiam in absentia.

6. Duobus modis potest quis placere Christo obediendo domino suo; aut actu referendo obsequium illud in Christum, qui in Domino suo aliquo modo consideratur, aut obediēdo domino, quia secundum rationem honestum est, & oppositum peccato, & hoc etiam modo obsequitur Christo, quia ipsi placet tale opus, sicut quoduis aliud bonum morale: quod si in iustificato fiat, placet vt meritum vitæ æternæ. Quod verò improbat Paulus, est ita seruire domino, vt ipsum tantum beneuolum habeamus propter commodum nostrum, quia licet interdum non sit peccatum, bonum tamen opus non est.

7. His verbis *de cætero* claudere solet Paulus Epistolas.

8. *In*, hoc loco sicut alibi sæpe secundum phrasin Hebraicam significat *per*: indicat enim casum instrumenti.

9. *Stare* apud Paulum opponitur ei, quod est cadere, iuxta illud 1. ad Cor. 10. *Si quis existimat se stare, videat ne cadat.* Et illud ad Rom. 14. *Domino suo stat, aut cadit.*

10. Græcè est πανοπλία, quæ vox significat omnem armaturam ad militem pertinentem.

11. Variè hunc locum interpretes explicant, quidam per carnem, & sanguinem intelligunt eam partem hominis, quæ est corpus, vnde prauæ cogitationes, & motus oriuntur, & ex his nonnulli addunt particulam *tantum*, vt sit sensus: Non tantùm est nobis pugna contra nostram carnem, verùm etiam contra Principes, &c. alij nihil supplentes, hoc modo interpretantur: Tametsi pugna cum carne, & sanguine sit

grauis,

Digitized by Google

grauis, collata tamen cum ea, quam habemus cum dæmonibus, ferè nulla est, adeò variæ sunt eorum fraudes, & vires. Mihi placet sensus Paraphrasis.

12. Principem huius mundi dæmonem appellauit Christus Ioan. 1. 12, & cap. 14.

13. Secundum phrasin Hebraicam ait, *spiritualia nequitia*, hoc est, nequitias spirituales.

14. Phrasis hæc *in excelsis*, sicut illa est, *Gloria in excelsis Deo*, hoc est, Deo, qui est in excelsis, similis est in hac epistola cap. 1. num. 3.

15. Armatura hoc loco idem est, quod num. 20.

16. Hieronymus & alij per diem malum intelligunt diem iudicij, verùm cum armatura deseruiat ad pugnandum, & resistendum diabolo in hac vita, melius de die tentationis intelligitur.

17. Explicat speciatim id, quod dixerat vniuersim, quomodo scilicet omnem armaturam induere debeant. Primùm autem balteo militari comparat veritatem doctrinæ: nam sicut arma ipso balteo applicantur, & continentur, ne suo loco moueantur, sic vera doctrina continet bonos vitæ mores. Nonnulli putant hic Apostolum exhortari generatim ad vitæ veritatem, quæ hac phrasi etiam in Scriptura significatur. Sed cum hic velit explicare, quæ sint arma spiritualia, melius militari balteo comparat veritatem doctrinæ.

18. Loricæ, quæ præcipuam partem corporis, scilicet pectus, & scapulas tegit, comparat vitæ & morum integritatem, quæ complectitur, quod præcipuum est in vita spirituali, quam appellat iustitiam 1. ad Thessalon. 5. gloriæ comparat fidem, & chariatem simul, quod idem est.

19. Præparationem pedum, quę fit calceis, comparauit Paulus promptitudini ad peragrandum orbem, & Euangelium vbique seminandum.

20. Fidem nostram clypeo comparat, quia ea resistimus etiam diabolo, & ictibus tentationum.

21. Spem vitæ immortalis cum galea contulit. Idem fecit 1. ad Thessalon. 5. *Et galeam spem salutis, &c.* nam sicut galea caput tegit, & defendit, ita spes erigit caput, iuxta illud Luc. 21. *Respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

22. Verbum Dei appellauit gladium spiritualem, hoc est, doctrinam fidei; quia penetrabilior est omni gladio ancipite, & discernit cogitationes, ad Hebræos 4.

23. Omnem solicitudinem, appellat magnam.

24. In omni tempore idem est, quod semper, iuxta illud Luc. 18. oportet semper orare. Significat autem non perpetuo, sed frequenter orandum esse.

25. Hebraismus est sicut Matth. 5. *Aperiens os suum*, significat loqui, & sensus est, vt loquenti mihi Deus verba suggerat.

26. Indicat se in carcere hanc epistolam scripsisse.

27. Repetitio est eiusdem, quod dixerat.

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD PHILIPPENSES.

ARGVMENTVM TOTIVS EPISTOLAE.

CVm Philippenſes à Paulo edocti Euangelium ſuſcepiſſent, ita in eo permanſerunt, vt nunquam Pſeudo Apoſtolos, & iudaizantes admitterent, cumque Paulum vinctum audiſſent, ei per Epaphroditum neceſſaria miniſtrarunt, vt conſtat ex cap. 2. per quem ad eos Paulus hanc mittit epiſtolam, eorum fidem laudans, & contra Pſeudo Apoſtolos confirmans, eoſq; conſolans, & ad mutuam charitatem cohortans.

ARGVMENTVM
CAPITIS VI.

IN hoc capite primùm sui erga Philippenses affectum declarat. Deinde ostendit ex suis vinculis multum Euangelio accessisse: ideoq; pro illo mortem se nihili facere, etiamsi ob ipsorum vtilitatem viuere cupiat. Postremò Christum eis non defuturum in patienter ferendis afflictionibus pollicetur.

CAPVT I.

1 PAulus, & Timotheus, serui
Iesu Christi, omnibus sanctis
in Christo Iesu, qui sunt Philip-
pis, cum Episcopis, & Diaconi-
2 bus. Gratia vobis, & pax à Deo
Patre nostro, & Domino Iesu
3 Christo. Gratias ago Deo meo in
4 omni memoria vestri, semper in
cunctis orationibus meis pro o-
mnibus vobis, cum gaudio de-
5 precationem faciens, super com-
municatione vestra in Euange-
lio Christi à prima die vsq; nunc:
6 confidens hoc ipsum, quia qui
cœpit in vobis opus bonum, per-
ficiet vsque in diem Christi Iesu:
7 sicut est mihi iustum hoc sentire
pro omnibus vobis: eo quod ha-
beam vos in corde, & in vinculis
meis,

PARAPHRASIS.

PAulus, & Timotheus serui Iesu Christi omnibus 1 fidelibus merito Christi Iesu, qui sunt Philippis, 2 Episcopis etiam, & Diaconis, hanc epistolam mittunt. 3 Gratia vobis, & pax sit à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, Gratias ago Deo meo semper pro vobis, 4 assiduè vestri memor in cunctis orationibus meis, deprecans Deum, 5 cum magna lætitia, quam de vestra communicatione cum aliis Gentibus in apprehendendo, & sectando Euangelium capio, confidens me à Deo hoc ipsum 6 consecuturum, 7 vt scilicet ipse, qui gratia sua cœpit in vobis hoc opus communicationis Euangelij, perseuerare faciat vsque 8 in diem vltimi iudicij. Quod æquum est

Digitized by Google

meis,& in defensione, & confir-
matione Euãgelij,cum socij gau-
8 dij mei omnes vos sitis. Testis
enim mihi est Deus, quomodo
cupiam omnes vos in visceribus
9 Iesu Christi. Et hoc oro, vt cha-
ritas vestra magis ac magis abun-
det in omni scientia, & in omni
10 sensu,vt probetis potiora, vt sitis
sinceri, & sine offensa in diem
11 Christi,repleti fructu iustitiæ per
Iesum Christum, in gloriam, &
12 laudem Dei. Scire autem volo
vos fratres, quod quæ circa me
sunt, magis ad profectum vene-
13 runt Euangelij : ita vt vincula
mea manifesta fierent in Christo
in omni prætorio, & in cæteris
14 omnibus; & plures è fratribus in
Domino confidentes in vinculis
meis, abundantius auderent sine
15 timore Verbum Dei loqui. Qui-
dam quidem & propter inui-
16 diam, & contentionem; quidam
autem & propter bonam volun-
tatem Christum prædicant, qui-
dam ex charitate, scientes, quo-
niã in defensionẽ Euangelij po-
17 situs sum. Quidam aũt ex cõten-
tione Christum annunciant, non
sincerè, existimantes pressuram
18 se suscitare vinculis meis. Quid
enim? Dum omni modo, siue per
occasionem, siue per veritatem
Christus annuntietur; & in hoc
19 gaudeo, sed & gaudebo. Scio e-
nim quia hoc mihi proueniet ad
salutem, per vestram orationem,
& sub-

est me confidere, & sentire de vobis eo quod habeam 9 vos amicissimos, 10 cum sitis 11 charitatis meæ inuicem 12 socij, vt me reciproco amore diligatis, & in vinculis constitutum, & in defensione, & confirmatione Euãgelij, quod vobis prædicaui. Deus 13 enim mihi testis est, quam vehementer 14 desiderem vos omnes intimè, & ex corde à Christo amari, vnde hoc ipsum oro, & peto à Deo, vt charitas vestra inuicem magis, ac magis crescat cum perfecta scientia, discretione, & iudicio, & delectu, vt ex multis, quæ vobis proponuntur, videatis, quæ sunt magis vtilia: vt sitis sinceri, & dum officiosi esse contenditis in alios, nihil adulterum recipiatis in fide, aut moribus, sed sine offensa perseueretis in diem 15 iudicij, pleni fructu iustitiæ per Christi gratiam ad laudem Dei: volo autem fratres vos scire, quod quæ mihi acciderunt aduersa, quæ videbantur futura in detrimentum prædicationis meæ, potius cesserint ad profectum; ex vinculis enim, in quæ coniectus sum 16 propter Christum, hoc boni prouenit, vt 17 tota 18 aula, & palatium Neronis hac occasione aliquem rumorem de Euangelio acceperit, de quo nihil ante audiuerat, eademque fama Euangelij peruaserit vsque ad 19 reliquas partes ciuitatis; & ex fratribus 20 in Domino multi 21 hac occasione sumpta cum fiducia audeant liberius,

&ſubminiſtrationem Spiritus Ie-
20 ſu Chriſti, ſecundum expectatio-
nem, & ſpem meam, quod in nul-
lo confundar: ſed in omni fidu-
cia ſicut ſemper, & nunc ma-
gnificabitur Chriſtus in corpore
meo, ſiue per vitam, ſiue per mor
21 tem. Mihi enim viuere Chriſtus
22 eſt, & mori lucrū. Quod ſi viuere
in carne hic mihi fructus operis
23 eſt, & quid eligam ignoro. Coar-
ctor autem è duobus, deſiderium
habens diſſolui, & eſſe cum Chri-
24 ſto, multò magis melius: perma-
nere autem in carne, neceſſarium
25 propter vos. Et hoc confidens,
ſcio quia manebo, & permanebo
omnib. vobis, ad profectum ve-
26 ſtrum, & gaudium fidei. Vt gra-
tulatio veſtra abundet in Chriſto
Ieſu in me per meum aduentum
27 iterum ad vos. Tantùm dignè
Euangelio Chriſti conuerſamini:
vt ſiue cùm venero, & videro vos,
ſiue abſens, audiam de vobis, quia
ſtatis in vno ſpiritu vnanimes,
28 collaborantes fidei Euangelii: &
in nullo terreamini ab aduerſa-
riis: quæ illis eſt cauſa perditionis,
vobis autem ſalutis, & hoc à Deo:
29 quia vobis donatum eſt pro Chri-
ſto, non ſolùm vt in eum creda-
tis, ſed vt etiam pro illo patiami-
30 ni, idem certamen habētes, quale
& vidiſtis in me, & nunc auditis
de me.

berius, quam antea annunciare Euangelium. Sed inter omnes, qui nunc Euangelium annunciant, alij quidem inuidia, & æmulatione: 22 contentiose, quod viderint magnam mihi gloriam comparatam ex felici ſucceſſu prædicationis Euangelij, Chriſtum prædicāt. Alij verò 23 bono animo & voluntate fructum animarum, & Dei honorem præ oculis habentes. 24 Quidam autem ex charitate, qua me diligunt: ſciunt enim reddendam mihi eſſe rationem, quod ad ipſum prædicandum miſſus fuerim; & charitate ſua volunt adiuuare meam prædicationem. Alij deniq; ex quadam animi 25 contentione non ſincero, & puro animo erga nos, putātes ſe prædicatione ſua calamitates mihi 26 augere, commouendo ſcilicet Neronem in maiorem contra me indignationem, quòd ego cauſa fuerim talis prædicationis, Quid 27 autem mea refert, quo affectu, vel quo fine Chriſtum prædicent, dum modo Chriſtus omnino annuncietur quacumque ex cauſa id fiat, ſiue 28 occaſione aliqua alicuius humani affectus, non ſecundum rationem, qui prætextu prædicationis moueat; ſiue ex non ficto, & ſincero affectu veritatis: imo 29 & in hoc quod Chriſtus annuncietur, non tantùm 30 gaudeo, ſed etiā gaudebo, quod videam veritatem Chriſti, vel aduerſariorum teſtimonio confirmari. Sed neq; curo, quæ inde mihi mala proueniant: 31 etenim quæ ex his oriuntur, ea mihi ſalutem æternam conci-

conciliabunt, si vestras orationes nactus fuero, per quas spiritus gratiæ Iesu Christi amplius mihi suppeditabitur iuxta spem, & 32 expectationem, quam habeo: ea 33 enim fretus, scio, me quæ sunt molesta, & difficilia, sine confusione superaturum, & 34 omni 35 metu deposito, sicut in omnibus periculis, in quibus antea fui, 36 ita & nunc magnificabitur Christus per corpus meum, siue viuere contingat, siue mori. 37 Istorum ergo contentionem, qua me conantur opprimere, spero futuram mihi ad salutem, etiamsi mors mihi inde 38 sequatur. Christus enim mihi est pro vita corporali, quam amittere possum; & mortem pro lucro duco, quod defunctus hac vita cum Christo futurus 39 sim. Verumtamen si ipsum viuere vita mortali res 40 fructuosa est Ecclesiis, quibus prodesse possum, 41 etiam dubito vtrum eligam: 42 duo 43 enim sunt, quæ me vtrinque premunt, & tenent ancipitem; quorum alterum in meum commodum desidero, scilicet dissolui, & esse cum Christo: 44 multò, longeque mihi melius alterum est, quod iudico 45 magis necessarium, permanere in carne mortali propter vestram vtilitatem. Quocirca charitas in hanc partem meum trahit, & impellit animum. 46 Confidens autem, & credens 47 quòd vobis futura sit necessaria opera mea, scio quod eripiar nunc à potestate Neronis, & manebo superstes 48 vobis omnibus, vt in fide proficiatis, & gaudeatis spirituali, & vera lætitia, 49 quæ ex ipsa fide nascitur, & mihi 50 gratulemini de 51 reditu meo ad vos. Id vnum à vobis 52 exposco, vt pro Euangelij dignitate agatis, vt siue cum venero ad vos, ego videam; 53 siue absens audiã vos in eodem spiritu permanere vno animo inuicem pro fide Euangelij 54 laborantes, & certamina excipientes; nec terreamini ab aduersariis, etiamsi pericula comminentur, & mortes: 55 id quod 56 causa est illis nos persequentibus damnationis æternæ; vobis autem sustinentibus æternæ salutis, quod gratiæ Dei adscribendum est. 57 Vobis enim non tantùm Deus gratia sua 58 ob merita, & intercessionem Christi donauit, vt in ipsum Christum credatis, sed etiam vt decertantes pro Euangelio pro ipso Christo patiamini multa incommoda, sicut etiam me decertantem pati antea audistis, & nunc auditis.

ANNOTATIONES.

1. Sancti appellantur fideles ad fidem conuersi, vt in epist. ad Rom. & alibi sæpe notaui.

2. De ordine, quo ponit Episcopos post plebem, varij varia dicunt, Chrys. & alij Græci legunt *Coepiscopis*, & sic intelligunt epistolã scriptam ad

ad totum clerũ,vnde dicit, *fidelibus Coepiscopis, & Diaconibus*, sed in Græcis codicibus non est vna dictio, & ita legendum cum vulgata, *cum Episcopis*. De ordine verò dico non esse inurbanum, quia Episcopos non posuit in vltimo loco, sed in primo: quamuis enim primùm salutet omnes fideles in vniuersum, vbi etiam complectitur Episcopos, postea tamen speciatim eos salutat. Primo loco ponit Episcopos, quasi præcipuos in tota communitate. Ambros. hoc modo contexit textum Pauli, vt illud, *Paulus, & Timotheus*, coniungat cum illo, *cum Episcopis, & Diaconibus*, & sensus sit: Paulus, & Timotheus, & alij Episcopi, & Diaconi mittunt hanc epistolam Philippensibus. Et sic tolli videtur alia difficultas, quomodo Paulus dixerit, Episcopis, in plurali, cum Philippis, quæ erat vna ciuitas, vnus tantùm esset. Verùm hic sensus est planè extortus. Ad hanc verò difficultatem respondent Chrysost. & alii Græci nomen Episcopi commune fuisse etiam presbyteris multo tempore.

3. Sensus Pauli in salutatione hac, sicut in aliis epistolis est eclipticus, & in hunc modum explicari debet, sicut in Epistola ad Roman. cap. 1. nu. 4. tum etiam sicut in epistola ad Galat. cap. 1. nu. 1.

4. Illud *in omni memoria* non significat tantùm, quotiescunque vestri recordor, sed assiduam, & iugem memoriam illius.

5. Illud *super communicatione vestra*, coniungi debet cum illo, *cum magno gaudio*, non autem cum illo, *deprecationem faciens*, quia non significat se deprecari aliquid de communicatione illorum in Euangelio, sed cum deprecatur Deum aliquid pro illis, multum gaudere de communicatione ipsorum in Euangelio.

6. Illud *consecuturum* suppleuimus, vt melius flueret contextus.

7. Explicat quod est illud, quod dixit se sperare consecuturum.

8. Dies Iesu Christi dicitur vltimi iudicij, qui dicitur etiam dies Domini magnus, propterea quod in eo maxime ipsius potestas relucebit.

9. *Habere in corde*, est phrasis obscura, quidam referunt ad memoriam, alij melius ad affectum, id quod indicat, quod sequitur nu. 11. aliàs enim non rectè ibi redderet rationem eius, quod dixerat: si verò referatur ad effectum, causalis optimè congruit.

10. In Latina vulgata dicitur *socios vos esse*, & ita difficilis est contextus, & constructio: quidam putant illud *esse* redundare, & ita exponunt, eo quòd habeam vos amicissimos, & in defensione Euangelij, &c. socios: sed in Græco non redundat particula illa, nec opus est, non tamen est εἶναι, hoc est, esse, sed ὄντας, id est, existentes: & sic omnes Græci Patres legunt, ac si ad literam diceret: cum habeam vos amicissimos existentes, vos socios meæ charitatis, & dilectionis, in vinculis, quod Latinè suauius redditur *cum sitis*, & sic interpretes Patrum Græcorum verterunt.

11. Vul-

11. Vulgatus legit *gaudij mei*, in Græco habetur χάριτος, id est, charitatis. vulgatus pro eodem accepit gaudium, & charitatem, seu dilectionem, quia etiam charitatis est gaudere de bono amici, & de liberatione à malo, sicut dolere de malo. Græci Patres interpretantur, non charitatis, sed gratiæ, quia & Philippenses hanc etiam gratiam habuerunt, vt paterentur pro Christo, & defenderent Euangelium, sed melius est interpretari, *dilectionis*, vt referatur ad mutuum amorem.

12. Socios charitatis appellat propter reciprocum ipsorum erga Paulum amorem, quem diligebant, sicut & ipse eos.

13. Causalis hæc refertur ad id, quod dixit num. 9. eo quod habeam vos in corde.

14. Græci non legunt *esse*, sed tantùm *vos in visceribus Iesu Christi*, nec vulgati codices habent *esse*, & sine illo interpretantur Græci in hunc modum: quàm vehementer vos amem visceribus, & amore Christi: & non carnali, aut temporali. Sed si suppleamus *esse*, fit planior contextus: verbum enim *cupio*, quod interpretati sumus *desidero*, & id, quod subsequitur, *Et hoc oro, vt, &c.* illud postulare videtur: sic enim exprimit desiderium quod habet, vt diligantur à Christo, ex quo sequitur, vt & ipsi crescant in charitate.

15. Dies Christi, vt supra, dicitur dies iudicij.

16. Illud *in Christo*, interpretati sumus propter Christum, vt referatur ad vincula, licet sit hyperbaton: aliqui referunt *ad manifestata*, vt sit sensus, manifestata sunt per Christum, id est, per gratiam Christi.

17. Quod in vulgata dicitur, *in omni prætorio*, Græcè dicitur *in toto*.

18. Paulus Græcè scribens vtitur nomine Latino, *prætorium*, quia vt notat Chrysost. vulgo sic dicebatur Romæ palatium Imperatoris.

19. Textus vulgatus habet, *Et in cæteris omnibus*; verùm præpositio *in* non habetur in Græcis codicibus, & videtur dubium, an suppleri debeat; quidam interpretantur sine illa referentes non ad loca, sed ad personas, vt sensus sit, *Et cæteris omnibus manifesta facta sunt, &c.* alij verò ad loca, & ita dicunt supplendam præpositionem *in*.

20. Particula *in domino* Græci referunt ad confidentes, sed nos retulimus ad fratres, vt sensus sit, & ex fratribus religione Christiana.

21. *Confidentes in vinculis* non significat spem aliquam sitam in vinculis, sed vt in paraphrasi, videlicet, ex meis vinculis sumpta fiducia, & confirmati cœperunt prædicare, cum viderent me in vinculis maiori cum fiducia verbum Dei prædicare.

22. Hoc loco vulgata legit, *propter inuidiam, & contentionem*, verbum contentio in Græco est ἔρις, quod significat contentionem, seu æmulationem: contentio autem hoc loco non est sumenda, vt num. 25. in eum sensum, videlicet, vt Paulo damnum aliquod inferrent, sed vt

Digitized by Google

contentione sua, & æmulatione tantum gloriæ consequerentur, quantum videbant Paulo accidisse ex prædicatione; est ergo hoc loco contentio, non inimicitiæ, sed æmulationis: inuidi enim ipsa inuidia dicuntur contentiosi.

23. *Bona voluntas* in Græco hic dicitur εὐδοκία, dicit autem bonam voluntatem, non erga ipsum Paulum: hoc enim dicit num. seq. sed erga Euangelium.

24. Charitatem hoc loco intelligit, non erga Deum, sed erga Paulum, vt ipsum scilicet adiuuarent, id quod indicat ratio, quam subiungit statim *scientes, &c.* quæ si sermo esset de charitate erga Deum, non videretur esse ad rem.

25. Contentio hoc loco Græcè est ἐριθεία, quod significat contentionem, seruitutem, seu concertationem; est autem hoc loco contentio, non æmulationis, sed inimicitiæ, vt constat ex eo, quod statim subiungit. Vnde hoc loco non explicat Paulus (vt quidam putant) contentionem illam, quam posuerat num. 22. sed potius aliud genus contentionis.

26. Ex hoc loco putant aliqui epistolam hanc esse scriptam in vinculis, id quod dubium sanè est, Chrysost. in præfatione putat, priora fuisse vincula.

27. Particula *enim*, Græcè γὰρ, potius habet vim continuandi, vt particula *autem*, quàm causalis, & suppleri debet aliquid, vt sit integer sensus, vt in paraphrasi.

28. Dictio Græca, qua vtitur Paulus est πρόφασις, quæ etiam significat prætextum, in qua significatione videtur vsus Apostolus, cum occasioni opponat veritatem, sed in paraphrasi vtrunque sensum simul amplexi sumus.

29. Particula *imò*, videtur addenda.

30. Apostolus gaudet de malo opere ad bonum finem, & vtilitatem sequutam, quod licitum esse ostendi 1. 2. disp. 111. cap. 4.

31. Causalis *enim*, non refertur ad immediate præcedentia, scilicet, *gaudeo, & gaudebo*, quasi gaudium illud esset ex eo, quod prædicatio Euangelij, qua aliqui contendebant nocere Paulo, profutura esset illi ad spiritualem profectum: sic enim frustra dixisset, *Siue per occasionem, siue per veritatem*, quia illa, quæ erat per veritatem, non erat ad hoc, vt noceret Paulo: dicit ergo *gaudeo, & gaudebo*, eo quòd Christi veritas etiam aduersariorum testimonio confirmetur; causa ergo, quam reddit Paulus in hoc numero, refertur ad id quod subintelligitur, & expressimus in paraphrasi, *sed neque curo, &c.*

32. Nomen Græcum ἀποκαραδοκία, ex tribus compositum, vt notauit Theophylactus, significat vehementem expectationem, vt cum quis

Digitized by Google

quis etiam moto capite circumspicit,& obseruat euentum, eo vsus est Paulus ad Rom. 8. *Nam expectatio creaturæ.*

33. Particulam *quia*, aliqui putant positam pro *quod*, non causali sensu,sed vt idem valeat, quod *imò*, verùm optimè congruit causalis sensus eo modo, vt in paraphrasi,verba autem desumpsi ex Theodoreto, quibus ostendit Paulus affectum suæ expectationis.

34. Hic non est opus aduersatiua, sicut est in textu, sed coniunctiua particula,quia priorem periodum explicauimus affirmatiuo sensu.

35. Nomen Græcum παῤῥησία, significat libertatem, quod metu deposito interpretati sumus.

36. Hebraismus est, & suppleri debet *ita*, eodem modo in oratione Dominica,sicut in cœlo, & in terra,id est, ita & in terra.

37. Totus ille numerus suppleri debet, & repeti, quod dixerat Paulus num. 30. ad id enim refertur causalis numeri sequentis.

38. Causalis hæc congruè referri non potest ad proximè præcedentia: quod enim Paulo Christus sit vita,& mors sit lucrum, non est causa eius,quod proximè dixerat, scilicet per mortem,& per vitam in suo corpore magnificandam esse gloriam Christi.

39. Quia dixerat lucrum sibi esse mori, subiungit in sensu aduersatiuo, *Veruntamen.&c* quare particula *quod si*, Græcè εἰ δὲ, non habet vim continuantis,sed aduersatiuæ.

40. Aliqui non vrgent particulam &, sed in commentario illam prætermittunt:aliqui putantes habere vim particulæ *etiam*, aliqua supplent hoc modo, *adeo non præfero meum commodum bono vestro, vt etiam dubitem, vtrum eligam*, sed quamuis nihil suppleatur, bonus est sensus, vt in paraphrasi.

41. Quo in vulgata dicitur *hic mihi fructus est*, in Græco habetur:hoc mihi fructus est, idem tamen est sensus, & vtroque modo dici potest secundum Grammaticam: dixit autem,est mihi fructus, non quia sibi fructificari debebat,sed in hunc sensum, quia ipse vita sua fructuosus esse debebat Ecclesiis.

42. Hunc locum latè examinat August. 3. de doctrina Christiana, cap. 2. & explicat eo modo, quo nos in paraphrasi: alij verò ita interpretantur, sicut ipse refert, vt Paulus dicat se ancipitem teneri illarum duarum rerum desiderio, quem sensum sequitur Theodoretus, & vt in hunc sensum Paulum interpretarentur, dicit Augustinus aliquos abstulisse particulam *enim*, à textu: Theophylactus sequitur interpretationem Augustini: illa verò particula nec in Græcis, nec in Latinis codicibus habetur, & siue ponatur, siue non, idem potest esse sensus. Quod enim dicit, melius esse cum Christo, intelligit sibi; & ideò

 dicit,

dicit, se magis illud desiderare respiciendo proprium commodum: quod vero iudicat manere magis necessarium, indicare etiam potest affectum, & desiderium manendi, non concupiscentiæ proprij commodi, sed charitatis erga fratres. Et impossibile est, si vtrinque Paulus trahebatur anceps, non fuisse motum vtriusque desiderio: nisi enim animus esset inter duos amores, non esset anceps, erat ergo vtriusque desiderium, sed diuersa ratione: alterum proprii commodi, alterum proximorum, cum ergo negat August. vtriusque desiderium, intelligit proprij commodi.

43. Est in Græco γὰρ, quæ est causalis, quandoque continuatiua, vt hic vertit vulgatus, maiorem tamen videtur habere vim, si interpretemur causalem, idem tamen vtroque modo est sensus.

44. Illud, *Multo magis melius* est appositiuè, & sic interpretati sumus, vnde non est opus addere causalem *enim*, quod verò *magis* addit *melius*, est Hebraismus.

45. In Græco est ἀναγκαιότερον, id est, magis necessarium

46. In Græco est participium præteriti temporis πεποιθώς, verùm hoc verbo vsus est pro præsenti ad Rom. cap. 8. *Certus sum, quia neque mors, &c.* pertinet autem, tum ad certitudinem intellectus, tum etiam ad certitudinem spei, in quem sensum vulgatus hic vertit: sed quia vna non est sine alia, ideo vtroque modo interpretati sumus in paraphrasi. Confidentia verò, vel spes Pauli erat de fructu suæ doctrinæ, quem videbat illis necessarium esse.

47. Cum dicit, *& hoc confidens*, debet virgula distingui, qui enim cum sequentibus coniungunt, vix contextum ordinare possunt: illud autem *hoc* refertur ad id, quod vltimo dixit, scilicet necessarium esse manere in carcere, quia fructuosum illis; hoc ergo, inquit, confidens ita futurum, &c.

48. *Vobis*, potest esse in datiuo, vt sensus sit, gratia vestri manebo, &c. vel in ablatiuo, vt in paraphrasi, sicut habent Græci.

49. *Gaudium fidei*, aliqui interpretantur, quod de fide habetur, mihi placet sensus periphrasis.

50. Quod vulgus vertit *gratulatio*, Græcis est καύχημα, quam aliàs vertit gloriam, & solùm Græcis significat gloriam, gloriationem, seu exultationem: nunquam verò gratulationem, sed vulgatus iuxta sensum optimè transtulit, ad literam enim transferre debuit *exultatio vestra*, sed cum dicat *in me*, indicat exultationem gratulationis in ipsum, quod de aduentu illius lætari deberent, quod idem est, atque congratulari. Quod verò dicit *in Christo*, potest significare adiutorium gratiæ Christi, qua gloriari deberent, vel vt in paraphrasi interpretati sumus.

Digitized by Google

51. *Aduentum iterum ad vos*, significat reditum, qui est secundus aduentus.

52. Illud *expecto* supplet Theophylactus, quod phrasis Pauli manifeste indicat supplendum esse.

53. *Videre*, est pro *videam*; tempus pro tempore: quidam tamen ita interpretantur, vt addant *gaudeam*, hoc modo, cum venero, & videro vos, gaudeam: verùm eodem modo suppleri deberet in sequente sententia, quæ tamen id non patitur: melius ergo vt in paraphrasi vtrunque siue *videam*, siue *audiam*, refertur ad illud, *quia statis, &c.*

54. Illud, *collaborantes fidei*, non est idem, quod, cooperantes fidei, sed vt in paraphrasi, certantes pro fide, vnde datiuus significat in gratiam fidei, quod indicat id, quod sequitur. *Nec terreamini, &c.*

55. Relatiuum *quæ* refertur ad id, quod præcessit immediatè, *nec terreamini, &c.* sed concordat in genere cum causa.

56. Græcè est ἔνδειξις, Latinè *ostensio*, vnde Ambros. legit *ostentationem*, & sensus est, id quod est argumentum, & ostensio interitus, & perditionis ipsorum, sed in idem redit.

57. Hoc testimonio vtitur August. sæpissimè, & Concil. Arausic. 2. can. 5. ad probandum, fidem esse donum Dei.

58. Particula *pro Christo* varie exponi solet, vt latè examinaui 3. part. disp. 77. cap. 2. vbi magis hunc probaui sensum, quem sequor in paraphrasi.

ARGVMENTVM
CAPITIS II.

AD mutuam charitatem exemplo Christi Philippenses exhortatur Paulus: laudat etiam Timotheum, quem pollicetur ad eos se missurum, vt ex ipso cognoscere possint bonum ipsorum statum: eodem modo, & Epaphroditum multum commendat, & promittit ipsum etiam se missurum, vt eius adspectu lætari

tari

Digitized by Google

tari poßint, quòd ante mœsti fuissent, eo quod audierant ipsum ægrotasse.

CAPVT II.

1 SI qua ergo consolatio in Chri-
sto, si quod solatium charita-
tis, si qua societas Spiritus, si qua
2 viscera miserationis: implete gau-
dium meum, vt idem sapiatis,
eandem charitatem habentes,
3 vnanimes idipsum sentientes, ni-
hil per contentionem, neque per
4 inanem gloriam: sed in humili-
tate, superiores sibi inuicem ar-
bitrantes, non quæ sua sunt sin-
guli considerantes, sed ea quæ a
5 liorum. Hoc enim sentite in vo-
6 bis, quod & in Christo Iesu; qui
cùm in forma Dei esset, non ra-
pinam arbitratus est esse se æqua-
7 lem Deo; sed semetipsum exina-
niuit, formam serui accipiens, in
similitudinem hominum factus,
8 & habitu inuentus vt homo. Hu-
miliauit semetipsum, factus obe-
diens vsque ad mortem, mortem
9 autē crucis. Propter quod & Deus
exaltauit illum: & donauit illi no-
men, quod est super omne no-
10 men: vt in nomine Iesu, omne
genu flectatur, cœlestium, terre-
11 strium, & infernorum: & omnis
lingua confiteatur, quia Domi-
nus Iesus Christus in gloria est
12 Dei Patris. Itaque charissimi mei
(sicut semper obedistis) non vt
in præsentia mei tantum, sed mul-
to

PARAPHRASIS.

SI 1 igitur mihi tentationibus agitato, & in vinculis posito 2 solamen aliquod secundum Christum ex charitate, qua me prosequimini afferre cupitis: si vultis ostendere spiritualibus in rebus secundum Dei voluntatem, aliquam mecum communicationem habere: si qua est in vobis ex corde nostri miseratio: si hæc inquam, quæ dixi, exhibere mihi vultis, id omne vel in hoc vnum conferatis, quo gaudium meum plenum erit, & perfectum, vt sitis mutua inter vos charitate deuincti, 3 & tanquam si vna anima omnes essetis connexi, eodem modo affecti sitis, idemque sentiatis, nihil agatis, aut loquamini contentiose, quo alij prouocari poßint, nec appetitu inanis gloriæ, sed humilitate, & modestia quisque alium se ipso excellentiorem, & præstantiorem putet: nec 4 spectetis, vestraq; commoda potius quæratis, 5 imò verò magis aliorum. Oportet 6 enim hunc eundem sensum, & affectum in vobis esse erga alios, 7 quem Christus Iesus habuit, qui cum verus Deus esset, 8 non putauit arrogantiam esse, seipsum agnoscere æqualē Deo, cum dixit: ego & Pater vnum sumus: *9 nihilominus tamen seipsum 10 exinaniuit, non quidem amittendo excellen-*
tiam

tò magis nunc in absentia mea,
cum metu & tremore vestram sa-
13 lutem operamini: Deus est enim
qui operatur in vobis & velle, &
perficere, pro bona voluntate.
14 Omnia autem facite sine mur-
murationibus,& hæsitationibus:
15 vt sitis sine querela, & simplices
filii Dei, sine reprehensione in
medio nationis prauæ, & peruer-
sæ: inter quos lucetis sicut lumi-
16 naria in mundo, verbum vitæ
continentes ad gloriam meam in
die Christi, quia non in vacuum
cucurri, neq; in vacuum labora-
17 ui Sed & si immolor, supra sacri-
ficium,& obsequium fidei vestrę,
gaudeo, & congratulor omnibus
18 vobis. Idipsum autem & vos gau-
dete, & congratulamini mihi.
19 Spero autem in Domino Iesu,
Timotheum me citò mittere ad
vos: vt & ego bono animo sim,
20 cognitis, quæ circa vos sunt. Ne-
minem enim habeo tam vnani-
mem, qui sincera affectione pro
21 vobis solicitus sit. Omnes enim,
quæ sua sunt quærunt, non quæ
22 sunt Iesu Christi. Experimentū
autem eius cognoscite, quia si-
cut patri filius, mecum seruiuit
23 in Euangelio. Hunc igitur spe-
ro me mittere ad vos, mox vt
24 videro, quæ circa me sunt. Con-
fido autem in Domino, quo-
niam & ipse veniam ad vos citò.
25 Necessarium autem existima-
ui, Epaphroditum fratrem, &
coope-

tiam diuinitatis, quam habebat æ-
qualem cum Patre, sed assumendo
humilem, & conditione sua seruilem
naturam, scilicet humanam, 11 *si-*
milem quidem aliis hominibus, quæ
& pateretur frigus, & sitim, & alia
incommoda, ac proinde similitudi-
nem haberet peccatoris: in qua as-
sumpta humanitate seipsum humilia-
uit obediens Patri vsque quo mor-
tem probrosissimam crucis pro no-
bis pateretur: propterea 12 *vicis-*
sim Deus exaltauit illum secundum
humanitatem, qua se humiliauit, &
obediuit Patri, & prædicabilem fe-
cit ab omnibus, & nomen ita glorio-
sum super omne nomen ei concessit, vt
13 *ipsum Iesum omnes adorent, &*
confiteantur ipsum esse in gloria Dei
Patris: omnes inquam etiam infer-
norum spiritus, qui velint nolint ip-
sum confitentur, & maiestatem il-
lius expauescunt. 14 *Quare fra-*
tres dilectissimi, sicut mihi monen-
ti sæpius obtemperastis, non tantum
cum essem præsens apud vos, sed et-
iam in absentia: nunc etiam auscul-
tate me libenter, 15 *vt Christi ex-*
emplo ea, quæ dixi, faciatis: quæ sa-
nè ad vestram salutē attinent, quam
cum timore, & tremore curare debe-
tis; quòd ea licet in vestra sita sit po-
testate, ex vobis tamen ortum non
habeat: Deus 16 *enim est, qui ope-*
ratur, & agit in vobis, vt velitis,
& faciatis ea, ex quibus vestra sa-
lus pendet, 17 *iuxta beneplacitum*
suum

cooperatorem, & commilito-
nem meum, vestrum autem A-
postolum, & ministrum necessi
26 tatis meæ, mittere ad vos: quo-
niam quidem omnes vos deside-
rabat: & mœstus erat, propterea
quòd audieratis illum infirma-
27 tum. Nam & infirmatus est vsq;
ad mortem: sed Deus misertus
est eius; non solùm autem eius,
verumetiam & mei, ne tristitiam
28 super tristitiam haberem. Festi-
nantius ergo misi illum: vt viso
eo, iterum gaudeatis, & ego sine
29 tristitia sim. Excipite ergo illum
cum omni gaudio in Domino, &
eiusmodi cum honore habetote.
30 Quoniam propter opus Christi
vsque ad mortem accessit, tra-
dens animam suam, vt impleret
id quod ex vobis deerat erga me-
um obsequium.

suum: non autem iuxta meritum vestrum: cuius enim vult, miseretur, & quem vult, deserit. 18 Omnia autem, quæ pertinent ad vestram salutem, sic agite, vt aliorum studia minime reprehendatis, nec misceatis vos alienis rebus 19 disceptando, num bonum sit, quod hic, aut quod ille agit, vt tales sitis, de quibus nemo conqueri poßit, simplices inquam, & candidi animi, cuius non est singula aliorum reprehendere, & in dubium contentiose vocare: 20 sitis etiam filij Dei irreprehensibiles etiam in medio nationis prauæ, nempe Gentilium, inter quos lucetis, sicut luminaria in hoc mundo: 21 retineatisq; non tantùm verbo, sed etiam moribus puram doctrinam Euangelicam 22 in diem extremi iudicij: id quod erit mihi magnæ gloriationi, & lætitiæ, quod non in vacuum hactenus laborauerim. Nec solum lætor de labore, quem hactenus cum vestro fructu suscepi, 23 sed etiam si mihi ita 24 contingat, & Deus velit me esse victimam, & mori 25 propter fidem vestram, quæ etiam victima 26 Deo gratißima est, gaudeo, 27 & congaudeo: scio enim & vos gauisuros, si audiatis me pro Christo mortuum; idipsum vos facite, nimirum gaudere, & congaudete simul mecum. Confido autem in Domino me cito ad vos missurũ Timotheum, vt ex ipso intelligam bonum statum rerum vestrarum, & ita erecto, & bono sim animo, nec aliquo timore, aut solicitudine premar, ignorans qualiter vobis res succedant (neminem 28 enim alium habeo penes me, qui pariter mecum curam, aut solicitudinem vestri sincero animi affectu ita habeat: reliqui 29 enim omnes, quos mittere possem, non tam quod ad honorem Christi pertinet, quam quod sua interest, quærunt.) 30 Habetis autem & vos non leue probitatis ipsius argumentum: scitis enim quanta erga vos charitate mecum laborauit in Euangelio promulgando. Hunc igitur spero me missurum ad vos, mox vt videro, quem habeant finem res meæ, & vincula, in

quibus

Google

quibus nunc sum: imò etiam confido Deo volente, quòd & ipse ad vos cito iturus sim; nunc verò Epaphroditum meum quidem fratrem in fide, cooperatorem in seminando Euangelio, & commilitonem in perferendis vna mecum periculis, quem vos ad me 31 *legatum, seu Apostolum destinastis, vt meæ indigentiæ subueniret, necessarium existimaui mittere vobis ea de causa, quod*
32 *præ solicitudine conquiescere non poterat, donec vos videat, & præsentia sua vestram etiam mitiget tristitiam: angebat enim ipsum quòd rumor ad vos de ipsius perueniret ægritudine, ob quam & vos mœrore affici credebat: & sanè ægrotauit ad mortẽ: sed Deus noluit ipsum mori, nõ solùm misertus illius, sed etiam mei, ne & hoc mihi tristitiæ meæ accederet.* 33 *Sine cunctatione ergo misi illum statim ad vos, vt adspectu illius læti iam sitis, & ego mœrorem quem ex vestra tristitia concepi, deponam. Excipite itaque ipsum læto animo,*
34 *qualis decet Christianos, & eos* 35 *qui huiusmodi sunt, in pretio habete, morti enim vicinus fuit* 36 *ex morbo, quem contraxit vsque adeò solicitè ministrans mihi, & implens id, quod deerat obsequij vestri erga me, quem absentes curare non poteratis, vt nec vitæ suæ rationem haberet.*

ANNOTATIONES.

1. Particula *ergo* est nota continuationis: connectit autem id, quod dixerat Paulus in cap. 1. in fine mentionem faciens suorum vinculorum, in quibus erat, & afflictionis, quam patiebatur. Quare rectè suppletum est illud, *agitato, & in vinculis posito.*

2. Quod Paulus dicit *consolatio in Christo*, & *solatium charitatis*, est repetitio; at particula *in Christo* diuersum quid indicat ab illa voce *charitatis*, vt in paraphrasi explicuimus.

3. Participia omnia, quæ sequuntur, explicaui per verba eiusdem temporis, & modi, qui præcesserat in priori periodo, est enim idem sensus siue suppleatur verbum *sitis* in singulis participiis, siue referantur ad verbum, quod proximè præcessit.

4. Quia ille, qui quærit aliquid, illud considerat, & ad illud attendit, de aliis non curat, ideo Paulus posuit, *considerantes* pro *quærentes.*

5. In textu Græco est ἀλλὰ καὶ, quod est ad literam, *sed & aliorum*, quæ particulæ non videntur significare comparationem, vt in paraphrasi nos sumus interpretati, sed coniunctionem, vt Paulus exhortetur, non tantum commoda propria quærere, sed & aliorum. Verùm expositores vrgent particulam &, quam noster interpres omisit, & videntur accepisse particulam ἀλλὰ, non vt aduersatiuam tantùm, sed comparatiuè, vt in paraphrasi.

Digitized by

6. Illud *enim*, aut debet habere vim cōtinuantis particulæ, aut si causalis est, illud imperatiuum *sentite*, non debet esse tantùm exhortantis, sic enim non redderet bene sensum causalem, sed vt in paraphrasi, quasi dicat: Opus est vt sentiatis in vobis.

7. Illud, *quod & in Christo*, non refertur ad illud *sentite*, quasi sit sensus: hoc sentite in vobis, quod in Christo sentitis, sed suppleri debet illud, *quod fuit in Christo*, & sensus est, vt in paraphrasi, opus est in vobis esse eundem affectum, qui fuit in Christo: addidimus verò *erga alios*, quia de hoc erat sermo proximè præcedens.

8. Græci sequuti Chrysostomum, illud, *Non rapinam arbitratus, &c.* sic interpretantur, cum diuinitatem suam non haberet pro rapto, non dubitauit illam quasi deponere dissimulando illam, est enim proprium latronum rem furto sublatam, non facile eam deponere apud alios, ne amittant; Christus autem deposuit eo modo, id est, dissimulauit suam diuinitatem, quia non putauit eam furto habere. Verùm sensus paraphrasis magis placet, qui est Augustini tract. 17. in Ioan. & lib. 2. contra Maxim. cap. 5.

9. Particulam ἀλλὰ Græci putant esse notam correctionis, sequuti sensum, quem diximus illorum verborum *non rapinam, &c.* hoc modo: Christus cum non arbitraretur diuinitatem sibi furto vsurpasse, non dubitauit eam dissimulare, adeò non veritus à maiestate sua descendere, vt planè exinanierit se ipsum, &c. August. accipit in sensu aduersatiuo, vt in paraphrasi.

10. Exinanitio refertur ad ipsum Deum, non quia naturam diuinam amiserit Christus, & euacuauerit, sed quia assumpsit humilem, ideò ipse Deus dicitur exinanitus: sed in hac assumptione non potuit esse meritum, quia Deus mereri non potest ex eo, quòd assumeret in se naturam hominis, præbuit tamen nobis exemplum humiliationis.

11. *In similitudinem hominum, & habitu, &c* idem omnino significat: nec ita accipiendum est, quasi non assumpserit verbum veram naturam humanam, sed vmbram illius, sed ideò dixit in similitudinem, vt ostenderet in vera natura habuisse, quod attinet ad peccatum, similitudinem, & habitum aliorum, vt in paraphrasi. Sic Ambros. & Chrysost. in illud ad Rom. 8. *In similitudinem carnis peccati*, & in illud Hebr. 4. *Pro similitudine absque peccato.* Habuit etiam similitudinem aliorum, non autem veritatem, quod attinet ad natiuitatem, & generationem suam: quia alij ex semine viri, Christus de Spiritu sancto.

12. Illud &, pro *etiam* positum est, & valet idem, quod *vicißim*: hic enim explicat Paulus, quomodo Pater rependerit vices pro humilitate, & obedientia. De hoc testimonio plura alia dicta sunt 3. part. dis. 79. c. 2. & 4. & q. 20. art. 2.

13. No-

13. Nomen *Iesu*, hoc loco accipi pro re, ostendi latiſsimè 3. p. d. 108. c. 1. in fine ex Patribus Græcis: alludit verò Paulus ad illud Iſai. 46. *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia incuruabitur mihi omne genu, &c.*
14. Per particulam *itaque*, quæ eſt nota illationis, applicat Paulus exemplum Chriſti ad id, quod propoſuit.
15. Totum illud, quod habetur num. 15. ſuppleri debet: cum enim Paulus adduxiſſet exemplum Chriſti, qui ob noſtram vtilitatem ſeipſum humiliauit, &c. non vult inferre inde, nos debere noſtram ſalutem operari cum timore, & tremore, neque enim id videtur ad propoſitum, ſed ex Chriſti exemplo colligit, nos eodem modo facere debere, & quia id ad ſalutem noſtram ſpiritualem attinet, dixit, *itaque fratres, &c. cum metu, & tremore operamini veſtram ſalutem*, & non dixit: itaque fratres in humilitate quiſque veſtrum alium ſibi præſtantiorem exiſtimet, & quærat, quæ ſunt aliorum, non quæ ſua ſunt.
16. Ideò dicit, *cum timore, &c.* quia Deus eſt, qui operatur: ob id enim timere debemus, quia Deus ſola ſua voluntate præuenit nos congrua vocatione, quam ſi ſubtrahat, non operabimur ſalutem noſtram. ſubtrahere verò poteſt ex ſeipſo, & facit aliquando: timere ergo debemus, ideò dictum eſt, *non eſt volentis, &c.* ad Rom 9. vt explicaui in paraphraſi illius loci.
17. *Pro bona voluntate*, Græce eſt εὐδοκίας, quod aliàs *beneplacitum* vertit interpres. Dixit verò *pro bona voluntate*, ad excludenda merita noſtra, vt in paraphraſi. Alium ſenſum habet Chryſoſt. tamen non multum quadrat contextui rationis, qua vtitur Paulus.
18. Redit ad id, quod propoſuerat, nihil ſcilicet per contentionem agendum. Dicit verò ad eos, *omnia autem facite, &c.* ſupple, *quæ pertinent ad ſalutem veſtram*, quibus dixerat ante: *operamini veſtram ſalutem.*
19. Pro *haſitationibus*, alij vertunt *diſceptationibus*, & idem eſt: qui enim diſceptat, vertit in dubium, vtrum hoc bene fiat, vel non.
20. Vocem *ſimplices* quidam coniungunt cum voce *filij*.
21. *Retinentes* eſt participium, quod debet coniungi cum verbo *ſitis*, quod præceſsit, & ideò interpretati ſumus, *retineatis*. Participium verò Græcum ἐπέχοντες, ſignificat ſuſtinentes, vel retinentes aliquid ſtudio, ne eripiatur. Hortatur verò Paulus, vt retineant non tantùm verbo, & fide, ſed etiam moribus, quod antea dixerat.
22. Illud *in diem Chriſti*, aliqui coniungunt cum eo, *in gloriam meam*, vt ſit ſenſus: vt gloriari poſsim de labore meo in die iudicij: nos retulimus ad verbum *retinentes* In illum verò diem dicitur, quis retinere bonam doctrinam, & bonos mores, quia recepturus eſt præmium illorum coram vniuerſis.

Digitized by Google

23. Vt illa particula aduerſatiua *ſed*, ſenſum expleat, ſuppleri debet id, quod adiecimus, *non ſolùm later, &c.* ſic enim oſtendit, non ſolùm de præterito labore, ſed de futuro etiam pro ipſis gaudere.

24. In hoc loco non ſignificat inſtantem mortem, quia iam dixerat ſe ſperare periculum illius euaſurum eſſe, ſed vt in paraphraſi, ſi contingat mori.

25. *Supra ſacrificium*, in Græco eſt ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, & particula ἐπὶ, cum datiuo ſignificat cauſam, & Latinè *propter*.

26. Fidei veſtræ intranſitiuè accipiendum eſt: hic enim non meminit Paulus alicuius ſacrificij, quod ipſi Philippenſes ſua fide offerrent Deo, ſed ipſos appellat ſacrificium ratione fidei, quod ipſe Paulus, dum eos lucratus eſt prædicatione ſua, obtulit Deo.

27. Verbũ Græcum συγχαίρω, ſignificat congaudeo, ſicut & χαίρω, ex quo componitur *gaudeo*, quo & vſus eſt Paulus. Interpres noſter tranſtulit *congratulor*: ſed idem vtroque modo eſt ſenſus.

28. Particula *enim* cauſam reddit, quare potius Timotheum mittat ad ipſos, quàm vllum alium.

29. Particula *enim*, rationem reddit, cur ſolus Timotheus ſit, qui ſincero affectu curam haberet illorum, cum alij etiam eſſent, qui in Euangelio viderentur elaborare, &c. Cum verò dicit *omnes* intelligit, vt plurimum, aut eos alios, quos ipſe poſſet mittere præter Timotheum.

30. Verbum Græcum γινώσκετε, ambiguum eſt indicatiuo, & imperatiuo modo: noſter interpres vertit in modo imperandi.

31. Apoſtolum Philippenſium intelligit Paulus, ſiue quia miſſus fuit ab ipſis ad Paulum, ſiue quia ipſis Euangelium prædicauerat. Prior ſenſus mihi magis probatur, quia cum dixerit Paulus, neminem ſe habere, quem mittere poſſet, niſi Timotheum, quia omnes alij quærebant, quæ ſua ſunt, indicat apertè, apud ſe non habere alium familiarem idoneum, quem poſſet mittere: nam de Epaphrodito non intelligit illud, *Omnes enim quærunt quæ ſua ſunt*, cum ipſius fidem, & virtutem in fine Epiſtolæ commendet, quare Epaphroditus non erat familiaris tunc ipſius Pauli, ſed miſſus potius ad ipſum eleemoſynæ gratia.

32. Græcè eſt ἀδημονῶν, quod vulgatus vertit *mæſtus*, Ambroſ. verò vertit *impatienter ſolicitus*, id quod Græca ipſa vox exprimit.

33. Græcè eſt σπουδαιότερος, quod Eraſmus vertit *ſtudioſius*, ſed Chryſoſt. interpretatur, ſine mora, ſicut noſter interpres vertit.

34. *In Domino* quidam referunt ad verbum *excipite*, vt ſenſus ſit, excipite illum in Domino, ſed nos conteximus cum præcedente in hunc modum, *cum gaudio in Domino*.

35. Illud *eiuſmodi*, implicitè continet pluralem numerum, vt ex Græco ma-

eo manifestum est, dicitur enim τοῖς τοιούτοις, ac si dicat *eis, qui eiusmodi, &c.*

36. Ambiguum satis est, vtrum intelligat Paulus de morte, quæ imminebat Epaphrodito à Nerone, cuius periculo ipse se exposuit accedens ad Paulum vinctum in carcere, vt intelligit Chrysost. aut de mortis periculo ex morbo, vt nos cum aliis interpretati sumus. Verùm cum antea Paulus fecerit mentionem morbi, probabile est de periculo illius hîc etiam loqui.

ARGVMENTVM
CAPITIS III.

EXhortatur Philippenses, vt caueant iudaizantes, ne ab eis decipiantur, quos appellat concisos, non circuncisos, vt suo loco notabimus, ostenditq́ veros circuncisos esse, qui spiritu seruiunt Deo, de qua circuncisione gloriari quis merito possit, sed in Christo; de carnali verò circuncisione nulla ratione, quanquam si de ea gloriandum esset, non minor ex ea esset Paulo causa gloriæ, quam aliis. Verùm tamen omnia merito se reliquisse inquit pro Christo, cuius iustitia vult inueniri iustus, & in summo studio proficere. Inuitat tandem Philippenses ad sui imitationem.

ad totum clerũ,vnde dicit, *fidelibus Coepiscopis, & Diaconibus*, sed in Græcis codicibus non est vna dictio, & ita legendum cum vulgata, *cum Episcopis*. De ordine verò dico non esse inurbanum, quia Episcopos non posuit in vltimo loco, sed in primo: quamuis enim primùm salutet omnes fideles in vniuersum, vbi etiam complectitur Episcopos, postea tamen speciatim eos salutat. Primo loco ponit Episcopos, quasi præcipuos in tota communitate. Ambros. hoc modo contexit textum Pauli, vt illud, *Paulus, & Timotheus*, coniungat cum illo, *cum Episcopis, & Diaconibus*, & sensus sit: Paulus, & Timotheus, & alij Episcopi, & Diaconi mittunt hanc epistolam Philippensibus. Et sic tolli videtur alia difficultas, quomodo Paulus dixerit, Episcopis, in plurali, cum Philippis, quæ erat vna ciuitas, vnus tantùm esset. Verùm hic sensus est planè extortus. Ad hanc verò difficultatem respondent Chrysost. & alii Græci nomen Episcopi commune fuisse etiam presbyteris multo tempore.

3. Sensus Pauli in salutatione hac, sicut in aliis epistolis est eccliptìcus, & in hunc modum explicari debet, sicut in Epistola ad Roman. cap. 1. nu. 4. tum etiam sicut in epistola ad Galat. cap. 1. nu. 1.

4. Illud *in omni memoria* non significat tantùm, quotiescunque vestri recordor, sed assiduam, & iugem memoriam illius.

5. Illud *super communicatione vestra*, coniungi debet cum illo, *cum magno gaudio*, non autem cum illo, *deprecationem faciens*, quia non significat se deprecari aliquid de communicatione illorum in Euangelio, sed cum deprecatur Deum aliquid pro illis, multum gaudere de communicatione ipsorum in Euangelio.

6. Illud *consecuturum* suppleuimus, vt melius flueret contextus.

7. Explicat quod est illud, quod dixit se sperare consecuturum.

8. Dies Iesu Christi dicitur vltimi iudicij, qui dicitur etiam dies Domini magnus, propterea quod in eo maxime ipsius potestas relucebit.

9. *Habere in corde*, est phrasis obscura, quidam referunt ad memoriam, alij melius ad affectum, id quod indicat, quod sequitur nu. 11. aliàs enim non rectè ibi redderet rationem eius, quod dixerat: si verò referatur ad effectum, causalis optimè congruit.

10. In Latina vulgata dicitur *socios vos esse*, & ita difficilis est contextus, & constructio: quidam putant illud *esse* redundare, & ita exponunt, eo quòd habeam vos amicissimos, & in defensione Euangelij, &c. socios: sed in Græco non redundat particula illa, nec opus est, non tamen est εἶναι, hoc est, esse, sed ὄντας, id est, existentes: & sic omnes Græci Patres legunt, ac si ad literam diceret: cum habeam vos amicissimos existentes, vos socios meæ charitatis, & dilectionis, in vinculis, quod Latinè suauius redditur *cum sitis*, & sic interpretes Patrum Græcorum verterunt.

11. Val-

11. Vulgatus legit *gaudij mei*, in Græco habetur χάριτος, id est, charitatis. vulgatus pro eodem accepit gaudium, & charitatem, seu dilectionem, quia etiam charitatis est gaudere de bono amici, & de liberatione à malo, sicut dolere de malo. Græci Patres interpretantur, non charitatis, sed gratiæ, quia & Philippenses hanc etiam gratiam habuerunt, vt paterentur pro Christo, & defenderent Euangelium, sed melius est interpretari, *dilectionis*, vt referatur ad mutuum amorem.

12. Socios charitatis appellat propter reciprocum ipsorum erga Paulum amorem, quem diligebant, sicut & ipse eos.

13. Causalis hæc refertur ad id, quod dixit num. 9. eo quod habeam vos in corde.

14. Græci non legunt *esse*, sed tantùm *vos in visceribus Iesu Christi*, nec vulgati codices habent *esse*, & sine illo interpretantur Græci in hunc modum: quàm vehementer vos amem visceribus, & amore Christi: & non carnali, aut temporali. Sed si suppleamus *esse*, fit planior contextus: verbum enim *cupio*, quod interpretati sumus *desidero*, & id, quod subsequitur, *& hoc oro, vt, &c.* illud postulare videtur: sic enim exprimit desiderium quod habet, vt diligantur à Christo, ex quo sequitur, vt & ipsi crescant in charitate.

15. Dies Christi, vt supra, dicitur dies iudicij.

16. Illud *in Christo*, interpretati sumus propter Christum, vt referatur ad vincula, licet sit hyperbaton: aliqui referunt *ad manifestata*, vt sit sensus, manifestata sunt per Christum, id est, per gratiam Christi.

17. Quod in vulgata dicitur, *in omni prætorio*, Græcè dicitur *in toto*.

18. Paulus Græcè scribens vtitur nomine Latino, *prætorium*, quia vt notat Chrysost. vulgo sic dicebatur Romæ palatium Imperatoris.

19. Textus vulgatus habet, *& in cæteris omnibus*; verùm præpositio *in* non habetur in Græcis codicibus, & videtur dubium, an suppleri debeat; quidam interpretantur sine illa referentes non ad loca, sed ad personas, vt sensus sit, *& cæteris omnibus manifesta facta sunt, &c.* alij verò ad loca, & ita dicunt supplendam præpositionem *in*.

20. Particula *in domino* Græci referunt ad confidentes, sed nos retulimus ad fratres, vt sensus sit, & ex fratribus religione Christiana.

21. *Confidentes in vinculis* non significat spem aliquam sitam in vinculis, sed vt in paraphrasi, videlicet, ex meis vinculis sumpta fiducia, & confirmati cœperunt prædicare, cum viderent me in vinculis maiori cum fiducia verbum Dei prædicare.

22. Hoc loco vulgata legit, *propter inuidiam, & contentionem*, verbum contentio in Græco est ἔρις, quod significat contentionem, seu æmulationem: contentio autem hoc loco non est sumenda, vt num. 25. in eum sensum, videlicet, vt Paulo damnum aliquod inferrent, sed vt

Digitized by Google

contentione sua,& æmulatione tantum gloriæ consequerentur, quantum videbant Paulo accidisse ex prædicatione; est ergo hoc loco contentio, non inimicitiæ, sed æmulationis: inuidi enim ipsa inuidia dicuntur contentiosi.

23. *Bona voluntas* in Græco hic dicitur εὐδοκία, dicit autem bonam voluntatem, non erga ipsum Paulum: hoc enim dicit num. seq. sed erga Euangelium.

24. Charitatem hoc loco intelligit, non erga Deum, sed erga Paulum, vt ipsum scilicet adiuuarent, id quod indicat ratio, quam subiungit statim *scientes, &c.* quæ si sermo esset de charitate erga Deum, non videretur esse ad rem.

25. Contentio hoc loco Græcè est ἐριθεία, quod significat contentionem, seruitutem, seu concertationem; est autem hoc loco contentio, non æmulationis, sed inimicitiæ, vt constat ex eo, quod statim subiungit. Vnde hoc loco non explicat Paulus (vt quidam putant) contentionem illam, quam posuerat num. 22. sed potius aliud genus contentionis.

26. Ex hoc loco putant aliqui epistolam hanc esse scriptam in vinculis, id quod dubium sanè est, Chrysost. in præfatione putat, priora fuisse vincula.

27. Particula *enim*, Græcè γὰρ, potius habet vim continuandi, vt particula *autem*, quàm causalis, & suppleri debet aliquid, vt sit integer sensus, vt in paraphrasi.

28. Dictio Græca, qua vtitur Paulus est πρόφασις, quæ etiam significat prætextum, in qua significatione videtur vsus Apostolus, cùm occasioni opponat veritatem, sed in paraphrasi vtrunque sensum simul amplexi sumus.

29. Particula *imò*, videtur addenda.

30. Apostolus gaudet de malo opere ad bonum finem, & vtilitatem sequutam, quod licitum esse ostendi 1. 2. disp. 111. cap. 4.

31. Causalis *enim*, non refertur ad immediate præcedentia, scilicet, *gaudeo, & gaudebo*, quasi gaudium illud esset ex eo, quod prædicatio Euangelij, qua aliqui contendebant nocere Paulo, profutura esset illi ad spiritualem profectum: sic enim frustra dixisset, *siue per occasionem, siue per veritatem*, quia illa, quæ erat per veritatem, non erat ad hoc, vt noceret Paulo: dicit ergo *gaudeo, & gaudebo*, eo quòd Christi veritas etiam aduersariorum testimonio confirmetur; causa ergo, quam reddit Paulus in hoc numero, refertur ad id quod subintelligitur, & expresimus in paraphrasi, *sed neque curo, &c.*

32. Nomen Græcum ἀποκαραδοκία, ex tribus compositum, vt notauit Theophylactus, significat vehementem expectationem, vt cum quis

quis etiam moto capite circumspicit, & obseruat euentum, eo vsus est Paulus ad Rom. 8. *Nam expectatio creaturæ.*

33. Particulam *quia*, aliqui putant positam pro *quod*, non causali sensu, sed vt idem valeat, quod *imò*, verùm optimè congruit causalis sensus eo modo, vt in paraphrasi, verba autem desumpsi ex Theodoreto, quibus ostendit Paulus affectum suæ expectationis.

34. Hic non est opus aduersatiua, sicut est in textu, sed coniunctiua particula, quia priorem periodum explicauimus affirmatiuo sensu.

35. Nomen Græcum παῤῥησία, significat libertatem, quod metu deposito interpretati sumus.

36. Hebraismus est, & suppleri debet *ita*, eodem modo in oratione Dominica, sicut in cœlo, & in terra, id est, ita & in terra.

37. Totus ille numerus suppleri debet, & repeti, quod dixerat Paulus num. 30. ad id enim referrur causalis numeri sequentis.

38. Causalis hæc congruè referri non potest ad proximè præcedentia: quod enim Paulo Christus sit vita, & mors sit lucrum, non est causa eius, quod proximè dixerat, scilicet per mortem, & per vitam in suo corpore magnificandam esse gloriam Christi.

39. Quia dixerat lucrum sibi esse mori, subiungit in sensu aduersatiuo, *Veruntamen, &c* quare particula *quod si*, Græcè εἰ δὲ, non habet vim continuantis, sed aduersatiuæ.

40. Aliqui non vrgent particulam *&*, sed in commentario illam prætermittunt: aliqui putantes habere vim particulæ *etiam*, aliqua supplent hoc modo, *adeo non præfero meum commodum bono vestro, vt etiam dubitem, vtrum eligam*, sed quamuis nihil suppleatur, bonus est sensus, vt in paraphrasi.

41. Quo in vulgata dicitur *hic mihi fructus est*, in Græco habetur: hoc mihi fructus est, idem tamen est sensus, & vtroque modo dici potest secundum Grammaticam: dixit autem, est mihi fructus, non quia sibi fructificari debebat, sed in hunc sensum, quia ipse vita sua fructuosus esse debebat Ecclesiis.

42. Hunc locum latè examinat August. 3. de doctrina Christiana, cap. 2. & explicat eo modo, quo nos in paraphrasi: alij verò ita interpretantur, sicut ipse refert, vt Paulus dicat se ancipitem teneri illarum duarum rerum desiderio, quem sensum sequitur Theodoretus, & vt in hunc sensum Paulum interpretarentur, dicit Augustinus aliquos abstulisse particulam *enim*, à textu: Theophylactus sequitur interpretationem Augustini: illa verò particula nec in Græcis, nec in Latinis codicibus habetur, & siue ponatur, siue non, idem potest esse sensus. Quod enim dicit, melius esse cum Christo, intelligit sibi; & ideò

Digitized by Google

dicit, se magis illud desiderare respiciendo proprium commodum: quod vero iudicat manere magis necessarium, indicare etiam potest affectum, & desiderium manendi, non concupiscentiæ proprij commodi, sed charitatis erga fratres. Et impossibile est, si vtrinque Paulus trahebatur anceps, non fuisse motum vtriusque desiderio: nisi enim animus esset inter duos amores, non esset anceps, erat ergo vtriusque desiderium, sed diuersa ratione: alterum proprii commodi, alterum proximorum, cum ergo negat August. vtriusque desiderium, intelligit proprij commodi.

43. Est in Græco γάρ, quæ est causalis, quandoque continuatiua, vt hic vertit vulgatus, maiorem tamen videtur habere vim, si interpretemur causalem, idem tamen vtroque modo est sensus.

44. Illud, *Multo magis melius* est appositiuè, & sic interpretati sumus, vnde non est opus addere causalem *enim*, quod verò *magis* addit *melius*, est Hebraismus.

45. In Græco est ἀναγκαιότερον, id est, magis necessarium

46. In Græco est participium præteriti temporis πεποιθώς, verùm hoc verbo vsus est pro præsenti ad Rom. cap. 8. *Certus sum, quia neque mors, &c.* pertinet autem, tum ad certitudinem intellectus, tum etiam ad certitudinem spei, in quem sensum vulgatus hic vertit: sed quia vna non est sine alia, ideo vtroque modo interpretati sumus in paraphrasi. Confidentia verò, vel spes Pauli erat de fructu suæ doctrinæ, quem videbat illis necessarium esse.

47. Cum dicit, *& hoc confidens*, debet virgula distingui, qui enim cum sequentibus coniungunt, vix contextum ordinare possunt: illud autem *hoc* refertur ad id, quod vltimo dixit, scilicet necessarium esse manere in carcere, quia fructuosum illis; hoc ergo, inquit, confidens ita futurum, &c.

48. *Vobis* potest esse in datiuo, vt sensus sit, gratia vestri manebo, &c. vel in ablatiuo, vt in paraphrasi, sicut habent Græci.

49. *Gaudium fidei*, aliqui interpretantur, quod de fide habetur, mihi placet sensus periphrasis.

50. Quod vulgus vertit *gratulatio*, Græcis est καύχημα, quam aliàs vertit gloriam, & solùm Græcis significat gloriam, gloriationem, seu exultationem: nunquam verò gratulationem, sed vulgatus iuxta sensum optimè transtulit, ad literam enim transferre debuit *exultatio vestra*, sed cum dicat *in me*, indicat exultationem gratulationis in ipsum, quod de aduentu illius lætari deberent, quod idem est, atque congratulari. Quod verò dicit *in Christo*, potest significare adiutorium gratiæ Christi, qua gloriari deberent, vel vt in paraphrasi interpretati sumus.

51. Aduen-

51. *Aduentum iterum ad vos*, significat reditum, qui est secundus aduentus.

52. Illud *exposco* supplet Theophylactus, quod phrasis Pauli manifeste indicat supplendum esse.

53. *Videro*, est pro *videam*, tempus pro tempore; quidam tamen ita interpretantur, vt addant *gaudeam*, hoc modo, cum venero, & videro vos, gaudeam: verùm eodem modo suppleri deberet in sequente sententia, quæ tamen id non patitur: melius ergo vt in paraphrasi vtrunque siue *videam*, siue *audiam*, refertur ad illud, *quia statis, &c.*

54. Illud, *collaborantes fidei*, non est idem, quod, cooperantes fidei, sed vt in paraphrasi, certantes pro fide, vnde datiuus significat in gratiam fidei, quod indicat id, quod sequitur. *Nec terreamini, &c.*

55. Relatiuum *quæ* refertur ad id, quod præcessit immediatè, *nec terreamini, &c.* sed concordat in genere cum causa.

56. Græcè est ἔνδειξις, Latinè *ostensio*, vnde Ambros. legit *ostentationem*, & sensus est, id quod est argumentum, & ostensio interitus, & perditionis ipsorum, sed in idem redit.

57. Hoc testimonio vtitur August. sæpissimè, & Concil. Arausic. 2. can. 5. ad probandum, fidem esse donum Dei.

58. Particula *pro Christo* varie exponi solet, vt latè examinaui 3. part. disp. 77. cap. 2. vbi magis hunc probaui sensum, quem sequor in paraphrasi.

ARGVMENTVM
Capitis II.

AD mutuam charitatem exemplo Christi Philippenses exhortatur Paulus: laudat etiam Timotheum, quem pollicetur ad eos se missurum, vt ex ipso cognoscere possint bonum ipsorum statum: eodem modo, & Epaphroditum multum commendat, & promittit ipsum etiam se missurum, vt eius adspectu læ-

tò magis nunc in absentia mea,
cum metu & tremore vestram sa-
13 lutem operamini: Deus est enim
qui operatur in vobis & velle, &
perficere, pro bona voluntate.
14 Omnia autem facite sine mur-
murationibus,& hæsitationibus:
15 vt sitis sine querela, & simplices
filii Dei, sine reprehensione in
medio nationis prauæ, & peruer-
sæ: inter quos lucetis sicut lumi-
16 naria in mundo, verbum vitæ
continentes ad gloriam meam in
die Christi, quia non in vacuum
cucurri, neq; in vacuum labora-
17 ui Sed & si immolor, supra sacri-
ficium,& obsequium fidei vestrę,
gaudeo, & congratulor omnibus
18 vobis. Idipsum autem & vos gau-
dete, & congratulamini mihi.
19 Spero autem in Domino Iesu,
Timotheum me citò mittere ad
vos: vt & ego bono animo sim,
20 cognitis,quæ circa vos sunt. Ne-
minem enim habeo tam vnani-
mem, qui sincera affectione pro
21 vobis solicitus sit. Omnes enim,
quæ sua sunt quærunt, non quæ
22 sunt Iesu Christi. Experimentũ
autem eius cognoscite, quia sic-
ut patri filius, mecum seruiuit
23 in Euangelio. Hunc igitur spe-
ro me mittere ad vos, mox vt
24 videro, quæ circa me sunt. Con-
fido autem in Domino, quo-
niam & ipse veniam ad vos citò.
25 Necessarium autem existima-
ui, Epaphroditum fratrem, &
coope-

*tiam diuinitatis, quam habebat æ-
qualem cum Patre, sed assumendo
humilem, & conditione sua seruilem
naturam, scilicet humanam,* 11 *si-
milem quidem aliis hominibus, quæ
& pateretur frigus, & sitim, & alia
incommoda, ac proinde similitudi-
nem haberet peccatoris: in qua as-
sumpta humanitate seipsum humilia-
uit obediens Patri vsque quo mor-
tem probrosissimam crucis pro no-
bis pateretur: propterea* 12 *vicis-
sim Deus exaltauit illum secundum
humanitatem, qua se humiliauit, &
obediuit Patri, & prædicabilem fe-
cit ab omnibus, & nomen ita glorio-
sum super omne nomen ei concessit, vt*
13 *ipsum Iesum omnes adorent, &
confiteantur ipsum esse in gloria Dei
Patris: omnes inquam etiam infer-
norum spiritus, qui velint nolint ip-
sum confitentur, & maiestatem il-
lius expauescunt.* 14 *Quare fra-
tres dilectissimi, sicut mihi monen-
ti sæpius obtemperastis, non tantum
cum essem præsens apud vos, sed et-
iam in absentia; nunc etiam auscul-
tate me libenter,* 15 *vt Christi ex-
emplo ea, quæ dixi, faciatis: quæ sa-
nè ad vestram salutẽ attinent, quam
cum timore, & tremore curare debe-
tis; quòd ea licet in vestra sita sit po-
testate, ex vobis tamen ortum non
habeat: Deus* 16 *enim est, qui ope-
ratur, & agit in vobis, vt velitis,
& faciatis ea, ex quibus vestra sa-
lus pendet,* 17 *iuxta beneplacitum
suum*

Digitized by Google

cooperatorem, & commilito-
nem meum, vestrum autem A-
postolum, & ministrum necessi
26 tatis meæ, mittere ad vos: quo-
niam quidem omnes vos deside-
rabat: & mœstus erat, propterea
quòd audieratis illum infirma-
27 tum. Nam & infirmatus est vsq;
ad mortem: sed Deus misertus
est eius; non solùm autem eius,
verumetiam & mei, ne tristitiam
28 super tristitiam haberem. Festi-
nantius ergo misi illum: vt viso
eo, iterum gaudeatis, & ego sine
29 tristitia sim. Excipite ergo illum
cum omni gaudio in Domino, &
eiusmodi cum honore habetote.
30 Quoniam propter opus Christi
vsque ad mortem accessit, tra-
dens animam suam, vt impleret
id quod ex vobis deerat erga me-
um obsequium.

suum: non autem iuxta meritum vestrum: cuius enim vult, miseretur, & quem vult, deserit. 18 Omnia autem, quæ pertinent ad vestram salutem, sic agite, vt aliorum studia minimè reprehendatis, nec misceatis vos alienis rebus 19 disceptando, num bonum sit, quod hic, aut quod ille agit, vt tales sitis, de quibus nemo conqueri possit, simplices inquam, & candidi animi, cuius non est singula aliorum reprehendere, & in dubium contentiose vocare: 20 sitis etiam filij Dei irreprehensibiles etiam in medio nationis prauæ, nempe Gentilium, inter quos lucetis, sicut luminaria in hoc mundo: 21 retineatisq; non tantùm verbo, sed etiam moribus puram doctrinam Euangelicam 22 in diem extremi iudicij: id quod erit mihi magnæ gloriationi, & lætitiæ, quod non in vacuum hactenus laborauerim. Nec solum lætor de labore, quem hactenus cum vestro fructu suscepi, 23 sed etiam si mihi ita 24 contingat, & Deus velit me esse victimam, & mori 25 propter fidem vestram, quæ etiam victima 26 Deo gratissima est, gaudeo, 27 & congaudeo: scio enim & vos gauisuros, si audiatis me pro Christo mortuum; idipsum vos facite, nimirum gaudete, & congaudete simul mecum. Confido autem in Domino me cito ad vos missurū Timotheum, vt ex ipso intelligam bonum statum rerum vestrarum, & ita erecto, & bono sim animo, nec aliquo timore, aut solicitudine premar, ignorans qualiter vobis res succedant (neminem 28 enim alium habeo penes me, qui pariter mecum curam, aut solicitudinem vestri sincero animi affectu ita habeat: reliqui 29 enim omnes, quos mittere possem, non tam quod ad honorem Christi pertinet, quam quod sua interest, quærunt.) 30 Habetis autem & vos non leue probitatis ipsius argumentum: scitis enim quanta erga vos charitate mecum laborauit in Euangelio promulgando. Hunc igitur spero me missurum ad vos, mox vt videro, quem habeant finem res meæ, & vincula, in quibus

Digitized by Google

quibus nunc sum: imò etiam confido Deo volente, quòd & ipse ad vos cito
iturus sim; nunc verò Epaphroditum meum quidem fratrem in fide, coopera-
torem in seminando Euangelio, & commilitonem in perferendis vna mecum
periculis, quem vos ad me 31 *legatum, seu Apostolum destinastis, vt meæ*
indigentiæ subueniret, necessarium existimaui mittere vobis ea de causa, quod
32 *præ solicitudine conquiescere non poterat, donec vos videat, & præsentia*
sua vestram etiam mitiget tristitiam: angebat enim ipsum quòd rumor ad vos
de ipsius perueniret ægritudine, ob quam & vos mœrore affici credebat: &
sanè ægrotauit ad mortē: sed Deus noluit ipsum mori, nō solùm misertus illius,
sed etiam mei, ne & hoc mihi tristitiæ meæ accederet. 33 *Sine cunctatione*
ergo misi illum statim ad vos, vt adspectu illius læti iam sitis, & ego mœrorem
quem ex vestra tristitia concepi, deponam. Excipite itaque ipsum læto animo,
34 *qualis decet Christianos, & eos* 35 *qui huiusmodi sunt, in pretio habe-*
te, morti enim vicinus fuit 36 *ex morbo, quem contraxit vsque adeò solicitè*
ministrans mihi, & implens id, quod deerat obsequij vestri erga me, quem ab-
sentes curare non poteratis, vt nec vitæ suæ rationem haberet.

ANNOTATIONES.

1. Particula *ergo* est nota continuationis: connectit autem id, quod dixerat Paulus in cap. 1. in fine mentionem faciens suorum vinculorum, in quibus erat, & afflictionis, quam patiebatur. Quare rectè suppletum est illud, *agitato, & in vinculis posito.*

2. Quod Paulus dicit *consolatio in Christo*, & *solatium charitatis*, est repetitio; at particula *in Christo* diuersum quid indicat ab illa voce *charitatis*, vt in paraphrasi explicuimus.

3. Participia omnia, quæ sequuntur, explicaui per verba eiusdem temporis, & modi, qui præcesserat in priori periodo, est enim idem sensus siue suppleatur verbum *sitis* in singulis participiis, siue referantur ad verbum, quod proximè præcessit.

4. Quia ille, qui quærit aliquid, illud considerat, & ad illud attendit, de aliis non curat, ideo Paulus posuit, *considerantes* pro *quærentes.*

5. In textu Græco est ἀλλὰ καὶ, quod est ad literam, *sed & aliorum*, quæ particulæ non videntur significare comparationem, vt in paraphrasi nos sumus interpretati, sed coniunctionem, vt Paulus exhortetur, non tantum commoda propria quærere, sed & aliorum. Verùm expositores vrgent particulam *&*, quam noster interpres omisit, & videntur accepisse particulam ἀλλὰ, non vt aduersatiuam tantùm, sed comparatiuè, vt in paraphrasi.

6. Illud *enim*, aut debet habere vim cõtinuantis particulæ, aut si causalis est, illud imperatiuum *sentite*, non debet esse tantùm exhortantis, sic enim non redderet bene sensum causalem, sed vt in paraphrasi, quasi dicat: Opus est vt sentiatis in vobis.

7. Illud, *quod & in Christo*, non refertur ad illud *sentite*, quasi sit sensus: hoc sentite in vobis, quod in Christo sentitis, sed suppleri debet illud, *quod fuit in Christo*, & sensus est, vt in paraphrasi, opus est in vobis esse eundem affectum, qui fuit in Christo: addidimus verò *erga alios*, quia de hoc erat sermo proximè præcedens.

8. Græci sequuti Chrysostomum, illud, *Non rapinam arbitratus*, &c. sic interpretantur, cum diuinitatem suam non haberet pro rapto, non dubitauit illam quasi deponere dissimulando illam, est enim proprium latronum rem furto sublatam, non facile eam deponere apud alios, ne amittant; Christus autem deposuit eo modo, id est, dissimulauit suam diuinitatem, quia non putauit eam furto habere. Verùm sensus paraphrasis magis placet, qui est Augustini tract. 17. in Ioan. & lib. 2. contra Maxim. cap. 5.

9. Particulam ἀλλὰ Græci putant esse notam correctionis, sequuti sensum, quem diximus illorum verborum *non rapinam*, &c. hoc modo: Christus cum non arbitraretur diuinitatem sibi furto vsurpasse, non dubitauit eam dissimulare, adeò non veritus à maiestate sua descendere, vt planè exinanierit se ipsum, &c. August. accipit in sensu aduersatiuo, vt in paraphrasi.

10. Exinanitio refertur ad ipsum Deum, non quia naturam diuinam amiserit Christus, & euacuauerit, sed quia assumpsit humilem, ideò ipse Deus dicitur exinanitus: sed in hac assumptione non potuit esse meritum, quia Deus mereri non potest ex eo, quòd assumeret in se naturam hominis, præbuit tamen nobis exemplum humiliationis.

11. *In similitudinem hominum*, *& habitu*, *&c* idem omnino significat: nec ita accipiendum est, quasi non assumpserit verbum veram naturam humanam, sed vmbram illius, sed ideò dixit in similitudinem, vt ostenderet in vera natura habuisse, quod attinet ad peccatum, similitudinem, & habitum aliorum, vt in paraphrasi. Sic Ambros. & Chrysost. in illud ad Rom. 8. *In similitudinem carnis peccati*, & in illud Hebr. 4. *Pro similitudine absque peccato.* Habuit etiam similitudinem aliorum, non autem veritatem, quod attinet ad natiuitatem, & generationem suam: quia alij ex semine viri, Christus de Spiritu sancto.

12. Illud &, pro *etiam* positum est, & valet idem, quod *vicissim*: hic enim explicat Paulus, quomodo Pater rependerit vices pro humilitate, & obedientia. De hoc testimonio plura alia dicta sunt 3. part. dis. 79. c. 2. & 4. & q. 20. art. 2.

13. No-

13. Nomen *Iesu*, hoc loco accipi pro re, ostendi latissimè 3. p. d. 108. c. 1. in fine ex Patribus Græcis: alludit verò Paulus ad illud Isai. 46. *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia incuruabitur mihi omne genu, &c.*

14. Per particulam *itaque*, quæ est nota illationis, applicat Paulus exemplum Christi ad id, quod proposuit.

15. Totum illud, quod habetur num. 15. suppleri debet: cum enim Paulus adduxisset exemplum Christi, qui ob nostram vtilitatem seipsum humiliauit, &c. non vult inferre inde, nos debere nostram salutem operari cum timore, & tremore, neque enim id videtur ad propositum, sed ex Christi exemplo colligit, nos eodem modo facere debere, & quia id ad salutem nostram spiritualem attinet, dixit, *itaque fratres, &c. cum metu, & tremore operamini vestram salutem*, & non dixit: itaque fratres in humilitate quisque vestrum alium sibi præstantiorem existimet, & quærat, quæ sunt aliorum, non quæ sua sunt.

16. Ideò dicit, *cum timore, &c.* quia Deus est, qui operatur: ob id enim timere debemus, quia Deus sola sua voluntate præuenit nos congrua vocatione, quam si subtrahat, non operabimur salutem nostram. subtrahere verò potest ex seipso, & facit aliquando: timere ergo debemus, ideò dictum est, *non est volentis, &c.* ad Rom 9. vt explicaui in paraphrasi illius loci.

17. *Pro bona voluntate*, Græce est εὐδοκίας, quod aliàs *beneplacitum* vertit interpres. Dixit verò *pro bona voluntate*, ad excludenda merita nostra, vt in paraphrasi. Alium sensum habet Chrysost. tamen non multum quadrat contextui rationis, qua vtitur Paulus.

18. Redit ad id, quod proposuerat, nihil scilicet per contentionem agendum. Dicit verò ad eos, *omnia autem facite, &c.* supple, *quæ pertinent ad salutem vestram*, quibus dixerat ante: *operamini vestram salutem.*

19. Pro *hæsitationibus*, alij vertunt *disceptationibus*, & idem est: qui enim disceptat, vertit in dubium, vtrum hoc bene fiat, vel non.

20. Vocem *simplices* quidam coniungunt cum voce *filij*.

21. *Retinentes* est participium, quod debet coniungi cum verbo *sitis*, quod præcessit, & ideò interpretati sumus, *retineatis*. Participium verò Græcum ἐπέχοντες, significat sustinentes, vel retinentes aliquid studio, ne eripiatur. Hortatur verò Paulus, vt retineant non tantùm verbo, & fide, sed etiam moribus, quod antea dixerat.

22. Illud *in diem Christi*, aliqui coniungunt cum eo, *in gloriam meam*, vt sit sensus: vt gloriari possim de labore meo in die iudicij: nos retulimus ad verbum *retinentes* In illum verò diem dicitur, quis retinere bonam doctrinam, & bonos mores, quia recepturus est præmium illorum coram vniuersis.

23. Vt illa particula aduersatiua *sed*, sensum expleat, suppleri debet id, quod adiecimus, *non solùm lator, &c.* sic enim ostendit, non solùm de præterito labore, sed de futuro etiam pro ipsis gaudere.

24. In hoc loco non significat instantem mortem, quia iam dixerat se sperare periculum illius euasurum esse, sed vt in paraphrasi, si contingat mori.

25. *Supra sacrificium*, in Græco est ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, & particula ἐπὶ, cum datiuo significat causam, & Latinè *propter*.

26. Fidei vestræ intransitiuè accipiendum est: hîc enim non meminit Paulus alicuius sacrificij, quod ipsi Philippenses sua fide offerrent Deo, sed ipsos appellat sacrificium ratione fidei, quod ipse Paulus, dum eos lucratus est prædicatione sua, obtulit Deo.

27. Verbũ Græcum συγχαίρω, significat congaudeo, sicut & χαίρω, ex quo componitur *gaudeo*, quo & vsus est Paulus. Interpres noster transtulit *congratulor*; sed idem vtroque modo est sensus.

28. Particula *enim* causam reddit, quare potius Timotheum mittat ad ipsos, quàm vllum alium.

29. Particula *enim*, rationem reddit, cur solus Timotheus sit, qui sincero affectu curam haberet illorum, cum alij etiam essent, qui in Euangelio viderentur elaborare, &c. Cum verò dicit *omnes* intelligit, vt plurimum, aut eos alios, quos ipse posset mittere præter Timotheum.

30. Verbum Græcum γινώσκετε, ambiguum est indicatiuo, & imperatiuo modo: noster interpres vertit in modo imperandi.

31. Apostolum Philippensium intelligit Paulus, siue quia missus fuit ab ipsis ad Paulum, siue quia ipsis Euangelium prædicauerat. Prior sensus mihi magis probatur, quia cum dixerit Paulus, neminem se habere, quem mittere posset, nisi Timotheum, quia omnes alij quærebant, quæ sua sunt, indicat apertè, apud se non habere alium familiarem idoneum, quem posset mittere: nam de Epaphrodito non intelligit illud, *Omnes enim quærunt quæ sua sunt*, cum ipsius fidem, & virtutem in fine Epistolæ commendet, quare Epaphroditus non erat familiaris tunc ipsius Pauli, sed missus potius ad ipsum eleemosynæ gratia.

32. Græcè est ἀδημονῶν, quod vulgatus vertit *mæstus*, Ambros. verò vertit *impatienter solicitus*, id quod Græca ipsa vox exprimit.

33. Græcè est σπουδαιότερος, quod Erasmus vertit *studiosius*, sed Chrysost. interpretatur, sine mora, sicut noster interpres vertit.

34. *In Domino* quidam referunt ad verbum *excipite*, vt sensus sit, excipite illum in Domino; sed nos conteximus cum præcedente in hunc modum, *cum gaudio in Domino*.

35. Illud *eiusmodi*, implicitè continet pluralem numerum, vt ex Græco ma-

Digitized by Google

eo manifestum est, dicitur enim τοῖς τοιούτοις, ac si dicat *eis, qui eiusmodi, &c.*

36. Ambiguum satis est, vtrum intelligat Paulus de morte, quæ imminebat Epaphrodito à Nerone, cuius periculo ipse se exposuit accedens ad Paulum vinctum in carcere, vt intelligit Chrysost. aut de mortis periculo ex morbo, vt nos cum aliis interpretati sumus. Verùm cum antea Paulus fecerit mentionem morbi, probabile est de periculo illius hîc etiam loqui.

ARGVMENTVM
CAPITIS III.

EXhortatur Philippenses, vt caueant iudaizantes, ne ab eis decipiantur, quos appellat concisos, non circuncisos, vt suo loco notabimus, ostenditq́ veros circuncisos esse, qui spiritu seruiunt Deo, de qua circuncisione gloriari quis merito possit, sed in Christo; de carnali verò circuncisione nulla ratione, quanquam si de ea gloriandum esset, non minor ex ea esset Paulo causa gloriæ, quam aliis. Verùm tamen omnia merito se reliquisse inquit pro Christo, cuius iustitia vult inueniri iustus, & in summo studio proficere. Inuitat tandem Philippenses ad sui imitationem.

CAPVT III.

1 DE cetero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autē necessarium.
2 Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem: nos
3 enim sumus circuncisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne
4 fiduciam habentes: quanquam & ego habeam confidentiam in
5 carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circuncisus octauo die ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pha-
6 risæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum iustitiam, quæ in lege
7 est, conuersatus sine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum
8 detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Chri-
9 stum lucrifaciam. Vt & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege, sed illam, quæ
10 ex fide est Christi Iesu: quæ ex Deo est iustitia in fide, ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus mor
11 ti eius; si quo modo occurram ad resur-

PARAPHRASIS.

HActenus, ô Philippenses, in mœrore, & tristitia fuistis, tum ob ægritudinem Epaphroditi, tum etiam ob vincula mea, 1 *reliquum iam est, vt gaudeatis, iuxta Domini tamen voluntatem,* 2 *vt decet Christianos homines. Mihi quidem non erit molestum eadem sæpius ad vos scribere, & de eisdem rebus commonere, vobis autem est maximè* 3 *necessarium: sic enim & tutiores vos reddam, ne labamini.* 4 *Cauete igitur homines impudentes, iudaizantes inquam, quos meritò canes appellem, qui se non tantùm venditant pro Christianis, sed etiam pro Euangelistis. Cauete hos malos operarios, & corruptores Euangelij. Cauete hos carnaliter sine delectu* 5 *circuncisos: vera enim, & quæ Deo placet, circuncisio apud nos est, qui spiritu fidei seruimus Deo, & gloriam* 6 *ex Christi gratia, & spiritu; non ex circuncisione,* 7 *& generis prosapia, quærimus. Quanquam ego* 8 *si vellem, de his etiam potiori ratione possem gloriari, quàm alij plures, qui ea dè re videntur se iactare posse: ego enim circuncisus sum* 9 *octauo die, non tanquam proselytus adoptione, sed genere Israelita* 10 *de tribu Beniamin.* 11 *Hebræus natus ex Hebræis parentibus: inter Iudæos verò in modo obseruandi ipsam legem* 12 *Pharisæorum sectam, & religionem tanto studio, & Zelo sectatus,*

resurrectionem, quæ est ex mor-
12 tuis. Non quod iam acceperim,
aut iam perfectus sim: sequor
autem, si quo modo comprehen-
dam, in quo & comprehensus
13 sum à Christo Iesu: fratres, ego
me non arbitror comprehendis-
se. Vnum autem, quæ quidem re-
tro sunt obliuiscens, ad ea ve-
rò quæ sunt priora extendens me
14 ipsum, ad destinatum persequor,
ad brauium supernæ vocationis
15 Dei in Christo Iesu. Quicunque
ergo perfecti sumus, hoc sentia-
mus: & si quid aliter sapitis, &
16 hoc vobis Deus reuelabit. Ve-
runtamen ad quod peruenimus,
vt idem sapiamus, & in eadem
17 permaneamus regula. Imitatores
mei estote fratres, & obseruate
eos, qui ita ambulant, sicut habe-
18 tis formam nostram. Multi enim
ambulant, quos sæpe dicebam
vobis (nunc autem & flens dico)
inimicos crucis Christi: quorum
19 finis interitus; quorum Deus
venter est, & gloria in confusio-
ne ipsorum, qui terrena sapiunt.
20 Nostra autem conuersatio in cœ-
lis est: vnde etiam Saluatorem
expectamus Dominum nostrum
21 Iesum Christum, qui reformabit
corpus humilitatis nostræ confi-
guratum corpori claritatis suæ,
secundum operationem virtutis
suæ, qua etiam possit subiicere si-
bi omnia.

ctatus, vt ad eam tuendam, & amplificandam Christi Ecclesiam persecutus fuerim. 13 Quod si bonos mores, qui lege scripta præcipiuntur, spectes, sine vlla offensione inter Iudæos ita versatus sum, vt nullus mihi obiicere posset, me in vlla parte legem prætermisisse. 14 Sed nihilominus de his omnibus nullo modo gloriabor: hæc enim, quæ mihi 15 videbantur esse alicuius momenti, comparatione Christi, & veritatis Euangelij pro damnis duco; 16 imò verò ceteras res huiusmodi, siue philosophiam, siue opes, siue quæcunque alia, præ excellentia Euangelij Iesu Christi nihili facio, duco pro stercoribus, & vilissimis rebus, 17 omniumque iacturam feci, vt mihi Christum comparare possem, nempe vt 18 consequerer, 19 non sanè iustitiam ex proprio meo labore, & legis sola notitia, nusquam enim ea inuenitur; sed 20 virtute Christi eam veram iustitiam, quæ spiritu fidei ipsius Christi comparatur: quam Deus largitur subministrans interius spiritum fidei, quo cognoscamus ipsum, & 21 potentiam, qua iustos à mortuis excitaturus est in vitam immortalem, & impassibilem, quantumque habeat momenti meritorum ad eam consequendam, si quis pro ipso Christo passiones sustineat: 22 vt consequerer, inquam, iustitiam veram ex spiritu Christi cõformis effectus morti, & passioni ipsius, 23 si qua ratione pertingam gloriosam resurrectionem.

Dixi

Digitized by Google

*Dixi, si qua ratione pertingam, 24 quòd nondum brauium acceperim, nec
finem adhuc virtutis sim adeptus. 25 Prosequor igitur ad nihil aliud atten-
dens, aut cogitans, si qua ratione assequar virtutis perfectionem à Christo, &
cumulum, ad quem apprehensus, & electus fui. Ego sanè quanquam Apostolus
lus sum, arbitror me nondum ad virtutis culmen 26 peruenisse; vnum au-
tem hoc 27 ago, nimirum oblitus 28 iam rectè à me facta, & ea veluti à
tergo relinquens ad id, quod à fronte est, & adhuc superest acquirendum, me
ipsum quasi toto corpore, & manibus 29 protendens 30 ad scopum per-
fectionis, qui vocatione superna Dei ex Christi gratia quasi brauium præfixus
est, persequor. 31 Quilibet vestrûm quantumcunque perfectus fuerit, hoc
ipsum, quod longa metaphora expressi, sentire debet, nimirum ad ea, quæ præ-
terita sunt, non esse nobis aspiciendum, ne eorum memoria vanè detineamur,
quasi iam perfectionis vltimum fuerimus consequuti, sed ad ea, quæ adhuc
facienda supersunt, incitemur. Quod si contrarium adhuc sentitis, & existi-
matis nihil vobis deesse ad perfectionis cumulum, Deus qui multa alia vobis
dedit charismata, hoc etiam addet: 32 persuadebit nimirum gratia sua hanc
modestiam, & humilitatem, vt vobis adhuc multum ad perfectionis finem
deesse credatis: interim tamen id quod iam consequuti estis in via perfectio-
nis, 33 retinere curate, videlicet, vt 34 eandem doctrinam, & dogmata
sequentes intra eandem regulam fidei contineamini. Nec in vobis sint schisma-
ta, nec vllus noua dogmata confingat: vnà cum ceteris me imitamini, & auen-
tes considerate eos, quos videritis iuxta normam 35 nostram, quam habetis,
& bene nostis, sequi vitæ conuersationem, vt illos etiam imitemini: multi
enim quos antea vobis dicebam inimicos esse crucis Christi, nunc autem, &
cum lachrymis iterum dico, 36 alios longe diuersos sectantur vitæ mores,
in luxu nimirum, quiete, & otio, qui ad extremum interitum animæ prope-
rant; 37 quorum vnicum studium in eo est, vt ventri satisfaciant, ac si
Deus ipsorum esset, 38 qui in eis rebus turpibus gloriantur, quarum ipsos
pudere deberet, & terrestria, & caduca tantum curant. Nos autem mente,
& affectu in rebus spiritualibus, & in ipso cœlo versamur 39 ex quo ven-
turum expectamus saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum in extremo
die resurrectionis, qui corpus nostrum 40 humile, & abiectum mutabit, vt
conforme sit corpori ipsius glorioso, ea nimirum virtute, & potentia
sua, qua non solum hoc præstare, sed vniuersa sibi subiicere
etiam potest, vt libuerit.*

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

1. Illud *de cetero* in initio capitis implicitum habet id, quod ante suppleuimus.

2. Illud *in Domino*, hoc loco significat secundum Dominum, quod frequens est in hac Epistola, vt supra vidimus.

3. Græcè est ἀσφαλές, quod tutum significat, noster verò interpres vertit *necessarium*, idem tamen sensus vtroque modo est, vt in paraphrasi, ideò enim necessarium erat, vt tutiores essent.

4. *Videte* posuit pro *cauete*, qui enim aliquid cauere debet, oportet illud aspicere.

5. In Græco non est περιτομήν, Latinè circuncisio, sed est κατατομήν, Latinè concisio: vtitur verò Paulus hoc nomine, quod contemptum habet, concisio enim est sine delectu, & inutiliter, vt notat Chrysostom. dicitur verò circuncidi id, quod expolitur resectis superuacaneis, sic ergo Iudæos opprobrij gratia appellat concisionem, hoc est, concisos.

6. Gloriari in Christo idem est, quod Christi gratiæ gloriam tribuere, & hoc est ex Christi gratia gloriam quærere.

7. In carne fiduciam habere est gloriari ex carnis prosapia, vel ex his, quæ inde sequuntur, vt infra explicat Paulus.

8. In verbo *habeam* est sensus potentialis, vt in paraphrasi.

9. Dicit *octauo die*, vt ostendat se esse Iudæum natum, qui octauo die ex lege debeat circuncidi.

10. Gloriatur se esse de tribu Beniamin, non quia illa esset nobilissima: contra enim Saul humilitatis gratia dixit 1. Reg. 9. se esse de tribu Beniamin: sed quia illa tribus posteà in diuisione aliarum à tribu Iuda, mansit semper sub Regibus Iuda, quod fuit maximo honori omnibus ex illa tribu.

11. Addit *Hebræus, &c.* ad ostendendam generis sui antiquam nobilitatem ortam ex Hebr.

12. Hanc sectam fuisse bonam ex hoc textu Pauli colligitur, nisi enim ordo ille honestus fuisset, nunquam eum commemorasset Paulus inter ea, de quibus apud homines gloriari posset.

13. Quare non dixerit Paulus secundum iustitiam, quæ ex lege est, sed *quæ in lege est*, dicemus in fine, in quadam peculiari annotatione, vbi hunc locum, & eum, vbi inferius dicit *iustitiam quæ ex lege est*, explanabimus.

14. Particula *sed* habet inclusum sensum contrarium, quem expressimus, & causam illius.

15. Verbum *fuerunt*, non planè affirmat, neque enim illa fuerunt lucra, vt infra Paulus, sed videbantur esse iudicio hominum.

16. *Veruntamen* est hîc particula corrigentis, non aduersatiua, rectè igitur interpretati sumus *imò verò*, nec hîc est repetitio eiusdem, sed per omnia intelligit cetera, quæ numerare prætermisit.

17. *Fidei detrimentum*, vel, vt interpretati sumus, iacturam. Quidam putant dixisse Paulum, quia illa erant aliquo modo bona, & solùm comparatione Euangelij reputabat Paulus detrimenta, tanquam minus bona, quam esset Euangelium: verum statim patebit illa non esse lucra vera apud Deum, sed apud homines tantum: propterea dixit, quę videbantur lucra, nempe hominibus, se reputasse detrimenta propter Christum. Dicit verò iacturam illorum fecisse, non quod damnum apud Deum passus esset, sed tantum apud homines ea omnia relinquendo, quod verò ea non fuerint lucra apud Deum, constat, quia zelo persequi religionem Christi non erat bonum. Deinde esse Pharisæum, & Iudæum natione tantũ, apud Deum nullius erat valoris, quia apud ipsum circuncisio nihil valet, sed noua creatura. De iustitia legis idem dicendum est, vt constabit ex annotatione peculiari in fine.

18. *Inueniar*, Hebraismus est, vt supra cap. 2. *Et habitu inuentus vt homo*, idem significat quod esse, sensus igitur est, vt sim habens iustitiam, &c. hoc est, vt habeam, aut vt consequar.

19. Iustitiam suam dicit suo labore partam, quam sibi Iudæi arrogabant, dicit ergo Paulus se nolle consequi hanc iustitiam, non quia putet reuera talem aliquam esse iustitiam, & sanctitatem, sed velle iustitiam ex spiritu fidei Christi comparatam. Hunc locum explanauimus latissime 1. 2. disp. 180. cap. 4. & alibi, quare verò dicat ex lege, infra notabimus.

20. *In illo* idem est, quod virtute illius iuxta illud, *in Domino meo transgrediar murum*.

21. Non loquitur Paulus de potentia, qua Christus se excitauit à mortuis, sed de resurrectione iustorum, id autem fit manifestum ex eo quod dicitur paulò inferius, *Si quomodo occurram ad resurrectionem*, &c.

22. *Configuratus*, &c. coniungi debet cum eo, quod præcessit, *vt inueniar*. vt ab eo verbo regatur participium *configuratus*, vt quidam interpretantur, sic: *dum conformis efficior*, &c. sed certè durior fit contextus literæ, & participium ita positum non patitur hanc interpretationem, Græcè εἴπως, *si quomodo*, vel *si fortè*.

23. Quidam putant esse dubitantis, quod Paulus non esset certus de sua salute, & vtuntur hoc testimonio contra Caluinum ad probandum, neminem certum esse de sua salute, & iustitia: verùm non est cur Paulum sub hac lege comprehendamus. Quare censeo particulam

εἴπως,

ἥκως, non esse dubitantis, sed indicare libertatem arbitrii in sua salute & iustificatione.

24. Illud *non quod*, non est corrigentis id, quod dixerat, vt quidam arbitrantur, vix enim sic posset contextus ordinari: est ergo particula causalis, cui si negatio illa postponatur, optimum reddit sensum, vt in paraphrasi, quē ex Theophylacto desumpsimus. In Græco est οὐχ ὅτι, quod significat *non quod*, & est corrigentis; hic tamen vim habet, vt diximus, causalis.

25. In Græco est verbum διώκω, quod est verbum stadiorum, significatq; plusquam currere, nimirum toto conatu, nihil aliud intuendo, aut cogitando currere.

26. Illud *apprehendisse*, non refertur hic ad brauium æternæ gloriæ, nimis enim compertum erat, nondum Paulum ad illud peruenisse, sed ad culmen perfectionis in hac vita, vt in paraphrasi.

27. Sermo est eclipticus, suppleri debet illud *ago*, vt sensus constet.

28. Dicit se obliuisci bene antea facta: horum enim memoria solet segniores facere, potius ergo, vt inquit Chrysost. ad id, quod super est, more currentium in stadio, tendere debemus, quam ad præterita respicere.

29. Græcè est participium ἐπεκτεινόμενος, significat autem eum, qui non solum currit, sed etiam manus, & corpus extendit, vt brauium apprehendat.

30. Ex hoc loco constat, hic loqui Paulum non de præmio beatitudinis, sed de scopo perfectionis, vt num. 26. notaui, quam brauio comparat, quod omnibus, tanquam quid pretiosum in hac vita, proponatur.

31. Illud *quicunque perfecti sumus*, Augustinus intelligit de perfectione viæ, non patriæ: supponit enim hactenus de perfectione patriæ locutum Apostolum; sed cum probatum maneat, locutum antea fuisse de perfectione viæ, locum non habet explanatio Augustini. Verùm ne Apostolus contraria sibi doceat, Ambrosius intelligens de perfectione viæ explicat hoc, non absolutè, sed comparatione aliorum, ac si dicat: Nos qui comparatione vulgi perfecti sumus, &c. Alij intelligunt per ironiam dictum de Philippensibus, qui se iactabant perfectos, planior est expositio paraphrasis secundum vocum proprietatem, si suppleatur particula *quantumcunque*, vel *tametsi*. Nec sibi contraria dicit Apostolus: quod enim antea dixerat, se nondum assecutum perfectionem, intelligit de ea, quam in hac vita posset acquirere: cum verò subdit, *quicunque perfecti sumus*, intelligit de perfectione non vltima, & maxima, quam quis habere potest gratia Dei, sed de perfectione absolutè: contendit igitur quemcunq; perfectum hoc sen-

Digitized by Google

tire debere, nimirum sibi adhuc multum deesse perfectionis, & virtutis.

32. *Reuelabit* hoc loco non tam docere, quàm persuadere significat.

33. Sermo est ecclipticus, & suppleri debet illud *retinere curate*.

34. Verisimilius est hic Paulum potius respexisse ad doctrinam, quàm ad mores, vt OEcumenius aduertit: quanquam Theophylactus primo de vita, deinde de doctrina intelligit. Redit ergo ad id, quod initio capitis proposuit, videlicet vitandos esse iudaizantes, volentes noua dogmata inducere.

35. Quidam legunt per appositionem *formam nos*, sic legunt Græca exemplaria, alij legunt *formam nostram*, idem autem est vtriusque literæ sensus.

36. Pauca illa si suppleantur, quę facilè ex antecedentibus intelliguntur, planior erit contextus, sermo enim concisus, & ecclipticus videtur, illud enim *inimicos Crucis Christi*, non debet coniungi cum illo *ambulant*, sed cum illo, *quos sæpe dicebam vobis*, vt in paraphrasi. Dicit verò inimicos crucis, quia austeritatem vitæ abiiciunt, quam crucem Christi, hoc est, quam Christus docuit, appellat.

37. Ad Romanos vlt. eos aliter appellauit, scilicet, *qui ventri suo seruiunt*.

38. August. serm. 15. de verbis Apostoli, & Ambros. in hunc locum referunt ad circuncisionem, quòd illi gloriantur in ea, quæ in partibus pudendis fiebat, & ideo dixisse Paulum *in confusionem ipsorum*: Græci interpretantur, vt nos in paraphrasi. Forsan referri posset ad futuram confusionem, & ignominiam in die iudicii.

39. Ambiguum est, vtrum particula *vnde* sit illatiua, an relatiua, quæ ad cœlum referatur; in Græco est *ex quo*, scilicet cœlo, quare particula erit relatiua, & optimè subiungit, *ex quo expectamus*, &c. illic enim mens nostra infixa esse solet, vnde aliquod magnum bonum expectamus.

40. *Corpus humilitatis*, est Hebraismus pro eo quod est, corpus humile, adiectiuo enim carent Hebræi, & genitiuo substantiui illud exprimunt. Idem de illo *corpus claritatis suæ*, hoc est, gloriosum, & clarum.

Obser-

Digitized by Google

Obseruatio circa num. 13. & 19.

CIrca numerum 13. & 19. obseruandus est modus loquendi Apostoli: dicit enim num. 13. *Secundum iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela,* non dicit, quæ est ex lege: nunquam enim supponit ex lege sine gratia Dei esse aliquam iustitiam, quam ipse habuisset in Iudaismo, & ideò sine querela vixisset, quia vt ex tota Epistola ad Romanos constat, *litera ipsa occidit,* hoc est, sola lex sine gratia est occasio peccati, non autem sufficiens ad rectè viuendum: quod tam intelligendum est de ea parte, quæ pertinet ad mores, quàm de ea, quæ circa ceremonias versatur: illarum enim obseruatio secundum rationem ex sola litera legis non erat, sed ex spiritu fidei, vt 1. 2. disputat. 189. probaui. Dicit verò iustitiam, quæ verè est in lege, hoc est, in legis obseruatione, sed ex gratiæ spiritu, iuxta illud ad Galat. 3. *Sed qui fecerit ea, viuet in eis,* hanc verò non affirmat se habuisse, in qua gloriari posset, & non apud Deum, sed inquit se vixisse sine querela, quod sanè sine spiritu gratiæ fieri potuit, nimirum sola exteriori obseruatione, in qua non saluatur vera ratio virtutis, & iustitiæ; sufficit autem ad vitam tranquillam inter homines sine querela cum laude hoc modo legem obseruare. In hac ergo, & ipse gloriari posset, sicut in cæteris, quæ narrat: numero verò 19. non dicit iustitiam, quæ in lege est, *sed quæ ex lege est,* hoc est, ex sola notitia ipsius sine spiritu fidei, cum tamen inquit. *Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed quæ ex fide Iesu Christi,* non supponit esse aliquam veram iustitiam ex lege, sed dicit se velle in Christo esse, vt consequatur iustitiam, non quæ sit ex sola legis notitia, quæ sanè nusquam est, sed eam, quæ est ex spiritu fidei, quæ vera iustitia est.

ARGVMENTVM
CAPITIS IV.

HOrtatur Philippenses, vt cum lætitia spirituali in cœpto permaneant, & pro liberalitate, qua erga ipsum vsi fuerant necessaria suppeditando, ita gratias agit, vt simul ostendat eis animum multo maiorem inopiam patiendi. Tandem salutationibus consuetis finit epistolam.

CAPVT IV.

1 ITaq; fratres mei charissimi, &
desideratissimi, gaudiũ meum,
&corona mea: sic state in Domi-
2 no, charissimi. Euodiam rogo,&
Syntychen deprecor,id ipsum sa-
3 pere in Domino Etiam rogo, &
te germane compar, adiuua illas
quæ mecum laborauerunt in Eu-
angelio cum Clemente,& ceteris
adiutoribus meis, quorum no-
4 mina sunt in libro vitæ. Gaudete
in Domino semper; iterum dico
5 gaudete. Modestia vestra nota sit
omnibus hominibus. Dominus
6 prope est. Nihil soliciti sitis: sed
in omni oratione, & obsecratio-
ne, cum gratiarum actione peti-
tiones vestræ innotescant apud
7 Deum. Et pax Dei, quæ exupe-
rat omnem sensum, custodiat
corda

PARAPHRASIS.

ITaq; fratres mei 1 charissimi, & desideratissimi, qui mihi estis gaudium, quia fidem suscepistis, 2 & corona quia ob labores in prædicatione causa vestri susceptos gloriosã coronam à Domino spero, sic perseuerate in ea gratia Domini, sicut cœpistis. Hoc ipsum 3 rogo Euodiam, rogo etiã & Syntychen, 4 vt scil. concordes sint, & in fidei doctrina & vitæ moribus. Rogo & te, qui sub eodem iugo euangelicæ prædicationis verus mihi socius, 5 & germanus ex animo fuisti ad iuuandas istas fœminas, quas commemoraui, in hoc opere Euangelij, in quo & ipsæ versantur, quæ mecum ob eandem causam non dubitarunt multa 6 pericula simul cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ, subire.

Digitized by Google

corda vestra, & intelligentias ve-
8 stras in Christo Iesu. De cete-
ro fratres, quæcunque sunt vera,
quæcunq; pudica, quæcunq; iu-
sta, quæcunq; sancta, quæcunque
amabilia, quæcunq; bonæ famæ;
si qua virtus, si qua laus disciplinæ
9 hæc cogitate. Quæ & didicistis, &
accepistis, & audistis, & vidistis in
me, hæc agite; & Deus pacis erit
10 vobiscum. Gauisus sum autem in
Domino vehementer, quoniam
tandem aliquando refloruistis
pro me sentire, sicut & sentieba-
11 tis: occupati autem eratis. Non
quasi propter penuriam dico:
ego enim didici, in quibus sum
12 sufficiens esse. Scio & humiliari,
scio & abundare (vbiq; & in om-
nibus institutus sum) & satiari, &
esurire, & abundare, & penuriam
13 pati. Omnia possum in eo, qui me
14 confortat. Veruntamen bene fe-
cistis communicantes tribulatio-
15 ni meæ. Scitis autem, & vos Phi-
lip. quod in principio Euangelij,
quando profectus sum à Mace-
16 donia, nulla mihi Ecclesia cômu-
nicauit in ratione dati, & accepti,
nisi vos soli: quia & Thessalonicã
semel, & bis in vsum mihi misistis.
17 Non quòd quæro datum; sed re-
quiro fructum abundantem in
18 rationem vestram. Habeo autem
omnia, & abundo: repletus sum,
acceptis ab Epaphrodito quę mi-
sistis, in odorem suauitatis, ho-
stiam acceptam, placentem Deo.
Deus

*ire. Lætamini in Domino iterùm at-
que iterum, etiam si in afflictionibus
& tribulationibus versemini, & in
eis animi vestri 7 æquitas, & mo-
deratio palam appareat: 8 dies 9
enim iudicij non longe abest, in quo
veram laborum accipietis coronam;
illi verò, qui vos persequuntur, pec-
cati sui pœnas dabunt: sed in medio
omnium aduersitatum, & tribula-
tionum 10 in omni re, aut negotio,
11 id quod vobis in votis est, & de-
sideratis, Deo proponite per oratio-
nem; & obsecrationem, 12 quibus
& gratiarum actionem adiungite;
quòd si aduersarij, & hostes vos cir-
cumstant, pace, & tranquillitate, quã
Deus suis largitur, 13 & in omni-
bus ingeniorum machinationibus,
superior est, custodite diligenter ve-
stræ voluntatis affectum, & mentis
iudicium, 14 ne à Christo, cui semel
adhæsistis, excidatis. Quod reliquum
est, quæcunq; vera sunt, & à fictione
aliena, honesta, & sincera, iusta, &
æqua, sancta, digna vt amentur, ad
bonum nomen spectantia, quidquid
virtutis, & laudabilis disciplinæ est,
hæc meditamini, & exercete, &
vt summatim dicam, quæ didici-
stis, accepistis, audistis, & vidi-
stis in me, hæc operamini; & Deus,
qui autor est pacis, qua dixi custo-
diendum affectum, & intelligentiam,
erit vobis propitius, & eam donabit.
Gauisus autem sum vehementer læti-
tia, quæ decet verum Christianum,
secun-*

Digitized by Google

20 Deus autem meus impleat omne
desiderium vestrum, secundum
diuitias suas in gloria, in Christo
Iesu. Deo autem, & Patri nostro
gloria in secula seculorum. A-
men. Salutate omnem sanctum
in Christo Iesu, salutant vos qui
21 mecum sunt, fratres. Salutant vos
omnes sancti, maximè autem qui
de Cæsaris domo sunt. Gratia
Domini nostri Iesu Christi cum
spiritu vestro. Amen.

secundum Deum, quod iam tandem postquam cessastis ab officiis præstandis, 15 cura de me in vobis refloruit, & sicut antea de me curare cœpistis: intermisistis autem consuetam solicitudinem, & officium, quod 16 impediti eratis, deeratq; vobis opportunitas aliquid mittendi. 17 Nec verò gaudeo, quod paupertatem, quam vestris eleemosynis subleuastis, ægrè ferrem: didici enim rebus, quæ ad manus mihi sunt, 18 contentus esse, noui æquo animo me gerere in tenuitate, & abundantia rerum per omnia assiduè probatus, scio modum tenere, vbi egregium est prandium, & famem pati, vbi copia rerum deest, omnia æquè possum 19 virtute Dei, qui mihi vires præstat. 20 Verum gauisus sum, quòd benefeceritis vestra erga me charitate, 21 participare volentes præmium, quod me manet ex paupertate, & tribulatione mea, eam eleemosynis subleuando. 22 Porrò me non gaudere, quia meam inopiam subleuastis, sed quòd in vestram vtilitatem spiritualem vestris rebus, & facultatibus mihi subuenistis, vel hoc vnum satis demonstrat, quod meum commodum ego non quæro, nec ab his omnibus, à quibus accipere subsidium possem, illud efflagito. 23 Id quod vos optimè nostis: in principio enim meæ prædicationis, cum profectus sum à Macedonia, à nulla Ecclesia (cum tamen iure possem tanquam dignus minister) quidquam accepi, nisi à vobis tantum, qui Thessalonicam semel, & iterum in vsum mihi necessaria ad egestatem subleuandam misistis. 24 Non igitur gaudeo, quòd quæram meum commodum, sed gaudeo, quòd desiderem 25 in vestram vtilitatem vos liberales esse, & fructificare per eleemosynas. 26 Accepi itaque omnia, quæ veluti censum, & redditum digno ministro tribuistis, & 27 mihi satis superque existimo: explestis indigentiam, & inopiam meam his, quæ per Epaphroditum misistis, 28 eaque Deo gratissimum, & suauissimum sacrificium fuerunt: Deus autem meus, 29 desiderium, & studium, quod erga me habuistis, vt est ditissimus, expleat 30 gloria fœlicitatis æternæ, 31 per merita Domini nostri Iesu Christi. Amen. Salutate nomine meo omnem 32 fidelem, & in Christo baptizatum: Vos autem salutant fratres, quos mecum habeo ministros, & adiutores Euangelij, salutant etiam omnes ad Christum conuersi, qui sunt Romæ, maximè verò, qui de

Cæsaris

Digitized by Google

Cæsaris familia sunt. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum Spiritu vestro. Amen.

ANNOTATIONES.

1. Græcè est *dilecti*, & *desiderati*.
2. *Corona* hoc loco intelligi posset, quòd ipsorum fidem, & profectum Paulus pro corona sui laboris diceret.
3. Quod est Latinè *rogo*, & *deprecor*, Græcè est idem verbum repetitum, cuius anadiplosis emphasin habet, verbum est παρακαλέω, quod hortor, aut excito significat.
4. Ferè omnes ad morum concordiam referunt, alij ad doctrinam, de qua superiori cap. ad vtrunque autem referri nihil obstat.
5. Græcè est σύζυγε, & dicitur Latinè *coniugalis*, qui est cum alio sub eodem iugo, ζυγὸς enim iugum significat; quæ verba perperam aliqui, quos Faber Stapulensis, & Erasmus sequuti sunt, interpretantur *germana coniux*, quibus omnes Patres contradicunt; præsertim Græci, ex quibus Theophylactus eam reddit rationem, quòd Paulus dixerit *germane* in genere masculino, cum tamen dicere debuisset in fœminino, si de vxore intelligeret. Tertiam reddit OEcumenius, quòd stultum esset putare Paulum vxorem suam reliquisse Philippis, sed vel Hierosolymis, vel in ciuitate Tharsi, vbi educatus fuerat; appellat igitur coniugalem ibi virum aliquem coadiutorem in Euangelio, quis autem ille fuerit, non constat: tametsi Chrysostomus, Theophylactus, & OEcumenius, multa de hoc homine dicant diuinantes, quis nam ille fuerit. Mitto autem quæstionem de Paulo, & Apostolis, vtrum vxores habuerint, an non, hanc enim fusè disputaui in tractatu de Sacramento ordinis, in postrema disputatione de continentia sacrorum hominum.
6. *Laborauerunt*, hoc loco non refertur ad industriam, & solicitudinem, sed ad pericula, & aduersitates toleratas.
7. Græcè est ἐπιεικὲς, neutrum adiectiuum Latinè æquum pro substantiuo ἐπιείκεια, quæ vox interdum significat æquitatem, quæ est pars iustitiæ, de qua Arist. Ethic. c. 10. nonnunquam modestiam in externa conuersatione; aliquando animi moderationem, in quo sensu hic vsurpatur, cum agatur de afflictionibus, & tribulationibus. Sic intellexit hunc locum S. Thom. 2. 2. q. 120. art. 2.
8. Illud, *Dominus prope est*, quidam interpretantur hoc modo: paratus est opem ferre.

9. Latini subintelligunt causalem *enim*, quæ optimè quadrat contextui, Græci verò inde nouam periodum incipiunt.

10. Illud *in omni*, non debet coniungi cum oratione, est enim in Græco ἐν παντὶ, quod est neutrius generis: Vt autem coniungeretur cum oratione, quæ Græcè etiã est fœminini, nempe προσευχῇ deberet esse πάσῃ quare Græcanica scholia addunt πράγματι, hoc est, *re*, ac si dicat, in omni re.

11. *Petitiones* hoc loco desiderium, non orationem, & postulationem significant, nam postulatio ab oratione non distinguitur. Quare si orationes significaret, frustra dixisset, *Oratione petitiones vestra innotescant, &c.* perinde enim esset, atque dicere, oratione oratio vestra innotescat: nec verò significat desiderium, & affectum ipsum voluntatis secundum se, sed rem desideratam, & petitam, hæc enim dicitur etiam desiderium, vnde obtinere dicitur petitionem, hoc est, rem petitam.

12. Illud, *in gratiarum actione*, non debet coniungi cum præcedentibus, quamuis enim oratione Deo manifestamus id, quod desideramus, id tamen non fit per gratiarum actionem, quæ est pro re obtenta, sed dicit *cum gratiarum actione*, quia post orationem illa adiungenda est pro beneficiis collatis.

13. Huius pacis meminit Dominus in Euangelio Ioan. c. 14 cum dixit, *Pacem meam relinquo vobis*, cùm verò dicit, *exuperat omnem sensum*. August. intelligit de intellectu humano, & Angelico, qui nequit comprehendere pacem, qua Deus nos diligit. Ambrosius tamen Primasius, & alij interpretantur, vt in paraphrasi, & id confirmat verbum, quod Græcè est φρουρήσει, & significat custodiam, quæ obsessis ciuitatibus adhiberi solet.

14. Custodire in Christo, idem est, quod ne excidatis à Christo.

15. *Refloruistis*, metaphora est arborum, quæ postquam infructiferæ fuerunt tota hyeme, incipiunt reflorere adueniente æstate, vt iterum fructificent: sic enim contigit Philippensibus qui intermiserant officium subueniendi Paulo in suis necessitatibus. Dicit ergo, *refloruistis pro me sentire*, hoc est, vt sentiretis, vel curam de me haberetis. vel cura de me in vobis iterum floruit, quæ mortua videbatur. Sentire Græcè φρονεῖν est curam agere.

16 Excusat eorum intermissionem, ne ipsorum culpæ illam tribuisse videatur.

17. Incipit explicare causam gaudij vsque ad num. 20.

18. *Sufficiens esse*, quasi passiuè accipiendum est, ac si diceret, sufficienter mihi prouisum puto rebus, quas ad manus habeo.

19. Præpositio *in*, significat idem, quod *per*, id quod frequens est apud Paulum, vt in Epist. ad Rom. & Galat. vidimus.

20. Num.

20. Num. 17. dixerat se non gaudere de ipsorum eleemosynis,quod paupertatem ægrè ferret,restabat,vt ostenderet causam,ob quam gaudebat, hanc verò explicat in hoc num. & ideo suppleuimus illud *gauisus sum*, vt sensus cum præcedentibus connecteretur.

21. Non ait, subleuantes inopiam, sed communicantes, vt in paraphrasi,quo virtutem ostendit eleemosynæ.

22. Totus iste numerus suppleri debet,nam quæ sequuntur num. 23. sunt ad probandum, quod à num. 17. proposuerat: sic enim videtur contextus optimè cohęrere,non autem si referantur,quæ dicit in n.25. vel ad remouendam à se suspicionem, quod nimium acciperet, vt aliqui volunt: aut ad temperandum correptionem, quam superius quidam putant posuisse num. 15. iuxta Græcorum expositionem.

23. Iste numerus cum præcedenti optimè connectit totam epistolæ contexturam.

24. Hic aliqui volunt esse correctionem eius,quod dixerat,vt ostendat Paulus illud dixisse non sui gratia, sed illorum. Verum nullo modo placet mihi series, & contextus, nisi hîc intelligamus illationem ex præcedentibus,quam proposuerat,nu. 17. probandam.

25. *In vestram vtilitatem*, interpretati sumus quod Paulus dixit, *in vestram rationem*.

26. Verbum Græcum ἀπέχω, plus quàm habere significat, nimirum recipere ab aliquo veluti censum, & redditum ex agris, ideò autem eo vsus est Apostolus,vt ostendat, quæ Philippenses ad ipsum miserant,debita ei fuisse,vt notant Patres Græci.

27. OEcumenius sic interpretatur *abundo*, hoc est,plura,quàm suscepta sunt,me recepisse duco; hoc modo, aut eo, quem in paraphrasi sequuti sumus,ciuiliter,& humaniter dictum est ab Apostolo.

28. In Græco non est præpositio *in*, sed appositiuè ponitur, & sensus est,vt in paraphrasi.

29. Græca exemplaria, quæ nunc habemus, pro desiderio habent χρείαν, hoc est,necessitatem, & Græci Patres interpretantur hoc modo,vt hic Paulus precetur illis sufficientiam,quasi dicat:ego sum repletus vestris beneficiis,Deus suppleat indigentiã vestram. Verùm Chrys. fatetur exemplaria variare, & quædam habere χάριν, hoc est, gaudium,quædam χάριν, hoc est,beneficium,studium,meritum, & vtroque modo optimè quadrat sensus, quem in paraphrasi sequuti sumus, vt scilicet hic Philippensibus Paulus precetur æternam fœlicitatem pro beneficio accepto, vt ita Deus impleat meritum ipsorum, vel studium,aut quod perinde est,desiderium.

30. Gloriam aliqui referunt ad eam, quæ est in hoc mundo, vt Paulus precetur illis gloriam apud alios ex bono opere, quod illos faciat

k 2 glorio-

gloriosos, & admirabiles. Ceterum parum videtur hoc illis deprecari, maximè si sequamur lectionem nostram, vt num. superiori notauimus.

31. Illud *in Christo* non est intelligendum, ita vt fiat noua applicatio meritorum Christi merito ipsorum ad consequendam gloriam, sed vt merito Christi donetur illis perseuerantia, vt deinde meritum hoc æterna gloria remunerari possit. De qua applicatione meritorum Christi multa dixi 1. 2. disput. 222. capit. 3.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

ARGVMENTVM TOTIVS EPISTOLAE.

Congratulatur inprimis Colossensium fidei in Christo, & maiores in ea profectus ipsis precatur, & obiter prædicata Christi excellentia, cuius se ait ministrum esse, hortatur, vt à Pseudo Prophetis caueant; qui vana quadam somniorum superstitione ad Iudaicas ceremonias eos pertrahere conabantur, & quam vitæ rationem tenere debeant, demonstrat.

Digitized by Google

ARGVMENTVM
CAPITIS IV.

OStendit suum erga Colossenses amorem, quo maiorem in Deo gratiam illis quotidie desiderat, & à Deo postulat: atq; excellentiam Christi, à quo omnia bona acceperunt, commendat: & qua ratione minister illius sit, ipsis exponit.

CAPVT I.

1 PAulus Apostolus Iesu Christi
per voluntatem Dei, & Timo-
2 theus frater: iis qui sunt Colossis,
sanctis, & fidelibus fratribus in
Christo Iesu. Gratia vobis, & pax
à Deo Patre nostro, & Domino
3 Iesu Christo. Gratias agimus Deo
& Patri Domini nostri Iesu Chri-
4 sti, semper pro vobis orantes, au-
dientes fidem vestram in Christo
Iesu, & dilectionem quam habe-
5 tis in sanctos omnes, propter
spem, quæ reposita est vobis in
in cœlis; quam audistis in verbo
6 veritatis Euangelij: Quod perue-
nit ad vos, sicut & in vniuerso
mundo est, & fructificat & crescit
sicut & in vobis, ex ea die qua au-
distis, & cognouistis gratiam Dei
7 in veritate; sicut didicistis ab Epa-
phra charissimo conseruo no-
stro, qui est fidelis pro vobis mi-
nister

PARAPHRASIS.

PAulus 1 voluntate Dei Apostolus Iesu Christi, & Timotheus frater eius Colossensibus sanctis, & fidelibus fratribus merito Christi Iesu hanc mittunt epistolam. 2 Gratia vobis, & pax sit à Deo Patre nostro. Gratias agimus Deo, dum pro vobis oramus intellecta fide vestra in Christo Iesu, & dilectione, quam erga fideles omnes habetis ob spem vobis in cœlis repositam, quam verbo prædicationis euangelicæ, quæ ad vos peruenit, audistis. 3 Quẽadmodum in vniuerso mundo, vbi iam est, fructificat non secus atque in vobis fructum facere cœpit, ex quo illam audistis, prout edocti in ea fuistis ab Epaphra qui est fidelis pro vobis apud Deum Iesum Christum minister, à quo de spirituali vestra charitate certiores facti sumus. Quapropter ex qua die illam audiuimus, non cessamus pro

8 nister Christi Iesu, Qui etiam ma-
nifestauit nobis dilectionem ve-
9 stram in Spiritu. Ideo & nos ex
qua die audiuimus, non cessamus
pro vobis orantes, & postulantes,
vt impleamini agnitione volun-
tatis eius, in omni sapientia & in-
10 tellectu spiritali: vt ambuletis di-
gnè Deo per omnia placentes, in
omni opere bono fructificantes,
11 & crescentes in scientia Dei; in
omni virtute confortati secun-
12 dum potentiam claritatis eius, in
omni patientia, & longanimitate,
cum gaudio gratias agentes Deo
Patri qui dignos nos fecit in par-
tem sortis Sanctorum, in lumine;
13 qui eripuit nos de potestate tene-
brarum, & transtulit in regnum
14 filij dilectionis suæ; in quo habe
mus redemptionem per sangui-
nem eius, & remissionem pecca-
15 torum, qui est imago Dei inuisi-
bilis, primogenitus omnis crea-
16 turæ: quoniam in ipso condita
sunt vniuersa in cœlis, & in terra,
visibilia, & inuisibilia, siue throni,
siue dominationes, siue principa-
tus, siue potestates; omnia per ip-
17 sum, & in ipso creata sunt; & ipse
est ante omnes, & omnia in ipso
18 constant: & ipse est caput corpo-
ris Ecclesiæ, qui est principium,
primogenitus ex mortuis: vt sit in
19 omnib. ipse primatū tenens, quia
in ipso complacuit omnem ple-
nitudinē diuinitatis inhabitare: &
per eū reconciliare omnia in ipso,
paci-

pro vobis 4 orare, & postulare, vt perfectè cognoscatis voluntatem Dei, ad hoc vt ambuletis coram Deo sicut dignum est, in omnibus illi placentes, & in omni bono opere fructificantes, crescentes indies in scientia Dei. & 5 abundanti potentia corroborati, secundum robur 6 gloriæ ipsius in 7 magna patientia, & longanimitate cum lætitia gratias agentes Deo Patri, qui idoneos nos fecit, vt participaremus sortem, & hereditatem sanctorum per fidem, & lumen Euangelij, 8 qui eripuit nos de potestate errorum, & tyrannide diaboli, & transtulit in regnum Filij sui dilecti, per quem redemptionem hanc, & peccatorum remissionem consequuti sumus: qui est imago Dei 9 inuisibilis, & ante 10 omnes creaturas. Per ipsum enim condita sunt vniuersa, quæ in cœlis, & in terra sunt, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum initium sumpserunt, & 11 propter ipsum creata sunt, & ipse ante omnes creaturas est, & omnes eius virtute conseruantur: ipse est 12 caput corporis Ecclesiæ, qui est 13 principium illius, primus, qui ad vitam immortalem inter omnes resurrexit, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, eo quod placuit æterno Patri in ipso esse omnem 14 plenitudinē diuinitatis, potestatis, & gratiæ, & per eū omnia sibi reconciliare, 15 pace composita inter

Digitized by Google

pacificans per sanguinem eius, si-
ue quæ in terris, siue quæ in cœlis
21 sunt. Et vos cum essetis aliquan-
do alienati, & inimici sensu, in o-
22 peribus malis: nunc autem re-
conciliauit in corpore carnis eius
per mortem, exhibere vos san-
ctos, & immaculatos, & irrepre-
23 hensibiles coram ipso: si tamen
permanetis in fide fundati, & sta-
biles, & immobiles à spe Euāgelij,
quod audistis, quod prædicatū est
in vniuersa creatura, quæ sub cœ-
lo est, cuius factus sum ego Pau-
24 lus minister. Qui nunc gaudeo in
passionibus pro vobis, & adim-
pl-o ea, quæ desunt passionum
Christi, in carne mea pro corpo-
25 re eius, quod est Ecclesia: cuius
factus sum ego minister secun-
dum dispensationem Dei, quæ
data est mihi in vobis, vt impleam
26 Verbum Dei: mysterium, quod
absconditum fuit à seculis, & ge-
nerationibus, nunc autem mani-
27 festatum est sanctis eius, quibus
voluit Deus notas facere diuitias
gloriæ sacramenti huius in Gen-
tibus, quod est Christus, in vobis
28 spes gloriæ, quem nos annuntia-
mus, corripientes omnem homi-
nem, & docentes omnem homi-
nem in omni sapientia, vt exhi-
beamus omnem hominem per-
29 fectum in Christo Iesu, in quo &
laboro, certando secundum o-
perationem eius, quam operatur
in me in virtute.

*inter cœlestia, & terrestria. Vos et-
iam cum aliquando abalienati ab illo
essetis, & propter vestra opera mala
16 mente ei essetis inimici, ipse sibi
reconciliauit per mortem in corpore
suo 17 mortali, vt exhiberet vos
sanctos, & immaculatos, & irrepre-
hensibiles apud se, ita 18 tamen vt
permaneatis in fide fundati, & stabi-
les, nec moueamini à spe, quam con-
cepistis ex Euangelio, quod audistis,
& prædicatum est in 19 vniuerso
orbe. Cuius prædicationis factus sum
ego Paulus minister, qui nunc gau-
deo, quòd tot afflictiones vestri cau-
sa patior, quibus quidem in prædica-
tione Euangelij in me ipso perpessis
20 impleo, quod deerat 21 passioni
Christi, vt fructus eius per laborem
prædicationis Euangelicæ ad corpus
Ecclesiæ perueniat, dum ex auditu il-
lius fidem singuli concipientes iustifi-
cantur, cuius quidem Ecclesiæ factus
sum ego minister, secundum œcono-
miam, & dispensationem, quæ mihi
à Deo erga vos concessa est, vt per-
fectè 22 annuntiem Euangelium,
23 hoc est, mysterium, quod abscon-
ditum fuit ab initio mundi vsq; mo-
do; nunc autem manifestatum est
sanctis, & fidelibus eius, quibus vo-
luit Deus notas facere 24 diuitias
gloriæ sacramenti huius inter Gen-
tes, quod quidem Sacramentum est
Christus ipse in vobis, & à vobis cre-
ditus, in quo repositam habetis spem
vestram, quem & nos annuntiamus*

corri-

Digitized by Google

corripientes, & docentes omnem hominem magna sapientia, & doctrina, vt perfectum ipsi reddamus. In qua re laboro, & enitor secundum efficaciam, & virtutem, quæ potenter in me miracula ad hunc effectum operatur.

ANNOTATIONES.

1. Primam, & secundam periodum aliqui ita coniungunt, *Paulus, & Timotheus Colossensibus salutem dicunt*: verum sensus paraphrasis mihi magis probatur, vt notaui in epist. ad Rom. c. 1. nu. 4.

2. Secunda periodo precatur illis non salutem more aliorum hominum, sed more Christianorum gratiam, & benedictionem Dei.

3. Græcè est διάκονος, non tamen est ordo nominis, sed officij.

4. Participia Græca hoc loco secundum phrasin Græcam pro infinitiuis ponuntur.

5. Illud *omnis*, eo loco significat abundantiam potentiæ: porrò illud *virtute*, non debet coniungi cum *confortati*; sed cum præcedentibus, nam postea sequitur, *secundum potentiam claritatis eius*, virtus enim Græcè est δύναμις, idem, quod Latinè *potentia*.

6. Claritas hic idem est, quod gloria; Græcè habetur δόξα, appellauit verò potentiam gloriæ ipsius magnam aliquam potentiam, in qua gloria Dei maximè relucet.

7. Hic etiam *omnis*, idem est, quod *magna*.

8. Quidam putant Apostolum loquutum de potestate dæmonum, qui in hoc aere caliginoso habitant, vt ad Ephes. 6. alij de tenebris errorum, vt ad Ephes. 5. sed idem omnino regnum est, hoc loco. Vtitur Concil. Trident. Sessiоn. 6. cap. 3. & 4. & censet eo describi impij iustificationem. De quo plura 1. 2. disput. 204. c. 3. vbi contra Scotum ex hoc loco, & explicatione Concilij probauimus iustificationem nostram non esse duos motus eo modo, quo ille putauit.

9. Vox *inuisibilis*, ad Deum refertur, non ad imaginem.

10. Legendum est *ante omnia*, vel suppleri debet *creaturas*, referunt autem omnes ad diuinitatem.

11. Illud *in ipso*, quidam explicant, vt significet idem, quod *per*, & denotat causam conseruationis: verùm cum iterum dicat, *& omnia in ipso constant*, placuit explicare per modum causæ finalis, præsertim cum in Græco dicatur εἰς αὐτόν, hoc est, *in ipsum*: nam supra, vbi vulgatus legit *in ipso* condita sunt, Græcè habetur ἐν αὐτῷ, hoc est, *in ipso*.

12. Quomodo Christus sit caput Ecclesiæ, explicaui 3. part. disp. 48. & quamuis Græci intelligant hoc loco Christum dici ab Apostolo ca-

put secundum diuinitatem, verum cum postea ipsum appellet primogenitum ex mortuis, & plura alia, quæ non possunt intelligi, nisi de Christo secundum humanitatem, illud etiam, quod de capite dicitur, ad ipsum referri debet.

13. Cum dicit *principium* explicat, quomodo sit caput Ecclesiæ, quia est principium illius, id quod inferius magis declarat.

14. Plenitudinem alij intelligunt diuinitatis, alij potestatis, & gratiæ: verùm cum sit eadem, ex plenitudine enim diuinitatis habuit plenitudinem gratiæ, & potestatis, meritò in paraphrasi vtranque complexi sumus.

15. Quæ fuerit ista pax inter cœlestia, & terrestria, explicauimus 3. par. disp. 111. cap. 1.

16. Cum dicit *sensu*, intelligit non corporeum, sed mentis, Græcè enim est διάνοια.

17. Corpus carnis appellat corpus mortale, iuxta illud ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ*, hoc est, mortalitatis.

18. Particula *si tamen*, non est dubitantis, sed ex phrasi explicat, quid sit necessarium, vt immaculati sint coram Deo.

19. Hyperbole est, & significat in maxima parte orbis terrarum fuisse Euangelium prædicatum,

20. Aliqui passiones Christi hic intelligi putant passiones Ecclesiæ, quas Christus suas esse dicit, vnde Paulus dicebatur implere ea, quæ deerant passionibus Christi, hoc est, Ecclesiæ. Alij sic interpretantur, postquam Christus pro nobis passus est, nihil aliud superest, nisi vt nos patiamur, iuxta illud 1. Petr. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*: sic enim quisque implet, quod deest passionibus Christi ex parte sua. Alij hinc colligunt thesaurum Ecclesiæ ex sanctificationibus Sanctorum, quòd dicat *pro corpore eius, &c.* planior tamen est sensus paraphrasis, cum semper id referat Paulus ad ministerium prædicationis.

21. Hic idem significat *impleam*, quod docere, & prædicare.

22. Per appositionem intelliguntur illa verba, quod indicat particula Græca ὅ.

23. Addit exaggerationem exaggerationi.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAPITIS II.

DEclarato suo erga Colossenses affectu, & solicitudine hortatur eos in fide Christi persistere, & à Pseudo Apostolorum doctrina, qui ceremonias legis introducere conabantur, cauere.

CAPVT II.

1 VOlo enim vos scire, qualem
solicitudinem habeam pro
vobis, & pro iis, qui sunt Laodi-
ciæ, & quicunque non viderunt
2 faciem meam in carne: vt conso-
lentur corda ipsorum, instructi
in charitate, & in omnes diuitias
plenitudinis intellectus, in agni-
tionem mysterii Dei Patris, &
3 Christi Iesu; in quo sunt omnes
thesauri sapientiæ,& scientiæ ab-
4 sconditi. Hoc autē dico,vt nemo
vos decipiat in sublimitate sermo
5 num. Nam etsi corpore absens
sum,sed spiritu vobiscū sum;gau-
dens,& videns ordinem vestrum,
& firmamentum eius, quæ in
6 Christo est, fidei vestræ. Sicut er-
go accepistis Iesum Christum
7 Dominum nostrum, in ipso am-
bulate,radicati, & superædificati
in ipso, & confirmati in fide,sic-
ut & didicistis,abundantes in illo
8 in gratiarum actione. Videte ne

PARAPHRASIS.

DIxi me laborare in Euangelij prædicatione: cupio 1 enim non solum vobis, sed etiam omnibus, 2 qui adhuc faciem meam non viderunt, cognitam esse 3 solicitudinem meam, & curam, quam de Colossensibus, & Laodicensibus habeo, vt seipsos 4 consolētur instructi in charitate, vsque ad plenißimam intelligentiam, & agnitionem mysterij Dei, & Patris, & Christi Iesu, in 5 quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Hoc autem est meum desiderium, 6 hæc mea solicitudo, vt nemo vos 7 seducat verbis 8 artificiosis, nam etsi corpore absens sim, mente tamen, & spiritu semper adsum, & summopere gaudeo, cognoscens quam rectum inter vos seruetis ordinem, & quam sit firma fides vestra, quam habetis in Christo: ideo ergo licet 9 corpore absens, mente tamen, & cogitatione præsens maxime solicitus sum, vt hunc ordinem,

Digitized by Google

quis vos decipiat per philosophi-
am, & inanem fallaciam, secun-
dum traditionem hominum, se-
cundum elementa mundi, & non
9 secundum Christum: quia in ipso
inhabitat omnis plenitudo diui-
10 nitatis corporaliter: & estis in illo
repleti, qui est caput omnis prin-
11 cipatus, & potestatis: in quo &
circuncisi estis circuncisione non
manu facta in expoliatione cor-
poris carnis; sed in circuncisione
12 Christi; consepulti ei in Baptis-
mo, in quo & resurrexistis per fi-
dem operationis Dei, qui susci-
13 tauit illum à mortuis. Et vos cùm
mortui essetis in delictis, & præ-
putio carnis vestræ, conuiuifica-
uit cum illo, donans vobis omnia
14 delicta. Delens quod aduersus
nos erat, chirographum decreti,
15 quod erat contrarium nobis, &
ipsum tulit de medio, affigens il-
lud cruci: & expolians principa-
tus, & potestates, traduxit confi-
denter palàm, triumphans illos
16 in semetipso. Nemo ergo vos iu-
dicet in cibo, aut in potu, aut in
parte diei festi: aut neomeniæ,
17 aut sabbathorum: quæ sunt vm-
bra futurorum; corpus autem
18 Christi. Nemo vos seducat, vo-
lens in humilitate, & religione
angelorum, quę non vidit ambu-
lans, frustra inflatus sensu carnis
19 suæ, & non tenens caput, ex quo
totum corpus per nexus, & con-
iunctiones subministratũ, & con-
stru-

quem cepistis, seruetis, & hanc fidem
retineatis. Sic ergo de reliquo in Chri-
sto ambulate, sicut ipsum accepistis,
mittentes in ipso altas radices, ipsi
tanquam firmissimo fundamento in-
nixi, & in fide confirmati crescite in
modum ædificij iuxta eam, quam di-
dicistis doctrinam, diuites, & abun-
dantes in illo 10 *facti per gratia-*
rum actionem. Cauete, ne quis vos
11 *decipiat Philosophicis, & fallaci-*
bus argutiis, quæ tota sitæ sunt in ho-
minum traditione, & consuetudine
iuxta legis 12 *Mosaicæ ceremonias,*
quæ non sunt Christi Euangelio con-
sentaneæ, ideò ergo cauere debetis: in
ipso 13 *enim Christo tota diuinita-*
tis plenitudo est, & vos gratia quo-
que, & donis cœlestibus estis repleti
virtute illius, qui est caput omnis
principatus, & potestatis, per quē et-
iam circuncisi estis circuncisione non
carnis humanæ manu facta, sed cir-
cuncisione Christi spirituali, in mo-
dum illius 14 *sepulti in Baptismo,*
dum renunciastis carnis operibus, cu-
ius etiam virtute instar illius in no-
uam vitam surrexistis per fidem, qua
credidistis virtutem Dei efficacem,
qua Christum suscitauit à mortuis. Et
cum essetis mortui delictis, & 15
concupiscentiis vestris carnalibus,
vos 16 *viuificauit, sicut illum à*
morte corporali suscitauit gratia sua,
17 *remittens nobis peccata, delens*
etiam per 18 *fidem* 19 *chirogra-*
phum, quod nos reos efficiebat, &
ipsum

Digitized by Google

ſtructum, creſcit in augmentum
20 Dei. Si ergo mortui eſtis cum
Chriſto, ab elementis huiusmun-
di: quid adhuc tanquam viuen-
21 tes in mundo decernitis? Ne te-
tigeritis, neq; guſtaueritis, neque
22 contrectaueritis: quæ ſunt om-
nia in interitum ipſo vſu, ſecun-
dum præcepta, & doctrinas ho-
23 minum: quæ ſunt rationem qui-
dem habentia ſapientiæ in ſuper-
ſtitione, & humilitate, & non ad
parcendum corpori, non in ho-
nore aliquo ad ſaturitatem car-
nis.

ipſum abſtulit, cruceque, & ſanguine ſuo 20 abrogauit, & dæmones exutos imperio atque poteſtate cum magna fiducia in modum triumphi, 21 propria ſua virtute circunduxit. 22 Ne ſinatis ergo vos ab aliquo condemnari ob ſuperſtitiones cibi, & potus, aut 23 ob partem diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbathorum; quæ cum ſint ceremoniæ legis Moyſis, & vmbra Chriſti venturi, Chriſtus autem 24 ipſa veritas adumbrata, & ſignificata, non ſunt retinendæ, ipſa iam præſente veritate. 25 Nemo vos ſeducat volens in humilitate quadam, & religione angelorum 26 apparere, & ambulans 27 in his, quæ nunquã vidit, ſed è ſuo cerebro confinxit tumens iudicio, & 28 intellectu proprio, nec bene connexus capiti ſuo Chriſto, ex quo totum corpus per iuncturas 29 ſubminiſtrato ſpiritu, & incremento creſcit ſecundum Deum. Si ita renunciaſtis in Baptiſmo Iudaicis ceremoniis, vt illis ſitis mortui, quid adhuc tanquam ſi illis viueretis, & eas profeſſi eſſetis, dogmatizatis, & decernitis, talem rem 30 non eſſe tangendam, neque guſtandam, nec contrectandam, tanquam immundam, ſequuti in hoc hominum 31 doctrinas & præcepta, cum hæc omnia, 32 quæ ad cibum, & potum pertinent, tam parui momenti ſint, vt ipſo vſu pereant? 33 Quæ obſeruationes, & ceremoniæ habent rationem mundanæ ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate in eo, quod negatur corpori alimentum, nec honoratur debita ſuſtentatione, & ſaturitate carnis.

ANNOTATIONES.

1. Cauſalis illa *enim* reddit cauſam eius, quod proximè præceſſerat in præcedente cap. quod maioris claritatis cauſa in initio cap. ſuppleuimus.

2. Illud, *& quicunque non viderunt* coniungendum videtur eo modo, quo in paraphraſi: coniungi etiam poteſt cum illo, *& pro iis, qui ſunt Laodiceæ*, hoc modo, *& pro omnibus quicunque non viderunt faciem meam.*

3. Græcè eſt vox ἀγῶνα, quam quidam putant ſignificare certamen:

ceterum ſolicitudinem etiam ſignificat apud Herodianum 2. lib.

4. Si verbum *conſolentur* ſumeretur paſsiuè, dicendum eſſet *inſtructorum*, nam & Græcè eſt συμβιβασθέντων; verùm cum dicat *inſtructi*, verbum debet accipi actiuè, vtroque autem modo idem ſenſus eſt, vt in paraphraſi: & illud *ipſorum corda*, idem ſignificat, atque *ſua corda*.

5. Dicit, *in quo ſunt omnes theſauri, &c.* vel quia Chriſtus præditus eſt omnium rerum ſcientia, vel quia in fide, quam de Chriſto habemus, reconditi ſunt theſauri veræ ſcientiæ.

6. Speciatim explicat, quæ ſit eius ſolicitudo.

7. Græcè eſt verbum παραλογίζομαι, quod ſignificat argumentis decipere aliquem.

8. Græcè eſt πιθανολογία, quæ eſt vox ſcholæ, ſicut præcedens: itaque non alludit Paulus ad eloquentiam, ſed ad captioſam argumentationem, id quod deinde repetit, cum dicit per philoſophiam, & inanem fallaciam.

9. Repetit id, quod dixerat oſtendens qualem ſolicitudinem habeat, etiam ſi abſens ſit.

10. Græcè eſt ἐν αὐτῇ, hoc eſt, in ea, refertur ad fidem, & Latina quædam exemplaria ſic habent; ſenſus autem eſt idem vtroque modo.

11. Græcè eſt verbum συλαγωγέω, aliud quidem, quam nu. 7. ſignificat autem deprædari; & quia deceptio eſt quoddam genus deprædationis, eo rectè vſus eſt Paulus.

12. *Elementa*, quidam interpretantur rudimenta prima Philoſophiæ mundanæ, quæ tradebant Gnoſtici, & Simoniaci ex ſchola Platonis: nos interpretati ſumus ceremonias legis Moyſis, quas etiam ad Galatas, & iterum in hoc cap. appellauit elementa.

13. Particula *enim* cauſam reddit, cur cauere debeant, ideò claritatis gratia pauca verba ſuppleuimus.

14. Quo pacto in Baptiſmo Chriſto conſepeliamur, & in nouam vitam reſurgamus optimè explicat Apoſt. ad Rom. 6.

15. *Præputium carnis* intelligit, non materiale, & corporeum, ſed concupiſcentias, quæ ſunt ſuperfluitates.

16. Verbum *conuiuificauit*, ſignificat ſimilitudinem ſecundum quam, ſicut Chriſtus ſurrexit virtute Dei, ſic etiam & nos eiuſdem virtute in Baptiſmo ad vitam reuocamur.

17. Participium *condonans*, non ſignificat meram imputationem ſine dono iuſtificante, quod inhæreat; ſed gratiam, qua illud donatum eſt, vt eo peccata remittantur, ſupra quod, qui vllam imputationem admittunt, hæreticis non parum fauent.

18. Græcè eſt τοῖς δόγμασιν, id eſt, decretis, ſic legunt Græci Patres cum Chryſoſtomo & Auguſt. & Hieronymus: per decreta verò intelligunt

Digitized by Google

ligunt dogmata fidei; ac si dicat, ipsa fide deletum fuisse chirographum: vulgata verò emendata legit *decreti*, & debet referri ad chirographum, vt dicatur chirographum decreti, vel quia fuit sententiæ, vel quia fuit pœnæ statutæ in lege, vel quia fuit pacti initi cum Deo, vt in sequenti notatione dicemus.

19. Chirographum aliqui intelligunt sententiam mortis æternæ latam Genes. 2. ita Chrysostomus, Theophylactus, & OEcumenius, alij decalogum, eo quod in ipso apposita est pœna non obseruantibus; quod mihi magis placet: sic Adamus, & recentiores: qui cum non obseruaretur, erat veluti chirographum contra nos, indicans nos reos esse pœnæ: dicitur autem deletum, quatenus pœnam continet, eo quod fides tribuit vires obseruandi legem, ex quo omnis pœnæ condemnatio cessat. Alij per chirographum intelligunt pactum factum à Moyse Exodi 19. cum Deo pro populo de seruanda lege, sic Chrysostomus, Theophylactus, & OEcumen. dicitur autem deletum à Christo ob eandem rationem, quia seruata lege ex gratia Christi iam amplius nullam vim contra nos habere potest ad damnationem: quare verò de tempore, quo Christus passus est, hæc dicantur, cum tamen ante aduentum meritis ipsius donata fuerit gratia ad seruandam legem, diximus 3. part. disp. 77. cap. 6. hæc autem expositio cum nostra conuenit, & eadem est, quia pactum cum Moyse fuit lex ipsa cum pœnæ comminatione.

20. Verbum *affixit*, significat abrogationem factam.

21. *In semetipso*, significat propria virtute. Circa hunc locum in disp. 111. cap. 2. satis dictum est. Notandum verò est omnia illa participia referri ad Deum, non ad Christum secundum humanitatem, dixerat enim *conuiuificauit cum illo*, hoc est, cum Christo.

22. Iam magis speciatim ostendit, à quo cauere debeant: hactenus enim digressionem fecerat, ostendens, quantum deberent Deo, & meritis Christi, vt inde eos à falsa doctrina, ad quam eos alij inducere conabantur, reuocaret: hæc autem falsa doctrina erat in seruandis ceremoniis, vt latè ostendi 3. part. disp. 112. cap. 6. Dicit autem, *nemo iudicet*, hoc est, condemnet, eo quod si ipsi non profiteantur has seruare ceremonias, nemo eos condemnabit, quod sic, aut sic eas non obseruauerint.

23. *Partem* dicit, quia non omnino, sed ex parte ipsis suadere conabantur, vt iudaizantes ceremonias.

24. *Corpus* hic sumitur pro veritate ipsa, nam vmbra non est res, sed similitudo illius, res autem est corpus ipsum, quod vmbram efficit, inde autem sumit argumentum, vt iam cessare debeant ceremoniæ, quod nos in paraphrasi expressimus.

25. Pro-

Digitized by Google

9. Latini subintelligunt causalem *enim*, quæ optimè quadrat contextui, Græci verò inde nouam periodum incipiunt.

10. Illud *in omni*, non debet coniungi cum oratione, est enim in Græco ἐν παντὶ, quod est neutrius generis: Vt autem coniungeretur cum oratione, quæ Græcè etiã est fœminini, nempe προσευχὴ deberet esse πάσῃ quare Græcanica scholia addunt πράγματι, hoc est, *re*, ac si dicat, in omni re.

11. *Petitiones* hoc loco desiderium, non orationem, & postulationem significant, nam postulatio ab oratione non distinguitur. Quare si orationes significaret, frustra dixisset, *Oratione petitiones vestræ innotescant, &c.* perinde enim esset, atque dicere, oratione oratio vestra innotescat: nec verò significat desiderium, & affectum ipsum voluntatis secundum se, sed rem desideratam, & petitam, hæc enim dicitur etiam desiderium: vnde obtinere dicitur petitionem, hoc est, rem petitam.

12. Illud, *in gratiarum actione*, non debet coniungi cum præcedentibus, quamuis enim oratione Deo manifestamus id, quod desideramus, id tamen non fit per gratiarum actionem, quæ est pro re obtenta, sed dicit *cum gratiarum actione*, quia post orationem illa adiungenda est pro beneficiis collatis.

13. Huius pacis meminit Dominus in Euangelio Ioan. c. 14 cum dixit, *Pacem meam relinquo vobis*. cùm verò dicit, *exuperat omnem sensum*. August. intelligit de intellectu humano, & Angelico, qui nequit comprehendere pacem, qua Deus nos diligit. Ambrosius tamen Primasius, & alij interpretantur, vt in paraphrasi, & id confirmat verbum, quod Græcè est φρουρήσει, & significat custodiam, quæ obsessis ciuitatibus adhiberi solet.

14. Custodire in Christo, idem est, quod ne excidatis à Christo.

15. *Refloruistis*, metaphora est arborum, quæ postquam infructiferæ fuerunt tota hyeme, incipiunt reflorere adueniente æstate, vt iterum fructificent: sic enim contigit Philippensibus qui intermiserant officium subueniendi Paulo in suis necessitatibus. Dicit ergo, *refloruistis pro me sentire*, hoc est, vt sentiretis, vel curam de me haberetis, vel cura de me in vobis iterum floruit, quæ mortua videbatur. Sentire Græcè φρονεῖν est curam agere.

16 Excusat eorum intermissionem, ne ipsorum culpæ illam tribuisse videatur.

17. Incipit explicare causam gaudij vsque ad num. 20.

18. *Sufficiens esse*, quasi passiuè accipiendum est, ac si diceret, sufficienter mihi prouisum puto rebus, quas ad manus habeo.

19. Præpositio *in*, significat idem, quod *per*, id quod frequens est apud Paulum, vt in Epist. ad Rom. & Galat. vidimus.

20. Num.

20. Num. 17. dixerat se non gaudere de ipsorum eleemosynis, quod paupertatem ægrè ferret, restabat, vt ostenderet causam, ob quam gaudebat, hanc verò explicat in hoc num. & ideo suppleuimus illud *gauisus sum*, vt sensus cum præcedentibus connecteretur.

21. Non ait, subleuantes inopiam, sed communicantes, vt in paraphrasi, quo virtutem ostendit eleemosynæ.

22. Totus iste numerus suppleri debet, nam quæ sequuntur num. 23. sunt ad probandum, quod à num. 17. proposuerat: sic enim videtur contextus optimè cohęrere, non autem si referantur, quæ dicit in n. 25. vel ad remouendam à se suspicionem, quod nimium acciperet, vt aliqui volunt: aut ad temperandum correptionem, quam superius quidam putant posuisse num. 15. iuxta Græcorum expositionem.

23. Iste numerus cum præcedenti optimè connectit totam epistolæ contexturam.

24. Hic aliqui volunt esse correctionem eius, quod dixerat, vt ostendat Paulus illud dixisse non sui gratia, sed illorum. Verum nullo modo placet mihi series, & contextus, nisi hic intelligamus illationem ex præcedentibus, quam proposuerat, nu. 17. probandam.

25. *In vestram vtilitatem*, interpretati sumus quod Paulus dixit, *in vestram rationem*.

26. Verbum Græcum ἀπέχω, plus quàm habere significat, nimirum recipere ab aliquo veluti censum, & redditum ex agris, ideò autem eo vsus est Apostolus, vt ostendat, quæ Philippenses ad ipsum miserant, debita ei fuisse, vt notant Patres Græci.

27. OEcumenius sic interpretatur *abundo*, hoc est, plura, quàm suscepta sunt, me recepisse duco; hoc modo, aut eo, quem in paraphrasi sequuti sumus, ciuiliter, & humaniter dictum est ab Apostolo.

28. In Græco non est præpositio *in*, sed appositiuè ponitur, & sensus est, vt in paraphrasi.

29. Græca exemplaria, quæ nunc habemus, pro desiderio habent χρείαν, hoc est, necessitatem, & Græci Patres interpretantur hoc modo, vt hic Paulus precetur illis sufficientiam, quasi dicat: ego sum repletus vestris beneficiis, Deus suppleat indigentiā vestram. Verùm Chrys. fatetur exemplaria variare, & quædam habere χάραν, hoc est, gaudium, quædam χάριν, hoc est, beneficium, studium, meritum, & vtroque modo optimè quadrat sensus, quem in paraphrasi sequuti sumus, vt scilicet hic Philippensibus Paulus precetur æternam fœlicitatem pro beneficio accepto, vt ita Deus impleat meritum ipsorum, vel studium, aut quod perinde est, desiderium.

30. Gloriam aliqui referunt ad eam, quæ est in hoc mundo, vt Paulus precetur illis gloriam apud alios ex bono opere, quod illos faciat

Digitized by Google

gloriosos,& admirabiles. Ceterum parum videtur hoc illis deprecari, maximè si sequamur lectionem nostram, vt num. superiori notauimus.

31. Illud *in Christo* non est intelligendum, ita vt fiat noua applicatio meritorum Christi merito ipsorum ad consequendam gloriam, sed vt merito Christi donetur illis perseuerantia, vt deinde meritum hoc æterna gloria remunerari possit. De qua applicatione meritorum Christi multa dixi 1. 2. disput. 222. capit. 3.

EPISTOLA B. PAVLI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

ARGVMENTVM TOTIVS EPISTOLAE.

Congratulatur inprimis Colossensium fidei in Christo, & maiores in ea profectus ipsis precatur, & obiter prædicata Christi excellentia, cuius se ait ministrum esse, hortatur, vt à PseudoProphetis caueant; qui vana quadam somniorum superstitione ad Iudaicas ceremonias eos pertrahere conabantur, & quam vitæ rationem tenere debeant, demonstrat.

Digitized by Google

8 nister Christi Iesu, Qui etiam ma-
nifestauit nobis dilectionem ve-
9 stram in Spiritu. Ideo & nos ex
qua die audiuimus, non cessamus
pro vobis orantes, & postulantes,
vt impleamini agnitione volun-
tatis eius, in omni sapientia & in-
10 tellectu spiritali: vt ambuletis di-
gnè Deo per omnia placentes, in
omni opere bono fructificantes,
11 & crescentes in scientia Dei; in
omni virtute confortati secun-
12 dum potentiam claritatis eius, in
omni patientia, & longanimitate,
cum gaudio gratias agentes Deo
Patri qui dignos nos fecit in par-
tem sortis Sanctorum, in lumine;
13 qui eripuit nos de potestate tene-
brarum, & transtulit in regnum
14 filij dilectionis suæ; in quo habe
mus redemptionem per sangui-
nem eius, & remissionem pecca-
15 torum, qui est imago Dei inuisi-
bilis, primogenitus omnis crea-
16 turæ: quoniam in ipso condita
sunt vniuersa in cœlis, & in terra,
visibilia, & inuisibilia, siue throni,
siue dominationes, siue principa-
tus, siue potestates; omnia per ip-
17 sum, & in ipso creata sunt; & ipse
est ante omnes, & omnia in ipso
18 constant: & ipse est caput corpo-
ris Ecclesiæ, qui est principium,
primogenitus ex mortuis: vt sit in
19 omnib. ipse primatũ tenens, quia
in ipso complacuit omnem ple-
nitudinẽ diuinitatis inhabitare: &
per eũ reconciliare omnia in ipso,
paci-

pro vobis 4 orare, & postulare, vt perfectè cognoscatis voluntatem Dei, ad hoc vt ambuletis coram Deo sicut dignum est, in omnibus illi placentes, & in omni bono opere fructificantes, crescentes indies in scientia Dei & 5 abundanti potentia corroborati, secundum robur 6 gloriæ ipsius in 7 magna patientia, & longanimitate cum lætitia gratias agentes Deo Patri, qui idoneos nos fecit, vt participaremus sortem, & hereditatem sanctorum per fidem, & lumen Euangelij, 8 qui eripuit nos de potestate errorum, & tyrannide diaboli, & transtulit in regnum Filij sui dilecti, per quem redemptionem hanc, & peccatorum remissionem consequuti sumus: qui est imago Dei 9 inuisibilis, & ante 10 omnes creaturas. Per ipsum enim condita sunt vniuersa, quæ in cœlis, & in terra sunt, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum initium sumpserunt, & 11 propter ipsum creata sunt, & ipse ante omnes creaturas est, & omnes eius virtute conseruantur: ipse est 12 caput corporis Ecclesiæ, qui est 13 principium illius, primus, qui ad vitam immortalem inter omnes resurrexit, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, eo quod placuit æterno Patri in ipso esse omnem 14 plenitudinẽ diuinitatis, potestatis, & gratiæ, & per eũ omnia sibi reconciliare, 15 pace composita inter

corripientes, & docentes omnem hominem magna sapientia, & doctrina, vt perfectum ipsi reddamus. In qua re laboro, & enitor secundum efficaciam, & virtutem, quæ potenter in me miracula ad hunc effectum operatur.

ANNOTATIONES.

1. Primam, & secundam periodum aliqui ita coniungunt, *Paulus, & Timotheus Colossensibus salutem dicunt*: verum sensus paraphrasis mihi magis probatur, vt notaui in epist. ad Rom. c. 1. nu. 4.

2. Secunda periodo precatur illis non salutem more aliorum hominum, sed more Christianorum gratiam, & benedictionem Dei.

3. Græcè est διάκονος, non tamen est ordo nominis, sed officij.

4. Participia Græca hoc loco secundum phrasin Græcam pro infinitiuis ponuntur.

5. Illud *omnis*, eo loco significat abundantiam potentiæ: porrò illud *virtute*, non debet coniungi cum *confortati*; sed cum præcedentibus, nam postea sequitur, *secundum potentiam claritatis eius*, virtus enim Græcè est δύναμις, idem, quod Latinè *potentia*.

6. Claritas hîc idem est, quod gloria, Græcè habetur δόξα, appellauit verò potentiam gloriæ ipsius magnam aliquam potentiam, in qua gloria Dei maximè relucet.

7. Hic etiam *omnis*, idem est, quod *magna*.

8. Quidam putant Apostolum loquutum de potestate dæmonum, qui in hoc aere caliginoso habitant, vt ad Ephes. 6. alij de tenebris errorum, vt ad Ephes. 5. sed idem omnino regnum est, hoc loco. Vtitur & Concil. Trident. Sesfion. 6. cap. 3. & 4. & censet eo describi impij iustificationem. De quo plura 1. 2. disput. 204. c. 3. vbi contra Scotum ex hoc loco, & explicatione Concilij probauimus iustificationem nostram non esse duos motus eo modo, quo ille putauit.

9. Vox *inuisibilis*, ad Deum refertur, non ad imaginem.

10. Legendum est *ante omnia*, vel suppleri debet *creaturas*, referunt autem omnes ad diuinitatem.

11. Illud *in ipso*, quidam explicant, vt significet idem, quod *per*, & denotat causam conseruationis: verùm cum iterum dicat, *& omnia in ipso constant*, placuit explicare per modum causæ finalis, præsertim cum in Græco dicatur εἰς αὐτόν, hoc est, *in ipsum*: nam supra, vbi vulgatus legit *in ipso* condita sunt, Græcè habetur ἐν αὐτῷ, hoc est, *in ipso*.

12. Quomodo Christus sit caput Ecclesiæ, explicaui 3. part. disp. 48. & quamuis Græci intelligant hoc loco Christum dici ab Apostolo caput

Digitized by Google

put secundum diuinitatem, verum cum postea ipsum appellet primogenitum ex mortuis, & plura alia, quæ non possunt intelligi, nisi de Christo secundum humanitatem, illud etiam, quod de capite dicitur, ad ipsum referri debet.

13. Cum dicit *principium* explicat, quomodo sit caput Ecclesiæ, quia est principium illius, id quod inferius magis declarat.

14. Plenitudinem alij intelligunt diuinitatis, alij potestatis, & gratiæ: verùm cum sit eadem, ex plenitudine enim diuinitatis habuit plenitudinem gratiæ, & potestatis, meritò in paraphrasi vtranque complexi sumus.

15. Quæ fuerit ista pax inter cœlestia, & terrestria, explicauimus 3. par. disp. 111. cap. 2.

16. Cum dicit *sensu*, intelligit non corporeum, sed mentis, Græcè enim est διάνοια.

17. Corpus carnis appellat corpus mortale, iuxta illud ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ,* hoc est, mortalitatis.

18. Particula *si tamen*, non est dubitantis, sed ex phrasi explicat, quid sit necessarium, vt immaculati sint coram Deo.

19. Hyperbole est, & significat in maxima parte orbis terrarum fuisse Euangelium prædicatum.

20. Aliqui passiones Christi hic intelligi putant passiones Ecclesiæ, quas Christus suas esse dicit, vnde Paulus dicebatur implere ea, quæ deerant passionibus Christi, hoc est, Ecclesiæ. Alij sic interpretantur, postquam Christus pro nobis passus est, nihil aliud superest, nisi vt nos patiamur, iuxta illud 1. Petr. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum:* sic enim quisque implet, quod deest passionibus Christi ex parte sua. Alij hinc colligunt thesaurum Ecclesiæ ex sanctificationibus Sanctorum, quòd dicat *pro corpore eius, &c.* planior tamen est sensus paraphrasis, cum semper id referat Paulus ad ministerium prædicationis.

21. Hic idem significat *impleam*, quod docere, & prædicare.

22. Per appositionem intelliguntur illa verba, quod indicat particula Græca τό.

23. Addit exaggerationem exaggerationi.

ARGV-

ARGVMENTVM
CAPITIS II.

***D**Eclarato suo erga Colossenses affectu, & solicitudine hortatur eos in fide Christi persistere, & à Pseudo Apostolorum doctrina, qui ceremonias legis introducere conabantur, cauere.*

CAPVT II.

1 VOlo enim vos scire, qualem
solicitudinem habeam pro
vobis, & pro iis, qui sunt Laodiciæ, & quicunque non viderunt
2 faciem meam in carne: vt consolentur corda ipsorum, instructi
in charitate, & in omnes diuitias
plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris, &
3 Christi Iesu; in quo sunt omnes
thesauri sapientiæ,& scientiæ ab-
4 sconditi. Hoc autẽ dico, vt nemo
vos decipiat in sublimitate sermo-
5 num. Nam etsi corpore absens
sum, sed spiritu vobiscũ sum; gaudens,& videns ordinem vestrum,
& firmamentum eius, quæ in
6 Christo est, fidei vestræ. Sicut ergo accepistis Iesum Christum
7 Dominum nostrum, in ipso ambulate, radicati, & superædificati
in ipso, & confirmati in fide, sicut & didicistis, abundantes in illo
8 in gratiarum actione. Videte ne
quis

PARAPHRASIS.

DIxi me laborare in Euangelij prædicatione: cupio 1 enim non solum vobis, sed etiam omnibus, 2 qui adhuc faciem meam non viderunt, cognitam esse 3 solicitudinem meam, & curam, quam de Colossensibus, & Laodicensibus habeo, vt se ipsos 4 consoletur instructi in charitate, vsque ad plenissimam intelligentiam, & agnitionem mysterij Dei, & Patris, & Christi Iesu, in 5 quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Hoc autem est meum desiderium, 6 hæc mea solicitudo, vt nemo vos 7 seducat verbis 8 artificiosis, nam etsi corpore absens sim, mente tamen, & spiritu semper adsum, & summopere gaudeo, cognoscens quam rectum inter vos seruetis ordinem, & quam sit firma fides vestra, quam habetis in Christo: ideo ergo licet 9 corpore absens, mente tamen, & cogitatione præsens maxime solicitus sum, vt hunc ordinem,

quis vos decipiat per philosophi-
am, & inanem fallaciam, secun-
dum traditionem hominum, se-
cundum elementa mundi, & non
9 secundum Christum: quia in ipso
inhabitat omnis plenitudo diui-
10 nitatis corporaliter: & estis in illo
repleti, qui est caput omnis prin-
11 cipatus, & potestatis: in quo &
circuncisi estis circuncisione non
manu facta in expoliatione cor-
poris carnis; sed in circuncisione
12 Christi; consepulti ei in Baptis-
mo, in quo & resurrexistis per fi-
dem operationis Dei, qui susci-
13 tauit illum à mortuis. Et vos cùm
mortui essetis in delictis, & præ-
putio carnis vestræ, conuiuifica-
uit cum illo, donans vobis omnia
14 delicta. Delens quod aduersus
nos erat, chirographum decreti,
15 quod erat contrarium nobis, &
ipsum tulit de medio, affigens il-
lud cruci: & expolians principa-
tus, & potestates, traduxit confi-
denter palàm, triumphans illos
16 in semetipso. Nemo ergo vos iu-
dicet in cibo, aut in potu, aut in
parte diei festi: aut neomeniæ,
17 aut sabbathorum: quæ sunt vm-
bra futurorum; corpus autem
18 Christi. Nemo vos seducat, vo-
lens in humilitate, & religione
angelorum, quę non vidit ambu-
lans, frustra inflatus sensu carnis
19 suæ, & non tenens caput, ex quo
totum corpus per nexus, & con-
iunctiones subministratũ, & con-
stru-

quem cepistis, seruetis, & hanc fidem retineatis. Sic ergo de reliquo in Christo ambulate, sicut ipsum accepistis, mittentes in ipso altas radices, ipsi tanquam firmissimo fundamento innixi, & in fide confirmati crescite in modum ædificij iuxta eam, quam didicistis doctrinam, diuites, & abundantes in illo 10 *facti per gratiarum actionem. Cauete, ne quis vos* 11 *decipiat Philosophicis, & fallacibus argutiis, quæ totæ sitæ sunt in hominum traditione, & consuetudine iuxta legis* 12 *Mosaicæ ceremonias, quæ non sunt Christi Euangelio consentaneæ, ideò ergo cauere debetis: in ipso* 13 *enim Christo tota diuinitatis plenitudo est, & vos gratia quoque, & donis cœlestibus estis repleti virtute illius, qui est caput omnis principatus, & potestatis, per quē etiam circuncisi estis circuncisione non carnis humanæ manu facta, sed circuncisione Christi spirituali, in modum illius* 14 *sepulti in Baptismo, dum renunciastis carnis operibus, cuius etiam virtute instar illius in nouam vitam surrexistis per fidem, qua credidistis virtutem Dei efficacem, qua Christum suscitauit à mortuis. Et cum essetis mortui delictis, &* 15 *concupiscentiis vestris carnalibus, vos* 16 *viuificauit, sicut illum à morte corporali suscitauit gratia sua,* 17 *remittens nobis peccata, delens etiam per* 18 *fidem* 19 *chirographum, quod nos reos efficiebat, & ipsum*

Digitized by Google

ſtructum, creſcit in augmentum
20 Dei. Si ergo mortui eſtis cum
Chriſto, ab elementis huiusmundi: quid adhuc tanquam viuen-
21 tes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neq; guſtaueritis, neque
22 contrectaueritis: quæ ſunt omnia in interitum ipſo vſu, ſecundum præcepta, & doctrinas ho-
23 minum: quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.

ipſum abſtulit, cruceque, & ſanguine ſuo 20 abrogauit, & dæmones exutos imperio atque poteſtate cum magna fiducia in modum triumphi, 21
propria ſua virtute circunduxit. 22 Ne ſinatis ergo vos ab aliquo condemnari ob ſuperſtitiones cibi, & potus, aut 23 ob partem diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbathorum; quæ cum ſint ceremoniæ legis Moyſis, & vmbra Chriſti venturi, Chriſtus autem 24 ipſa veritas adumbrata, & ſignificata, non ſunt retinendæ, ipſa iam præſente veritate. 25 Nemo vos ſeducat volens in humilitate quadam, & religione angelorum 26 apparere, & ambulans 27 in his, quæ nunquã vidit, ſed è ſuo cerebro confinxit tumens iudicio, & 28 intellectu proprio, nec bene connexus capiti ſuo Chriſto, ex quo totum corpus per iuncturas 29 ſubminiſtrato ſpiritu, & incremento creſcit ſecundum Deum. Si ita renunciaſtis in Baptiſmo Iudaicis ceremoniis, vt illis ſitis mortui, quid adhuc tanquam ſi illis viueretis, & eas profeſſi eſſetis, dogmatizatis, & decernitis, talem rem 30 non eſſe tangendam, neque guſtandam, nec contrectandam, tanquam immundam, ſequuti in hoc hominum 31 doctrinas & præcepta, cum hæc omnia, 32 quæ ad cibum, & potum pertinent, tam parui momenti ſint, vt ipſo vſu pereant? 33 Quæ obſeruationes, & ceremoniæ habent rationem mundanæ ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate in eo, quod negatur corpori alimentum, nec honoratur debita ſuſtentatione, & ſaturitate carnis.

ANNOTATIONES.

1. Cauſalis illa *enim* reddit cauſam eius, quod proximè præceſſerat in præcedente cap. quod maioris claritatis cauſa in initio cap. ſuppleuimus.

2. Illud, *& quicunque non viderunt* coniungendum videtur eo modo, quo in paraphraſi: coniungi etiam poteſt cum illo, *& pro iis, qui ſunt Laodicea*, hoc modo, *& pro omnibus quicunque non viderunt faciem meam.*

3. Græcè eſt vox *ἀγῶνα*, quam quidam putant ſignificare certamen:

ceterum ſolicitudinem etiam ſignificat apud Herodianum 2. lib.

4. Si verbum *conſolentur* ſumeretur paſsiuè, dicendum eſſet *inſtructorum*, nam & Græcè eſt συμβιβασθέντων; verùm cum dicat *instructi*, verbum debet accipi actiuè, vtroque autem modo idem ſenſus eſt, vt in paraphraſi: & illud *ipſorum corda*, idem ſignificat, atque *ſua corda*.

5. Dicit, *in quo ſunt omnes theſauri, &c.* vel quia Chriſtus præditus eſt omnium rerum ſcientia, vel quia in fide, quam de Chriſto habemus, reconditi ſunt theſauri veræ ſcientiæ.

6. Speciatim explicat, quæ ſit eius ſolicitudo.

7. Græcè eſt verbum παραλογίζομαι, quod ſignificat argumentis decipere aliquem.

8. Græcè eſt πιθανολογία, quæ eſt vox ſcholæ, ſicut præcedens: itaque non alludit Paulus ad eloquentiam, ſed ad captioſam argumentationem, id quod deinde repetit, cum dicit per philoſophiam, & inanem fallaciam.

9. Repetit id, quod dixerat oſtendens qualem ſolicitudinem habeat, etiam ſi abſens ſit.

10. Græcè eſt ἐν αὐτῇ, hoc eſt, in ea, refertur ad fidem, & Latina quædam exemplaria ſic habent; ſenſus autem eſt idem vtroque modo.

11. Græcè eſt verbum συλαγωγέω, aliud quidem, quam nu. 7. ſignificat autem deprædari; & quia deceptio eſt quoddam genus deprædationis, eo rectè vſus eſt Paulus.

12. *Elementa*, quidam interpretantur rudimenta prima Philoſophiæ mundanæ, quæ tradebant Gnoſtici, & Simoniaci ex ſchola Platonis: nos interpretati ſumus ceremonias legis Moyſis, quas etiam ad Galatas, & iterum in hoc cap. appellauit elementa.

13. Particula *enim* cauſam reddit, cur cauere debeant, ideò claritatis gratia pauca verba ſuppleuimus.

14. Quo pacto in Baptiſmo Chriſto conſepeliamur, & in nouam vitam reſurgamus optimè explicat Apoſt. ad Rom. 6.

15. *Præputium carnis* intelligit, non materiale, & corporeum, ſed concupiſcentias, quæ ſunt ſuperfluitates.

16. Verbum *conuiuificauit*, ſignificat ſimilitudinem ſecundum quam, ſicut Chriſtus ſurrexit virtute Dei, ſic etiam & nos eiuſdem virtute in Baptiſmo ad vitam reuocamur.

17. Participium *condonans*, non ſignificat meram imputationem ſine dono iuſtificante, quod inhæreat; ſed gratiam, qua illud donatum eſt, vt eo peccata remittantur, ſupra quod, qui vllam imputationem admittunt, hæreticis non parum fauent.

18. Græcè eſt τοῖς δόγμασιν, id eſt, decretis, ſic legunt Græci Patres cum Chryſoſtomo & Auguſt. & Hieronymus: per decreta verò intel-

ligunt

Digitized by Google

ligunt dogmata fidei; ac si dicat, ipsa fide deletum fuisse chirographum: vulgata verò emendata legit *decreti*, & debet referri ad chirographum, vt dicatur chirographum decreti, vel quia fuit sententiæ, vel quia fuit pœnæ statutæ in lege, vel quia fuit pacti initi cum Deo, vt in sequenti notatione dicemus.

19. Chirographum aliqui intelligunt sententiam mortis æternæ latam Genes. 2. ita Chrysostomus, Theophylactus, & OEcumenius, alij decalogum, eo quod in ipso apposita est pœna non obseruantibus: quod mihi magis placet: sic Adamus, & recentiores: qui cum non obseruaretur, erat veluti chirographum contra nos, indicans nos reos esse pœnæ: dicitur autem deletum, quatenus pœnam continet, eo quod fides tribuit vires obseruandi legem, ex quo omnis pœnæ condemnatio cessat. Alij per chirographum intelligunt pactum factum à Moyse Exodi 19. cum Deo pro populo de seruanda lege, sic Chrysostomus, Theophylactus, & OEcumen. dicitur autem deletum à Christo ob eandem rationem, quia seruata lege ex gratia Christi iam amplius nullam vim contra nos habere potest ad damnationem: quare verò de tempore, quo Christus passus est, hæc dicantur, cum tamen ante aduentum meritis ipsius donata fuerit gratia ad seruandam legem, diximus 3. part. disp. 77. cap. 6. hæc autem expositio cum nostra conuenit, & eadem est, quia pactum cum Moyse fuit lex ipsa cum pœnæ comminatione.

20. Verbum *affixit*, significat abrogationem factam.

21. *In semetipso*, significat propria virtute. Circa hunc locum in disp. 111. cap. 2. satis dictum est. Notandum verò est omnia illa participia referri ad Deum, non ad Christum secundum humanitatem, dixerat enim *conuiuificauit cum illo*, hoc est, cum Christo.

22. Iam magis speciatim ostendit, à quo cauere debeant: hactenus enim digressionem fecerat, ostendens, quantum deberent Deo, & meritis Christi, vt inde eos à falsa doctrina, ad quam eos alij inducere conabantur, reuocaret: hæc autem falsa doctrina erat in seruandis ceremoniis, vt latè ostendi 3. part. disp. 112. cap. 6. Dicit autem, *nemo iudicet*, hoc est, condemnet, eo quod si ipsi non profiteantur has seruare ceremonias, nemo eos condemnabit, quod sic, aut sic eas non obseruauerint.

23. *Partem* dicit, quia non omnino, sed ex parte ipsis suadere conabantur, vt iudaizantes ceremonias.

24. *Corpus* hîc sumitur pro veritate ipsa, nam vmbra non est res, sed similitudo illius, res autem est corpus ipsum, quod vmbram efficit, inde autem sumit argumentum, vt iam cessare debeant ceremoniæ, quod nos in paraphrasi expressimus.

25. Pro-

Digitized by Google

25. Proſequitur idem, verbum autem Latinum, *ſeducat* Græcè eſt καταβραβευέτω, quod putat Valla ſignificare idem, quod vocare ad brauium, melius tamen Eraſmus interpretatur brauium intercipere, ſic Chryſoſt. & Græci omnes, & Hieron. in epiſt. ad Algaſiam, q. 10. dicens peculiare eſſe vocabulum hoc Cilicum, in qua prouincia Paulus natus, & educatus fuerat.

26. Participium *volens* refert Eraſmus ad præcedentia, vt ſit ſenſus, nemo vos ſeducat volens, hoc eſt, de induſtria, Græci, & Auguſtinus referunt ad ſequentia, vt ſit ſenſus, volens in humilitate, hoc eſt, affectans humilitatem, ſiue volens videri humilis. Verùm hæc inſolens phraſis eſt: appellat autem religionem, & humilitatem Angelorum, quam Simoniaci docebant, nempe indignum eſſe vnigeniti maieſtate, eum pro nobis intercedere ad Patrem, ideò dicebant Angelos hoc fungi officio.

27. Suppleri debet illud *in iis*, quia relatiuũ *quæ* non refertur ad illud, *in religione, & humilitate.*

28. Senſum carnis appellat proprium iudicium, quod eſt ſecundum carnem.

29. Ipſum corpus dixit ſubminiſtratum pro eo, quod eſt ei ſubminiſtratum eſſe ſpiritum, & vitam.

30. Ab illis verbis *ne tetigeritis, &c.* explicat ſpeciatim, quodnam eſſet eorum ſuperſtitioſum iudicium in ceremoniis.

31. Illud *ſecundum doctrinas hominum*, non refertur ad id, quod proximè præceſſerat, *quæ ſunt in interitu ipſo vſu*, ſed ad illud, *quid adhuc decernitis?* ideo in paraphraſi ordinem verborum mutauimus.

32. Relatiuum *quæ* refertur ad cibum, & potum.

33. Relatiuum *quæ* refertur ad ceremonias prædictas, de toto verò hoc loco Pauli dixi 3. part. diſp. 112. cap. 6.

ARGVMENTVM
CAPITIS III.

EXeo, quod reſurrexerunt in Baptiſmo cum Chriſto, exhortatur eos ad nouam vitam, non ſolùm, vt ceremo-

nias

Digitized by Google

nias, quas diximus, relinquant, aut non admittant, vt 2. cap. suasit, sed etiam, vt bonis operibus incumbant, & omne vitiorum genus è medio tollant.

CAPVT III.

1 IGitur si consurrexistis cum
Christo, quę sursum sunt, quærite: vbi Christus est in dextera
2 Dei sedens. Quæ sursum sunt sa-
3 pite, non quę super terram. Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.
4 Cùm autem Christus apparuerit,
vita vestra; tunc & vos apparebi-
5 tis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt
super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam,
quæ est simulachrorum seruitus:
6 propter quæ, venit ira Dei super
7 filios incredulitatis, in quibus &
vos ambulastis aliquando, cum
8 viueretis in illis. Nunc autem
deponite & vos omnia; iram,
indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de
9 ore vestro. Nolite mentiri inuicem: expoliantes vos veterem
10 hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum; qui renouatur in agnitionem, secundum
imaginem eius, qui creauit illum.
11 Vbi non est Gentilis, & Iudæus,
circuncisio, & præputium, Bar-
barus

PARAPHRASIS.

*QVia 1 igitur in Baptismo ad
vitam nouam instar Christi
surrexistis, postquam in eodem Batismo ad imitationem illius sepulti
estis, quæ in cœlis sunt, vbi Christus
ad dexteram Dei sedet, quærite, hæc
eadem; & cogitate, & curate, non
autem, quæ mundana sunt: mortui
2 enim estis in Baptismo affectibus
carnis, & viuitis iam secundum spiritum, tametsi vita vestra abscondita
sit ab oculis, & sensu mundi, 3 sicut etiam vita ipsius Christi, cuius resurrectionè imitati estis in Baptismo:
est autem abscondita apud Deum, cuius spiritu viuitis. Quare cum Christus in vita mortali oculis omnium
manifestabitur, & vos apparebitis
cum ipso viuentes in gloria. Quia ergo professi estis, vos quidem mortuos
esse peccato, & viuere Deo, mortificate affectus terrestres, 4 qui adhuc viuunt in vobis, affectum 5
fornicationis, immunditiæ, & libidinis, malæ concupiscentiæ, & 6 auaritiæ, quod est genus quoddam idololatriæ; propter quæ vitia vindicta
Dei venire solet super filios 7 inobedientes legibus, & Euangelio: 8
quæ quidem aliquando, & vos se-*

m *ctati*

barus, & Scytha, seruus & liber:
sed omnia, & in omnibus Chri-
12 stus. Induite vos ergo sicut electi
Dei, sancti, & dilecti, viscera mi-
sericordiæ; benignitatem, humi-
litatem, modestiam, patientiam:
13 supportantes inuicem, & donan-
tes vobismetipsis, si quis aduer-
sus aliquem habet querelam: sic-
ut & Dominus donauit vobis, ita
14 & vos. Super omnia autem hæc,
charitatem habete, quod est vin-
15 culum perfectionis: & pax Chri-
sti exultet in cordibus vestris, in
quam & vocati estis in vno cor-
16 pore: & grati estote. Verbum
Christi habitet in vobis abun-
danter, in omni sapientia, docen-
tes, & commonentes vosmetip-
sos psalmis, hymnis, & canticis
spiritualibus, in gratia cantantes
17 in cordibus vestris Deo. Omne
quodcunque facitis in verbo, aut
in opere, omnia in nomine Do-
mini nostri Iesu Christi, gratias
agentes Deo, & Patri per ipsum.
18 Mulieres, subditæ estote viris, sic-
19 ut oportet in Domino. Viri, dili-
gite vxores vestras, & nolite ama-
20 ri esse ad illas. Filij, obedite paren-
tibus per omnia: hoc enim placi-
21 tum est in Domino. Patres, noli-
te ad indignationem prouocare
filios vestros, vt non pusillo ani-
22 mo fiant. Serui, obedite per om-
nia dominis carnalibus, non ad
oculum seruientes, quasi homi-
nibus placentes, sed in simpli-
citate

citate cordis, timentes Deum.
Quodcunque facitis, ex animo 23
opera-

Elati estis, cum illis viuentes: 9 nunc autem quia professi estis, illis vos esse mortuos, deponite omnia hæc, & alia id genus vitia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro; ne mentiamini inuicem: 10 denique spoliate vos veterem hominem cum omnibus operibus, & affectibus illius, & induite nouum, eum scilicet, qui ad cognoscendum, quæ reuelatione nota sunt renouatur secundum imaginem Dei, qui creauit illum. In qua renouatione non refert aliquem esse Iudæum vel Gentilem: 11 circuncisum, vel habentem præputium; Barbarum, vel Scytham; seruum, vel liberum; sed in his omnibus instar omnium rerum 12 supplens omnem defectum debet esse Christus. 13 Induite ergo, sicut decet sanctos, & electos Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Supportate vos inuicem, & mutuo condonantes iniurias, si quis contra alium ob iniuriam sibi illatam querelam habet: sicut Dominus donauit vobis peccata, ita & vos condonate inuicem iniurias illatas. Super omnia autem hæc charitatem habete erga Deum, & 14 proximos, quæ est vinculum totius 15 perfectionis, & virtutis, hac enim veluti spiritu connectuntur inter se, quæ sine illa dilabuntur.

operamini, sicut Domino, & non
24 hominibus: scientes quòd à Do-
mino accipietis retributionem
hæreditatis. Domino Christo ser-
uite. Qui enim iniuriam facit, re- 25
cipiet id, quod iniquè gessit; &
non est personarum acceptio a-
pud Deum.

ANNOTATIONES.

1. Particula *Si* non est dubitantis, sed asseuerantis: prosequitur autem metaphoram, quam assumpsit superiori capite de morte, quam professi sumus in Baptismo, & de vita, ad quam in eodem resurreximus.

2. Rationem reddit, ob quam debeant quærere, quæ sursum sunt.

3. *Cum Christo*, significat similitudinem, vt in paraphrasi.

4. Esse super terram, non significat affectus terrestres, sed eos, qui adhuc viuunt, esse enim super terram, vel esse super, in Scriptura significat viuere.

5. Quatuor nominibus explicauit idem vitium carnis, & libidinis.

6. *Auaritia*, hic Græcè est πλεονεξία, quæ significat cupiditatem lucri cum iniustitia, de qua voce diximus cap. 2. & 5. ad Ephes. vbi etiam explicauimus, quare dicitur genus idololatriæ.

7. Filios incredulitatis appellat phrasi Hebraica filios incredulos. Incredulos autem vocat eos, qui impersuasibiles sunt: id enim significat vox Græca ἀπειθείας, hoc est, *impersuasibilitatis.*

8. *In quibus*, nonnulli referunt ad filios inobedientes, vt sit sensus: inter quos vos aliquando ambulastis. Alij referunt ad vitia, quæ enumerauit, id quod mihi magis probatur propter id, quod subditur statim, *cum viueretis in illis.*

9. Illud *nunc*, emphasin habet; refert enim tempus præsens, in quo iam professi erant, se mortuos esse peccatis.

10. Particulam *Vbi* nonnulli referunt ad Deum, vt sit sensus, *apud Deum parum refert, &c.* sed eodem recidit, si referamus ad renouationem.

11. Circuncisio, & præputium hic sumitur pro circunciso, & præputium habente.

12. *Omnia in omnibus*, interpretantur Græci, quia sit Christus, Saluator, Dominus, Deus, Caput, & Sacerdos; verùm cum velit ostendere, parùm referre apud Deum, esse aliquem Iudæum, vel Gentilem, &c. videtur Paulus significare Christum supplere omnes nostros defectus.

13. Postquam ostendit, eos quidem mortuos esse peccatis, ac proinde eos debere vitia de medio tollere omnia, quibus se mortuos esse

Digitized by Google

profitebantur, nunc demonstrat, qualiaq; opera vitæ spiritualis sectari debeant, cum eodem modo profiteantur se viuere vitæ spirituali.

14. Placet charitatem hoc loco intelligere erga Deum, & proximos, vt omnem perfectionem contineat.

15. *Vinculum perfectionis*, quidam putant esse Hebraismum, hoc est, vinculum perfectum: mihi verò probatur sensus paraphrasis, qui est secundum mentem Græcorum Patrum.

ARGVMENTVM
CAPITIS IV.

EXhortatur Dominos, vt erga seruos iustitiam seruent, & omnes vniuersim, vt in oratione soliciti sint, pro se ipso instent, atque cum Gentibus honestè versentur. Tandem salutationibus epistolam claudit.

CAPVT IV.

1 DOmini, quod iustum est, & æquum, seruis præstate: scientes quod & vos Dominum habetis in cœlo.
2 Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarũ actione:
3 orantes simul, & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum)
4 vt manifestem illud ita,
5 vt oportet me loqui. In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt;
6 tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis, quomodo oporteat

PARAPHRASIS.

VOs autem, qui seruos habetis, quod iustum, & æquum est, erga illos seruate: scitis enim vos etiam seruos esse supremi Domini, qui in cœlis est, qui vobis etiam vicem rependet, si seruos vestros iniquè tractaueritis. In oratione estote frequentes, & vigilantes cum grata commemoratione beneficiorum Dei, atque pro me orate, vt Deus mihi concedat opportunitatem loquendi, & manifestandi, vt oportet, mysterium Christi, propter quod vincula patior. Prudenter agite cum Ethnicis, qui extra Ecclesiam sunt, & diligenter cauete, ne

teat vos vnicuique respondere.
7 Quæ circa me sunt, omnia vobis
nota faciet Tychicus charissi-
mus frater, & fidelis minister, &
8 conseruus in Domino: quem mi-
si ad vos ob hoc ipsum, vt cogno-
scat quæ circa vos sunt, & conso-
9 letur corda vestra, cum Onesimo
charissimo, & fideli fratre, qui ex
vobis est, qui omnia, quæ hic a-
10 guntur, nota facient vobis. Salu-
tat vos Aristarchus concaptiuus
meus, & Marcus consobrinus
Barnabæ (de quo accepistis man-
data: si venerit ad vos, suscipite
11 illum.) Et Iesus qui dicitur iu-
stus: qui sunt ex Circuncisione;
hi soli sunt adiutores mei in re-
gno Dei, qui mihi fuerunt sola-
12 tio. Salutat vos Epaphras, qui ex
vobis est, seruus Christi Iesu, sem-
per solicitus pro vobis in oratio-
nibus, vt stetis perfecti, & pleni in
13 omni voluntate Dei. Testimo-

ne vobis tempus, quod pretiosum est, cum illis infructuose elabatur: sermo vester cum illis afferat vtilitatem sale discretionis conditus.

nium enim illi perhibeo, quòd
habet multum laborem pro vo-
bis, & pro iis, qui sunt Laodiciæ,
& qui Hierapoli. Salutat vos Lu- 14
cas medicus charissimus, & De-
mas. Salutate fratres, qui sunt 15
Laodiciæ, & Nympham, & quæ
in domo eius est, Ecclesiam. Et 16
cum lecta fuerit apud vos episto-
la hæc, facite vt & in Laodicen-
sium Ecclesia legatur: & ea quæ
Laodicensium est, vt vobis lega-
tur. Et dicite Archippo, vide mi- 17
nisterium quod accepisti in Do-
mino, vt illud impleas. Salutatio,
mea manu Pauli. Memores esto- 18
te vinculorum meorum. Gratia
Domini nostri Iesu Christi vo-
biscum. Amen.

Reliqua, quæ sequuntur, continent salutationes.

Digitized by Google

PARAPHRASIS, IN PRIMAM EPISTOLAM B. PAVLI AD THESSALONICENSES.

ARGVMENTVM TOTIVS EPISTOLAE.

IN hac epistola Paulus non solum congratulatur Thessalonicensibus, Deoque gratias agit pro eorum ad fidem conuersione; sed etiam pro constantia, vtpote qui ob tuendam fidem multa à suis contribulibus passi essent, vt constat ex capite 2. nihilominus à vera fidei doctrina dimoueri nunquam potuissent, quin potius exemplo fuerint Ecclesiis, quæ erant in Iudæa, in qua conuersi ad fidem multa similiter à suis pro Christi fide sustinuerunt. Verum cum Thessalonicenses nunquam

quam lapsi fuissent, vt constat ex tota epistola, sicut nonnulli ex Iudæis, vt colligitur ex cap. 6. epist. ad Hebræos, ideo epistola hæc potius est congratulatoria, quàm exhortatoria. Contra verò in epistola ad Hebræos, quæ nihil habet congratulationis, exhortatur Paulus ipsos ex instituto ad constantiam, & perseuerantiam in fide. Capite autem 4. & 5. huius epistolæ solum reuocat in memoriam Thessalonicensibus præcepta, ac monita salutis, quæ ipsis præsens antea tradiderat.

ARGVMENTVM
CAPITIS I.

Nihil aliud continet hoc caput, quam congratulationem de eorum fide, & constantia in tolerandis persecutionibus, pro qua etiam Deo gratias agit.

CAPVT I.

1 PAulus, & Siluanus, & Timotheus Ecclesię Thessalonicensium in Deo Patre nostro, & Do-
2 mino Iesu Christo. Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis memoriam vestri facientes in orationibus

PARAPHRASIS
eiusdem capitis.

Paulus, & Siluanus, & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium 1 per Dei Patris gratiam, & merita Christi congregatæ, 2 hanc epistolam mittunt. Gratia 3 sit vobis, & pax. 4 Gratias agimus Deo semper pro

bus nostris sine intermissione,
3 memores operis fidei vestræ, &
laboris, & charitatis, & sustinen-
tiæ spei Domini nostri Iesu Chri-
sti ante Deum, & Patrem no-
4 strum, scientes fratres dilecti à
5 Deo, electionem vestram: quia
Euangelium nostrum non fuit
ad vos in sermone tantum, sed
& in virtute: & in Spiritu sancto,
& in plenitudine multa, sicut sci-
tis quales fuerimus in vobis pro-
6 pter vos. Et vos imitatores nostri
facti estis, & Domini, excipientes
verbum in tribulatione multa,
7 cum gaudio Spiritus sancti: ita vt
facti sitis forma omnibus cre-
dentibus in Macedonia, & in A-
8 chaia. A vobis enim diffamatus
est sermo Domini, non solum in
Macedonia, & in Achaia, sed & in
omni loco fides vestra, quæ est ad
Deum, profecta est, ita vt non sit
nobis necesse quicquam loqui.
9 Ipsi enim de nobis annuntiant
qualem introitum habuerimus
ad vos; & quomodo conuersi e-
stis ad Deum à simulachris, serui-
10 re Deo viuo, & vero, & expectare
filium eius de cœlis (quem susci-
tauit ex mortuis) Iesum, qui eri-
puit nos ab ira ventura.

pro omnibus vobis, mentionem vestri in orationibus nostris incessanter facientes, memores egregij operis vestri, 5 nempe quod credidistis, & propter fidem multa aduersa patienter tolerastis, & operati estis, & 6 per spem in 7 Dominum nostrum Iesum Christum longanimiter expectastis, & sustinuistis, in conspectu Dei, & Patris nostri: 8 scientes quoque fratres dilecti, peculiari quadam vocatione præ multis aliis ad audiendum Euangelium vos à Deo electos fuisse. 9 Nam Euangelium, quod ego prædico, non verbo tantùm, sed etiam virtute miraculorum, & 10 donis Spiritus sancti, 11 & plena persuasione, rebus, & argumentis exhibitis, propositum vobis fuit; sicut bene nostis, qualiter in prædicando vobis Euangelium gratiâ vestri nos gesserimus. Vos 12 autem imitati estis nos ipsos, & Dominum 13 in ferendis aduersis; dum verbum prædicationis, ad quod electi eratis, licet multa aduersa propter fidem illius paßi, cum gaudio, quod Spiritus sanctus in aduersis elargitur, excepistis, ita vt exemplo fueritis omnibus, qui 14 antea crediderant in Macedonia, & in Achaia, quo in fide confirmarentur. A vobis enim diuulgatus est sermo, & fides Dei, non solum in Achaia, sed etiam in omnem circa regionem peruenit, ita vt non sit nobis necesse fidem vestram, & tolerantiam aliis enarrare: ipsi enim præueniunt nos, & cum nihil illis dixerimus de vobis, enarrant nobis, quam felicem accessum prædicatio nostra ad vos habuerit, & quo pacto à cultu, & fide simulachrorum conuersi estis ad seruien-

uiendum Deo vero, & ad expectandum per fidem, & spem aduentum filij eius de cœlo ad iudicandum, quem secundum humanitatem Deus suscitauit à mortuis: Iesum dico, qui merito passionis suæ tribuit nobis gratiam, vt legem seruaremus, 15 *& ita eripuit ab ira, & pœna illius, quæ transgressoribus propter peccatum* 16 *in die iudicij cum ille venerit, infligenda est.*

ANNOTATIONES.

1. Illud *Deo Patri, &c.* referendum est ad Ecclesiam, non autem ad id, quod suppleuimus num. 2. neque ad numerum 3. quasi sensus esset, mitto epistolam in Deo, aut gratia sit vobis, & pax in Deo: multo enim melius refertur ad Ecclesiam, vt in paraphrasi, ita referunt Theophylactus, OEcumenius, & Chrysostomus, nempe vt Paulus eam Ecclesiam ab Ecclesia Gentilium distinguat. Præpositio autem *in* idem denotat, quod *per*, vt in Epistola ad Ephesios 1. cap. num. 1. & alibi sæpenumero.

2. In salutatione omnium aliarum Epistolarum, illud addidimus. Vide in epistola ad Romanos cap. 1.

3. Illud *sit*, addidimus sicut in aliis epistolis, Græca etiam exemplaria addunt, *à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo*, & ita iuxta hanc lectionem illud *in Deo Patre*, quod est in num. 1. non posset referri ad numerum 3. sicut notauimus.

4. Hinc incipit epistola, cætera enim sunt salutationes.

5. Per opus fidei, OEcumenius intelligit constantiam in fide, quod nihil eos à fide se mouerit. Alij intelligunt cum ipso, & Theophylacto bona alia opera ex fide profecta, quod nimirum non solis verbis, sed operibus etiam fidem suam ostenderint. Theophylactus verò opus fidei hoc posteriori modo explicatum, vocat instantiam in fide: hoc enim opus est fidei, solidè, & firmiter consistere; & instare, non solis verbis in fide gloriari. Ego verò vt in paraphrasi, per opus fidei simpliciter intelligo ipsum opus credendi: nam de perseuerantia, & operibus ex fide profectis statim loquitur, cum ait, *& charitatis, &c.*

6. *Et sustinentiæ spei*, coniunctim legendum est, vt intelligatur de sustinentia, quæ nascitur ex spe, nam propter spem multa patienter toleramus.

7. Illud *Domini nostri Iesu Christi*, non denotat causam effectricem ipsius spei, vt sensus sit, per spem, quam à Domino Iesu Christo accepistis, &c. sed significat ipsum, in quem speramus, vt in paraphrasi.

8. Illud *scientes*, Græci referunt ad præcedentia, & sequentia in hunc sensum: *Meminimus vestri in orationibus, eo quod sciremus, &c.* aut ita referunt

n runt

Digitized by Google

runt, vt non solùm referant ad electionem eorum in hunc modum: eo quod sciremus vos à Deo electos esse, sed etiam ad illud *Quia Euangelium nostrum non fuit ad vos, &c.* Hoc sensu, eo quod etiam sciremus, quod Euangelium nostrum non fuerit ad vos, &c. Nos autem putamus ad hoc posterius referri non posse, sed his posterioribus verbis reddi rationem eius, quod proximè dixerat Paulus, se scire Thessalonicenses peculiari electione à Deo electos esse.

9. Ex modo prædicationis Thessalonicensibus factæ, optimè colligit Paulus, eos fuisse à Deo peculiari electione electos: nam exterior gratia signorum, & prædicationis, interioris gratiæ indicium esse solet.

10. Illa verba *in Spiritu Sancto*, duobus modis exponunt Græci. Primo quidem, vt sensus sit, in sapientia, non carnali, sed spirituali: deinde ita, vt per Spiritum Sanctum intelligamus dona Spiritus Sancti, quæ dabantur credentibus. Ego verò existimo, per Spiritum quidem denotari dona, non tamen, quæ darentur credentibus, sed quæ ostenderet Paulus in ipsa prædicatione: loquitur enim de modo, quo propositum illis fuit Euangelium, vt inde colligat ipsos fuisse à Deo electos.

11. Pro eo quod vulgata habet in plenitudine multa, in Græco est ἐν πληροφορίᾳ, quæ vox plenam cognitionem, seu persuasionem denotat.

12. Pro &, coniunctione copulatiua posuimus *autem*, quæ est continuatiua, & eundem sensum reddit.

13. Addidimus illud *in ferendis aduersis*, vt explicaremus, in quo Thessalonicenses essent imitati Paulum, & Christum, id enim indicant verba sequentia.

14. Per *credentes*, intelligunt Græci, vt in paraphrasi eos, qui iam antea priores crediderant: quod quidem in magnam Thessalonicensium laudem cedit: non enim tam laudabile esset, si solum iis, qui postea crediderunt, exemplo fuissent.

15. Per Christum, hoc est, per merita ipsius non aliter eripimur ab ira Dei, nisi quia per gratiam eius legem seruamus: nam aduersus eum, qui legem seruat, non pugnat lex, vt dicitur ad Galatas, & notauimus 1. 2. disput. 189. cap. 4. & hac ratione iustus dicitur non esse sub lege, vt ibidem diximus, neque iusto legem esse positam, vt ibidem notauimus.

16. Venturam iram vocat, quam Deus in die iudicii ostendet in transgressores legis.

ARGV-

ARGVMENTVM
CAPITIS II.

IN hoc capite ostendit Paulus, quo pacto Thessalonicenses ipsum fuerint non solum imitati, sicut dixerat capite præcedente numero 13. sed etiam Hebræos, qui in Iudæa crediderant: eo quod propter fidem Christi multa à conciuibus suis passi essent: suam verò prædicationem obiter commendat, rationem reddens, ob quam cum fiducia in aduersis constitutus ipsis prædicauerit, vt initio capitis dixerat.

CAPVT II.

1 NAm, & ipsi scitis fratres, introitum nostrũ ad vos, quia
2 non inanis fuit: sed ante passi multa, & contumelijs affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Euangelium Dei in multa
3 solicitudine. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de
4 immunditia, neque in dolo. Sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur: non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui pro-
5 bat corda nostra. Neque enim aliquãdo fuimus in sermone adulatio-

PARAPHRASIS.

IDeo 1 autem dixi vos imitatores nostri factos fuisse, excipientes nimirum verbũ prædicationis nostræ in multa tribulatione, 2 quia ipsi bene nostis introitum etiam nostrum ad vos, 3 non sine magno fundamento, quod est in rebus aduersis, confidentia, & fructus spiritualis animarum vestrarum fuisse; sed cum ante Philippis propter eandem Euangelij prædicationẽ multa aduersa passi, & contumeliis affecti fuissemus, sicut bene etiam nostis, & ex prædicatione nostra apud vos, nõ minus periculi nobis immineret, ipsis rebus aduersis, & tri-

Digitized by Google

lationis, sicut scitis: neque in oc-
casione auaritiæ, Deus testis est:
6 nec quærẽtes ab hominibus glo
riam, neque à vobis, neq; ab alijs.
7 Cum possemus vobis oneri esse,
vt Christi Apostoli: sed facti su-
mus paruuli in medio vestrum,
tanquam si nutrix foueat filios
8 suos. Ita desiderantes vos, cupi-
dè volebamus tradere vobis non
solum Euangelium Dei, sed etiã
animas nostras: quoniam charis-
9 simi nobis facti estis. Memores
enim estis, fratres laboris nostri
& fatigationis: nocte & die ope-
rantes, nequem vestrùm graua-
remus, prædicauimus in vobis
10 Euangelium Dei. Vos testes estis,
& Deus, quàm sanctè, & iustè sine
querela, vobis qui credidistis, af
11 fuimus: sicut scitis qualiter vnũ-
quemque vestrum (sicut Pater fi-
12 lios suos) deprecãtes vos, & con-
solantes testificati sumus, vt am-
bularetis dignè Deo, qui vocauit
vos in suuum regnum, & glo-
13 riam. Ideo & nos gratias agimus
Deo sine intermissione: quo-
niam cum accepissetis à nobis
verbum auditus Dei, accepistis
illud non vt verbum hominum,
sed (sicut est verè) verbum Dei,
qui operatur in vobis, qui credi-
14 distis. Vos enim imitatores facti
estis fratres, Ecclesiarum Dei,
quæ sunt in Iudæa, in Christo Ie-
su: quia eadem passi estis, & vos à
15 contribulibus vestris, sicut & ipsi
à Iu-

& tribulationibus, tanquam firmissimo fundamento nixi, cum magna spe, & confidentia fructus, & conuersionis vestræ 4 in magno agone, & periculo Thessalonicæ constituti non dubitauimus Euangelium vobis prædicare. 5 Ideo autem contumeliis affecti in ingressu nostro spem magnam in vobis fructificandi concepimus, 6 quia prædicatio nostra non est falsa doctrina, neque impurum, aut immundum aliquid continet, neq; dolosa est: 7 vt per imposturam audientes decipiamus: sed sicut probati, & digni existimati sumus à Deo, quibus Euangelij prædicatio committeretur, ita etiam verè loquimur, non quasi hominibus placere cupientes, sed Deo, qui corda scrutatur, & expendit. 8 Neq; enim vnquam adulatoriis verbis vsi sumus, vt bene nostis, neque prædicatione nostra 9 in minima adhuc occasione auaritiæ accipiendo à vobis aliquid in sustentationem constituti sumus. 10 Deus estis est, neque gloriam, & autoritatem 11 præpositi à vobis, aut ab aliis vendicare, aut imperiosos agere voluimus, 12 (cum tamen exigere possemus à vobis alimenta. sicut alij Apostoli, & ita hoc modo vobis oneri esse) 13 sed nihil de autoritate, & imperio curantes, nos gessimus in nostra prædicatione erga vos, 14 tanquam paruulos, qui nullum præ se ferunt specimen imperij, & autoritatis, 15 atque instar

Digitized by Google

à Iudæis, qui & Dominum occi-
derunt Iesum, & Prophetas, &
nos persecuti sunt, & Deo non
placent, & omnibus hominibus
16 aduersantur; prohibentes nos
Gentibus loqui, vt saluæ fiant, vt
impleant peccata sua semper; per-
uenit enim ira Dei super illos vs-
17 que in finem. Nos autem fratres
desolati à vobis ad tempus horæ,
aspectu, non corde, abundantius
festinauimus faciem vestram vi-
18 dere cum multo desiderio: quo-
niam voluimus venire ad vos;
ego quidem Paulus, & semel, &
iterum; sed impediuit nos Sata-
19 nas. Quæ est enim nostra spes,
aut gaudium, aut corona gloriæ?
Nonne vos ante Dominum no-
strum Iesum Christum estis in ad-
20 uentu eius? Vos enim estis glo-
ria nostra, & gaudium.

*instar nutricis summo affectu fouen-
tis filios sibi commendatos, desiderio
vestri flagrantes tradere 16 vobis
summopere volebamus non modo E-
uangelij doctrinam, verùm etiam
vitam nostram pro vobis, & vestra
salute spirituali manifesto periculo
exponere, eo quod charissimi nobis
facti essetis. 17 Porro aūt à nemine
vestrum nos sustentationem, & ali-
menta pro ministerio Euāgelicæ præ-
dicationis postulasse bene nostis; re-
ctè 18 siquidem meministis laboris
nostri, & fatigationis; noctu, diuque
operantes, ne quem vestrum graua-
remus ab eo alimenta exigendo, præ-
dicauimus vobis Euangelium, vos
testes estis, & Deus, quàm sanctè, iu-
stè, & sine querela vobis, qui credi-
distis, præstò fuimus, 19 scitis, &
Deus testis est, quomodo vnumquem-
que vestrum 20 deprecantes vos,
& consolantes, non secus, atque pater filios suos deprecari solet, & consolari,
21 obtestati sumus, vt ambularetis dignè coram Deo, qui vocauit 22 vos
in suum regnum, & gloriam. 23 Ideo autem, & nos incessanter Deo gratias
agimus, quoniam cum excepissetis verbum fidei Dei, & prædicationis nostræ,
excepistis illud non quasi verbum humanū, 24 sed (sicut reuera est) verbum
Dei, qui per fidem eiusdem verbi 25 bona operetur in vobis, qui iam credi-
distis: hac enim fide fratres roborati, imitati 26 estis fideles, qui sunt in Iu-
dæa, siquidem eadem, & vos propter Christum, & fidem eius, passi estis 27
à ciuibus nationis vestræ, quæ ipsi passi sunt à prauis Iudæis, qui & Domi-
num Iesum Christum occiderunt, & Prophetas Dei, & nos persequuti sunt,
28 & quamuis putent se obsequium in hoc præstare Deo, ipsi minimè placent,
atque 29 humano generi velut communes hostes, & aduersarij sunt, impe-
dientes Euangelium Gentibus omnib. à nobis annunciari, quo totus orbis sal-
uari posset. 30 Ex quo fit, vt hoc modo impleant 31 mensurā peccatorum
suorum, postquam in ignem, & damnationem æternam destinati sunt, 32*

*succensa enim est ira Dei super illos, atque ipsi sub ea comprehensi sunt, & vs-
que in finem vitæ ipsorum permittet eos in dies in peccata prolabi, neque vn-
quam ab eis per pœnitentiam recedere: & ita fiet, vt completa mensura pec-
catorum æternis suppliciis addicantur. Nos autem 33 Paulus, nimirum Sil-
uanus, & Timotheus, orbati vobis ad breue 34 tempus ipso aspectu, &
præsentia, non tamen corde: 35 ac proinde desolati vehementius studuimus
vos visere, eo quod nos omnes summopere desideramus ad vos venire: & ego
quidem non tantùm semel, sed iterum etiam vos visere curaui; 36 nostro
tamen omnium desiderio obstitit Satanas. 37 Vehementer autem, sicut dixi,
vos visere desiderauimus: quam enim aliam mercedem, aut gaudiũ, aut coro-
nam gloriæ coram Deo in aduentu Domini, qui vnicuique secundum opera
retribuet, speramus? nonne in 38 laboribus erga vestram omnium conuer-
sionem impensis eam collocatam habemus? de vestra enim conuersione, & fi-
de, quòd in ea plurimum laborauerimus, & de retributione, quam à Deo pro
ea speramus, gloriamur, & gaudemus in Domino.*

ANNOTATIONES.

1. Repetiuimus id, quod dixerat Paulus num. 13. præcedentis capitis, vt connecteremus particulam causalem *nam*, cum præcedente capite, neque enim vllius alterius rei ratio per eam particulam congruè reddi potest.

2. Inde incipit cap. & ratio illa refertur ad prædictum num. 13. præcedentis capitis.

3. Nonnulli putant ideò dicere Paulum suum introitum ad Thessalonicenses, ideò non fuisse inanem, quia non fuit inefficax, & sine fructu, Oecumenius per non inanem introitum intelligit prædicationem non humanam, neq; vulgarem. Mihi placet sensus paraphrasis, quem indicat Theophylactus, nam vt ipse ait, periculis fides solidatur, dum maior in illis spes concipitur.

4. Pro in multa solicitudine, vt habet vulgatus, Græcè est ἐν πολλῷ ἀγῶνι, hoc est, cum multo periculo, & certamine: quare solicitudo hoc loco non denotat curam, & diligentiam, sed certamen, in quo quis aliquid periculi, & aduersum patitur, sic intelligunt Græci.

5. Suppleuimus numerum illum, vt explicaremus ad quod referretur causalis particula sequentis numeri.

6. Reddit rationem, ob quam fiducia magna Thessalonicæ prædicauerit, etiam si multa aduersa pateretur.

7. Per

Digitized by Google

7. Per errorem Theophylactus, & Græci intelligunt errorem decipientis, qui est *impostura.* Græcè autem est πλάνη, quæ vox, vt notauit Erasmus, non solùm denotat errorem decepti, sed etiam decipientis: & ita voluisset ipse, vt vulgatus verteret imposturam. Ego verò puto per errorem hoc loco significari falsam doctrinam, nám imposturam denotauit Paulus infra per dolum.

8. Probare corda est non tantum ea nosse, sed etiam expendere, Græcè pro eo, quod est, *probat*, est δοκιμάζει.

9. Per occasionem auaritiæ Græci intelligunt lucri cupiditatem, vt ita denotet Paulus, se nunquam lucri causa prædicasse. Verum cum infra id, quod de se negat, de aliis Apostolis concedat, & affirmet fore, vt aliàs licitum esset, cùm ait, *cum possemus vobis oneri esse vt Christi Apostoli*, & de cupiditate lucri ex prædicatione adquirendi, id intelligi nequit, ideo de alimentis necessariis, quæ ob munus prædicationis iure debentur, intelligendum esse censeo: alimenta autem, quæ hac ratione licitè accipiuntur, appellat occasionem auaritiæ, quia prætextu eorum ex auaritia aliquid amplius nonnunquam exquiri solet, à qua se abstinuisse testatur.

10. Vocat Deum in testem, cum agit de occasione auaritiæ, cum tamen supra agens de aliis rebus solo Thessalonicensium testimonio contentus fuerit, eo quod cætera multo magis manifesta, & nota essent.

11. Participium *quærentes*, quod est præsentis temporis, explicuimus per verbum præteriti, *voluimus*, eo quod repeti debet verbum *fuimus*, quod præcessit, ac si diceret Paulus, nec quærentes fuimus.

12. Vobis oneri esse, Græcè est ἐν βάρει εἶναι: quidam autem interpretantur hoc modo: cum possemus grauitatem inter vos, & autoritatem vendicare, tanquam Christi Apostoli, vt hæc parenthesis referatur ad proximè præcedentia, npe ad illud, *nec quærentes ab hominibus gloriam.* Nos verò cum Theodoreto, Theophylacto, Chrysostomo, & Oecumenio in paraphrasi interpretati sumus: iuxta quam expositionem retulimus ad illud, quod paulò antea dixerat, *neque in occasione auaritiæ, &c.* & per parenthesin legimus, vt faciliorem redderet contextum.

13. Particula aduersatiua *sed*, non refertur ad illud proximè præcedens *cum possemus vobis oneri esse*, & ideo illud sub parenthesi conclusimus, sed ad illud, *Non quærentes ab hominibus gloriam.*

14. Aliqui Græci codices pro paruulis legunt νήπιοι, Latinè *paruuli* alij verò ἤπιοι, Latinè mites, & quamuis vtrouis modo sensus idem videatur, tamen cum particula *sed*, oppositum denotet illius, quod dixe-

videatur, tamen cum particula *sed*, oppositum denotet illius, quod dixerat, *Nec quærentes ab hominibus gloriam*, multò melius legit vulgatus noster νήπιοι, & Latinè vertit, *paruuli*.

15. Tametsi verba illa, *tanquam si nutrix*, non diuidantur puncto à præcedentibus, sed commate tantum, tamen non immerito coniunguntur in paraphrasi cum sequentibus: nam quamuis sensus sit, facti sumus, tanquam si nutrix foueat filios suos, tamen particula *ita*, à qua sequens periodus incipit, explicat modum, quo Paulus se habuerit, vt nutrix erga Thessalonicenses: prædicta autem verba referri non posse ad illa præcedentia. *Sed facti sumus paruuli in medio vestri*, manifestum est.

16. Illud *cupide*, quod nos interpretati sumus, *summopere*, aliqui referūt ad participium *desiderantes*, vt sensus sit summo amore erga vos flagrantes. Verùm melius refertur ad *volebamus*, vt in paraphrasi, & ita in emendata Sixti distinctione ipsa punctorum refertur.

17. Totum hunc numerum addidimus, vt indicaremus, ad quid referenda esset causalis *enim* numeri sequentis, pro qua posuimus particulam *siquidem*, neque enim prædicta causalis referri potest ad proxime præcedentia in numero 10. & sequentibus vsque ad 16. sed ad illud, quod est in num. 9.

18. Ab experimento comprobatur id, quod dixerat num. 10. nempe nihil se accepisse pro sustentatione sui, eo quod labore manuum suarum sibi victum comparauerit.

19. Testimonium ipsorum Thessalonicensium, & Dei hoc loco adducit ad comprobandum id, quod dixerat numero 15. instar nutricis erga eorum salutem spiritualem se habuisse, & exemplum nutricis commutat in exemplum Patris, qui eodem affectu bono filiorum prospicit.

20. *Vos*, quod erat in textu non omisimus, quamuis redundare videretur, vt moris est apud Paulum.

21. Pro *obtestati sumus*. Græcè est μαρτυρόμενοι, quod licet plerunque significet simplicem testationem, hoc loco capitur, non pro testatione simplici, sed pro obtestatione, & ita interpretati sumus. Caietanus putat, in omnibus illis participiis subintelligendum esse verbum *fuimus*. Verum cum postea subdat *obtestati sumus*, non opus est prædictum verbum supplere, sed sine illo sensus rectè connectitur.

22. *Prouocauit*, interpretatur Caietanus *vocat*: verum non opus est hoc loco mutare tempus, cum scribat Paulus ad eos, qui iam ad fidem vocati erant, & eos deprecetur, vt dignè vocationi respondeant.

23. Causalis *ideo* non refertur ad præcedentia, quia nullam causam præcedentium reddit, sed connectitur cum alia causali sequenti *quoniam*,

Digitized by Google

niam, & causam sequentium reddit, qua ratione addidimus particulam *autem*, quæ vim habet continuandi, vt contextus, & oratio melius flueret. Quocirca non rectè aliqui interpretantur per *quapropter*, hæc enim causalis semper refertur ad præcedentia, cum inclusum habeat relatiuum.

24. Verbum auditus idem est, quod verbum fidei, quia vt dicitur ad Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi.*

25. Cum Paulus dicat solùm, *operatur*, nos explicuimus id, quod dicit Deum in ipsis operari, nempe bona opera, ipse enim Deus dicitur in nobis operari velle, & perficere pro bona voluntate, opus tamen non est, vt *credidistis*, quod est præteriti, explicemus per *credatis*, sicut vult Caietanus: denotat enim Paulus initium fidei, cum primum credere cœperunt, & intellectum suum fidei diuinæ subiecerunt.

26. Per Ecclesias, quæ sunt in Iudæa, intelligit fideles ex Iudaismo conuersos.

27. Per contribules non intelligit eos, qui sunt ex eadem familia, sed latiori significatione omnes, qui sunt ex eadem natione, aut ciuitate.

28. Illum numerum suppleuimus, iuxta mentem Caietani.

29. Per homines intelligit vniuersum genus humanum, quod prædicatione Pauli saluari poterat.

30. Particula *Vt* hoc loco non est nota causæ finalis, sed euentum significat, iuxta doctrinam à nobis traditam 1. part. disp. 95. cap. 7.

31. Per mensuram aliqui intelligunt abundantiam, ego verò existimo, denotari complementum omnium peccatorum, quod in diuina prædestinatione Deus expectare decreuit, vt Iudęos puniret, & idem significari censeo Matth. 23. illis verbis. *Verumtamen implete mensuram patrum vestrorum.*

32. Ira Dei tunc dicitur in aliquem peruenire, & ipsum comprehendere, seu in eum succendi, cum eum re ipsa punit, sicut hos Iudæos.

33. Per *nos* intelligit, non se solum, sed etiam Siluanum, & Timotheum, quorum etiam nomine hanc epistolam scribit.

34. Tempus horæ, idem est, quod breue tempus.

35. Pro *desolati* in numero 34. posuimus *orbati*, nam vox Græca ἀπορφανισθέντες, idem est, quod Latinè *orbati*, addidimus tamen illa verba, *ac proinde desolati*, vt complecteremur sensum nostræ vulgatæ, quæ pro *orbati* transfert *desolati*, attendens ad effectum, qui absentiam amicorum consequitur, nempe ad desolationem.

36. Hunc numerum addidimus, vt ostenderemus, ad quid referretur causalis numeri sequentis: manifestum enim est non referri ad proximè præcedentia.

37. Verba illa *coram Deo*, quæ inferius posita sunt à Paulo, in responsione interrogationis posuimus in hoc numero, eo quod Paulus de eodem interrogat, de quo respondet, neque de alia retributione, nisi de ea, quam à Deo sperabat, loquitur. Cum autem duobus modis hæc verba de retributione intelligi possent, nempe de accedentaria, quæ esset in gaudio, quod speraret Paulus se habiturum de Thessalonicensium conuersione, ita vt ipsi esset obiectum gaudij, & de gaudio beatitudinis, quæ est essentialis retributio, nos interpretati sumus de retributione essentialis beatitudinis, in quo cætera virtute continentur: id autem denotare videtur interrogatio illa, *quæ est enim nostra spes?* hæc enim interrogatio significare videtur, Paulum nihil aliud sperasse, quod quidem non rectè dixisset de solo gaudio accidentario, quod se habiturum speraret de conuersione Thessalonicensium.

38. Cum dicit: *nonne vos, &c.* non denotat ipsos Thessalonicenses futuros obiectum gaudij, quod pro retributione speraret in aduentu Domini, quia re vera sperabat maius quid pro retributione, vt diximus: dicit ergo Thessalonicenses esse coronam, & gloriam suam, quia propter labores, erga ipsos impensos, beatitudinem ipsam, quæ est in Dei visione, & fruitione, speraret.

ARGVMENTVM
CAPITIS III.

CVm in præcedente capite dixisset Paulus, non potuisse Thessalonicam se conferre ad visendos, & confirmandos fideles illius ciuitatis, sicut desiderabat; in hoc capite ostendit se eiusmodi desiderium amplius differre non potuisse, ideoq; misisse ad eos Timotheum, qui pro eo id ipsum præstaret: se autem consolatum esse ex eorum fide & constantia, quam ex Timotheo

theo reuertente resciuit, nec paruo eos videndi desiderio adhuc teneri: & tandem bene illis precatur, vt in incepto perseuerent.

CAPVT III.

1 PRöpter quod non sustinentes amplius placuit nobis rema-
2 nere Athenis, solis: & misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelium Christi, ad confirmandos vos & exhortandos pro fide vestra:
3 vt nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quod
4 in hoc positi sumus. Nam & cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & sci-
5 tis. Propterea & ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentauerit vos is, quis tentat, & ina-
6 nis fiat labor noster. Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante nobis fidem, & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut nos quoque vos:
7 ideo consolati sumus fratres in vobis, in omni necessitate, & tribulatione nostra, per fidem ve-
8 stram: quoniam nunc viuimus, si
9 vos statis in Domino. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio quo gaudemus propter

PARAPHRASIS.

QVapropter 1 cum Satanas nostrum desiderium vos videndi adhuc impediret, 2 neque nos amplius illud sustinere & differre possemus, 3 decreuimus remanere Athenis soli, & misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi ad confirmandos vos, & exhortandos im fide, quam semel suscepistis, vt nemo constitutus in tribulationibus ab ea dimoueatur: ipsi enim bene nostis, eos omnes, qui fidem Christi recipiunt, 4 ipsa fide ad hoc, id est, ad ferendas afflictiones destinatos esse. 5 tantùm abest, vt pro fugiendis aduersitatibus ipsam fidem deserere debeamus: 6 id autem rectè scitis; 7 siquidem & cum apud vos essemus, annunciabamus vobis, nos propter fidem passuros quidem esse tribulationes, sicut re ipsa factum est, & bene nostis. Idcirco cum ad vos ire non possem, vt dixi, & timens, ne terrore afflictionum à fide dimoueremini, desiderium vos confirmandi in fide amplius differre non possem; misi Timotheum ad explorandam, & cognoscendam fidem vestram, ne forte communis aduersarius, qui tentat omnes, tentauerit vos, &

 labo-

propter vos ante Deum nostrum
10 nocte ac die abundantius oran-
tes, vt videamus faciem vestram,
& compleamus ea, quæ desunt fi-
11 dei vestræ? Ipse autem Deus, &
Pater noster, & Dominus Iesus
Christus dirigat viam nostram ad
12 vos. Vos autem Dominus multi-
plicet, & abundare faciat charita-
tem vestram in inuicem, & in o-
mnes, quemadmodum & nos in
13 vobis; ad confirmanda corda ve-
stra sine querela, in sanctitate an-
te Deum, & Patrem nostrum, in
aduẽtu Domini nostri Iesu Chri-
sti, cum omnibus sanctis eius, A-
men.

laborem nostræ prædicationis inanem & sine fructu in vobis 8 reddiderit. Nunc aũt redeunte Timotheo Thessalonica ad nos, & 9 prospera annuntiante nobis de fide, & charitate vestra, quodque memores nostri semper estis 10 in bonum cupientes nos videre, sicut & nos quoque vos visere desideramus, 11 consolationẽ accepimus ex vobis per fidẽ vestrã, de qua nobis Timotheus prospera annuntiauit: 12 tametsi & nos in necessitate, & afflictione essemus constituti, 13 ita vt propter gaudium, quod de vobis accepimus, nullus sensus doloris, & tribulationis nostræ in nobis reliquus fuerit; sed quasi à morte timoris, & doloris suscitati resumpto spiritu viuamus, cum nulla sit tam grauis afflictio, etiam si sit mortis, quæ nobis doloris causa esse possit, dummodo vos in fide Domini, & charitate constanter perstare sciamus. 14 Neque mirandum est, quòd dixerim, nos viuere, eo quod sciamus vos in fide, & charitate perseuerare: 15 etenim ita lætati sumus, vt 16 ne inueniamus quidem, quas gratias Deo dignas reddere possimus pro 17 pleno gaudio, quod ex vestro profectu habemus 18 in Domino, nocte dieque magis ac magis orantes, vt concedat nobis Deus videre vos, & docere vos aliqua, 19 quæ adhuc ad doctrinam fidei vestræ magis explicandam desiderantur. Ipse autem Deus, & Pater noster, & Dominus Iesus Christus, ita dirigat viam nostram ad vos, 20 vt obstacula, quibus Satanas obsistere nobis contendit, de medio tollat. Dominus autem vestram congregationem, & Ecclesiam multiplicet, & charitatem vestram exuberare faciat, 21 non tantùm mutuã in fratres fideles, qui vos etiam diligunt, 22 sed etiã in omnes alios etiã infideles, qui adhuc non diligunt vos 23 (quemadmodum & nos feruenti charitate, non solùm nunc diligimus vos, cum scimus vos in fide permanere, & nos à vobis diligi; verùm etiam quando infideles, & inimici Christi eratis, dileximus) exuberare inquam, faciat charitatem vestram, vt confirmentur, & seruentur corda vestra in sanctitate apud Deum quæ sit 24 sine graui peccato, & lethali, 25 in aduentu Domini nostri Iesu Christi, quando cum omnibus sanctis ad iudicandum venerit, Amen.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

1. Causalis *quapropter* refertur ad id, quod capite præcedente dixerat, *sed impediuit nos Satanas* & ideo in paraphrasi illud repetiuimus, vt ostenderemus connexionem huius capitis cum præcedente per particulam illam causalem.

2. Sustinere hoc loco idem est, quod differre, nam qui differt desiderium, aliquid pati, & sustinere dicitur.

3. Pro *placuit nobis* Græcè est εὐδοκήσαμεν, Latinè *decreuimus*, eundem autem sensum continent verba illa, *placuit nobis*, nisi quod secundum Grammaticæ regulas participium *non sustinentes*, non potest rectè conuenire cum illis.

4. Positos esse, idem est, quod destinatos, & constitutos esse: addidimus autem illud *ipsa fide*, vt ostenderemus destinationem hanc in ipsa fidei nostræ professione fundamentum habere.

5. Numerum quintum addimus, vt vim rationis Pauli, & energiam, qua suadebat Thessalonicensibus, ne propter afflictiones, & aduersa, quæ patiebantur, à fide deficerent, magis explicaremus.

6. Illud quod est in numero sexto repetiuimus, vt connexionem rationis, quam subiungit Paulus, indicaremus, nec verbis in paraphrasi additis, obscurior redderetur.

7. Reddit rationem eius, quod dixerat in numero tertio, & nos iterum in nu. 6. repetiuimus, vt diximus: quare nimirum dicat, eos rectè scire eos, qui credunt, eo ipso ad patiendum aduersa destinatos esse.

8. Inanem laborem suæ prædicationis appellat sine fructu, quod eos timeret à suscepta fide metu persecutionum recessisse.

9. Quod Timotheus renunciauerit eos in fide, & charitate perseuerare, prospera annunciatio fuit Paulo, quòd esset contra timorem, & ideò diximus in paraphrasi, prospera annunciante.

10. Bonam memoriam vocat Paulus, non quod viua esset quomodocunque, sed quod ea esset in bonum, non in malum, sicut aliqui etiam amici aliorum memores esse solent.

11. *Consolati sumus*, passiuè positum est pro eo, quod est, consolationem accepimus.

12. Quod ait, *In omni tribulatione, & necessitate nostra* addit Paulus, vt expenderet eximiam consolationem, quam habuit ex bono nuntio Timothei.

13. Explicat magnitudinem consolationis, vt non solùm abstulerit timorem de eorum lapsu, sed etiam lenierit dolorem, quem ipse ex

Digitized by Google

suis tribulationibus Athenis patiebatur, ita vt iam quasi è morte suscitatus viueret.

14. Addidimus in paraphrasi num. 13. vt ostenderemus connexionem causalis particulæ sequentis cum præcedentibus, quæ non ita bene apparere posset, nisi numerus ille adderetur propter aliqua, quæ in præcedente numero ad maiorem explicationem addidimus.

15. Ab effectu ostendit, quam magna lætitia fuerit affectus, quod nimirum non inueniat dignas gratias, quas pro ea Deo reddere posit.

16. Per negationem explicuimus mentem Pauli, eam enim continet interrogatio illa affirmans, *quam enim, &c.*

17. Per omne gaudium intelligit plenum, & integrum, sicut etiam per omnem benedictionem, integram benedictionem, ad Ephesios 1. vt ibidem notauimus.

18. Per illud, *in Domino*, explicat, quale fuerit gaudium, nimirum spirituale.

19. Non dicit, *quæ desunt*, quasi existimet eos adhuc integrè non credere, sed vt in paraphrasi explicuimus. Ita notant Chrysostom. Theophylactus, & Euthymius.

20. Iuxta Scripturæ phrasin dirigere idem est, quod ea, quæ obstare possunt auferre, & in hunc sensum explicuimus illud Prouerbior. 16. *à Domino gressus diriguntur*. 1. 2. disp. 185. cap. 20.

21. Per illud *inuicem*, intelligit mutuam charitatem inter fratres, & fideles iustos.

22. Per illud, *& in omnes*, intelligit reliquos omnes etiam infideles, vt in paraphrasi.

23. Per parenthesin ea explicare voluimus, & aliqua suppleuimus, vt clarior sensus redderetur: nam Paulus eandem omnino Thessalonicensibus deprecatur gratiam, quam sibi à Deo concessam fuisse existimauit.

24. Querela hoc loco denotat *lethale peccatum*, quod solùm in aduentu Domini erit causa damnationis: Lucæ autem 1. cum dicit de Zacharia, & Elisabeth, fuisse sine querela, significat peccatum, quod apud homines solùm criminationis, & querelæ causa esse solet, vt notat Augustinus lib. 1 de gratia Christi cap. 48. & 49.

25. Aliqui cum Caietano pro *in aduentu*, legunt *in aduentum* sed codices omnes habent *in aduentu*, & sensus planus est, vt in paraphrasi.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM
CAPITIS IV.

Caput hoc continet exhortationes de moribus, & in fine nonnihil de resurrectione, non vt ex instituto Thessalonicensibus explicet Paulus mysterium resurrectionis, & in eo ipsos confirmet: sed vt indicet quo pacto ex fide resurrectionis consolari se inuicem debeant de morte suorum: hoc enim genus solatij est proprium fidelium, & Christianorum, qui spem habent vitæ æternæ.

CAPVT IV.

1 DE cætero ergo fratres, roga-
mus vos, & obsecramus in
Domino Iesu, vt queadmodum
accepistis à nobis quomodo o-
porteat vos ambulare, & placere
Deo, sic ambuletis, vt abundetis
2 magis. Scitis enim quæ præcepta
dederim vobis per Dominum Ie-
3 sum. Hæc est enim voluntas Dei,
sanctificatio vestra: vt abstineatis
4 vos à fornicatione, vt sciat vnus-
quisque vestrum vas suum posſi-
dere in sanctificatione, & hono-
5 re; non in paſsione desiderij, si-
6 cut & Gentes, quæ ignorant
Deum, & ne quis supergrediatur,
neque circunueniat in negotio
fratrem

PARAPHRASIS.

QVod superest ergo fratres, rogamus vos, 1 & hortamur, vt eo modo, quo accepistis 2 oportere vos viuere, & placere Deo, 3 viuatis, vt indies in iustificatione crescatis: 4 id autem præstare poteritis, 5 siquidẽ nõ ignoratis, quæ præcepta 6 tanquã Christi legem vobis tradiderim. 7 Dixi autem, tanquam Christi legem, quia sunt diuinæ voluntatis, ac proinde Christi; nam diuinæ voluntatis est sanctificatio vestra in omni opere bono virtutis, & abstinentia ab omni genere peccatorum: vt ita abstineatis vos 8 à fornicationis peccato, & vnusquisque vestrum se ipsum

17 Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur: simul rapiemur cum illis in nubibus, obuiam Domino in aera: & sic semper cum Domi-
18 no erimus. Itaq; consolamini inuicem in verbis istis.

res agatis, & propriis manibus laboretis, quatenus sustentari possitis sicut præcepimus, & monuimus vos, & vt honestè viuatis 16 inter infideles,
17 nullius rei eorum indigentes, ita vt nec stipem ab eis petere vobis necesse sit, ne facilè offendantur, si videant hominem corpore sanum mendicare, quando & nostri iis etiam hominibus offenduntur. Nolumus autem, vt ignoretis, aut obliuioni tradatis doctrinam, & documenta, quæ 18 de defunctis fidelibus vobis tradidimus, vt de eorum obitu non contristemini, sicut infideles, & Gentiles, qui cum nullam fidem, & spem vitæ æternæ habeant, ita contristari solent, 19 vt nullam prorsus ex fide, & spe melioris vitæ pro defunctis suis recipiant consolationem, ac proinde solo temporis cursu dolor eorum mitigetur. 20 Nam si nos fideles credimus, quod Iesus mortuus est, & in vitam immortalem resurrexit; ita etiam 21 credere debemus, quod Deus eos, qui ex fidelibus sanctis dormierunt, suscitabit, & in eandem vitam immortalem cum eo simul adducet: 22 diximus autem, cum eo simul adducet; quia hoc vobis asseueranter ex sententia Domini affirmamus, quod ij, qui nunc viuunt, & nondum vitæ cursum finierunt, non prius resurgent, quam qui antea mortui sunt, quasi prius mortui ab hac resurrectione in vitam immortalem longius distent: quoniam ipse Dominus Iesus Christus cum
23 maiestate, imperio, & potestate, 24 & cum voce Archangeli instar tubæ nomine Dei vocantis mortuos ad iudicium veniet, & simul, atque vox hæc insonuerit: 25 primum quidem mortui in fide Christi, & sanctitate resurgent; 26 reliqui præterea fideles, qui nunc viuunt, & postea futuri sunt, & 27 in Domino morientur, simul cum iis qui prius mortui 28 in Domino fuerant, resurgent; & in aera simul cum illis rapientur obuiam Christo. Non igitur temporis decursu, sicut Gentiles, sed hac firma spe, & fide resurrectionis, quam prædictis verbis vobis exposui, consolationem doloris vestri diligenter exquirite.

ANNOTATIONES.

1. In Græco est παρακαλοῦμεν, quod consolari, & hortari significat: obsecrare autem magis est, quam rogare. & aliquando idem, quod per sacra rogare: pro *rogamus* autem in Græco est ἐρωτῶμεν, à verbo ἐρωτάω, quod interrogare, & petere significat, & aliquando precari, vt in hoc loco, & Matth. 15. *rogabant dicentes, dimitte ipsam.*

2. Illud *quomodo* redundare videtur, ideo in paraphrasi omisimus.

3. Totum illud *sic & ambuletis*, putat Caietanus redundare, & ita putat hunc esse sensum, hortamur vt abundetis magis. Ego verò existimo non redundare, vt patet ex paraphrasi: illud autem *ita abundetis magis*, denotat finem, & fructum, qui ex recta vita consequitur.

4. Numerum 4. addimus, vt ostenderemus vim causalis sequentis.

5. Hic redditur causa non eius, quod in textu præcesserat: sed eius quod suppletum est, & facile subintelligebatur.

6. Illud *per Dominum Iesum Christum*, denotat autorem legis traditæ ab Apostolis.

7. Illud *dixit autem, &c.* in paraphrasi suppleuimus, vt ostenderemus vim causalis particulæ sequentis, cum ad præcedentia vix referri posset: perperam enim sequentia aliqui legunt per continuatiuam *autem* hoc modo, *hac est autem, &c.* cum emendata legat cum causali *enim*, hoc pacto: *hac est enim voluntas Dei, &c.*

8. Propter Gentiles meminit fornicationis, & quod existimarent non esse peccatum, vt admonet Caietanus.

9. Vocat corpora Thessalonicensium, seu ipsos vasa, quia homines sunt instar vasis ad suscipiendum liquorem diuinæ gratiæ.

10. Honorem hîc accipit pro vero, qui est apud Deum, non pro honore apud homines.

11. Illud, *ideò autem, &c.* suppleuimus ob eandem rationem, quam diximus num. 4. & 7.

12. Nomine Spiritus Sancti, non solùm intelligit Paulus sanctificationem, sed etiam auxilium gratiæ præuenientis, & adiuuantis ad seruandam legem, sine quo, vt ex mente Augustini diximus 1. 2. disp. 189. & in paraphrasi Epistolæ ad Romanos sæpe numero, cum sola notitia lex Dei seruari non potest.

13. Sicut intelligere, & scire in Scriptura, non solùm denotat notitiam intellectus, sed etiam affectum voluntatis, vt perspicuum est, ita etiam discere denotat disciplinam non tantum intellectus, sed etiam affectus.

14. Ex causa, quam hic reddit Apostolus colligitur id, quod diximus, disciplinam, de qua numero præcedente loquitur, etiam ad affectum pertinere, nam quod didicerint comprobat ex opere ipso.

15. Abundare, hoc loco est crescere magis, ac magis in charitate.

16. Per eos, qui *foris sunt*, intelligit infideles, qui sunt extra Ecclesiam, sicut, & in eo loco 1. ad Cor. 5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt?*

17. Pro eo, quod vulgatus dixit, *& nullius aliquid desideretis*. Græcè est, μηδενὸς χρείαν ἔχητε, vt nullius indigentiam habeatis; hinc enim oritur, vt *alterius* desideremus rem, & petamus, si illa indigemus. Exhortatur

tatur igitur, vt ita sustentationi suæ necessaria laborantes propriis manibus, si opus fuerit, habeant, vt ab eis nihil petant, ne offendantur.

18. Dormio Latinè, & *κοιμάομαι* Græcè in Scriptura sumitur pro mori, inde autem deriuatur vox *κοιμητήειον*, quod si verbum pro verbo redderes, dicere deberes Latinè dormitorium, sumitur autem pro loco, in quo requiescunt corpora defunctorum.

19. Suppleuimus num. illum, vt explicaremus discrimen inter tristitiam infidelium de dormientibus, & fidelium.

20. Reddit rationem aliquam cur debeant non contristari, sicut Gentes, sed ex fide, & spe consolationem accipere.

21. Fides catholica docet, omnes tam bonos, quam malos resurrecturos, verum quia mali resurrecturi sunt ad secundam mortem, nempe ad pœnam inferni, solum meminit hic Paulus resurrectionis sanctorum, qui in vitam resurrecturi sunt, quorum resurrectionis spes iure optimo iis qui superstites sunt, esse debet causa consolationis, vt hic contendit Paulus.

22. Quædam verba hic addidimus, vt ostenderemus, cuius rei causam indicaret sequens particula causalis.

23. Per *iussum*, intelligit id, quod dixit Luc. cap. 21. *Cum potestate magna, & maiestate*, ita vt id, quod ipse iusserit fieri, futurum sit.

24. Non puto futuram aliam vocem Archangeli, & & aliam tubæ, sed cum hæc facturus sit Christus ministerio Angelorum, ad hanc vocem resonantem instar tubæ, vtetur etiam illo, & ideò quæ in textu diuersa videbantur, nos coniunximus.

25. Per illud *primi* quidam putant non denotari ordinem temporis, sed dignitatis respectu damnatorum, quasi priores illi in Domino mortui resurrecturi sint ad gloriam, damnati autem ad mortem: quam expositionem sequitur Gagneius, indicant Theodor. Theophyl. Oecumen. & Primasius. Verum cum illud *primi*, posuerit Paulus respectu eorum, qui tunc viuebant, & de illis dixerit, *deinde nos qui viuimus*, hæc interpretatio quadrare non potest, nec probanda est, quam alij explicant de ordine dignitatis, vt ij, qui iam dormierant resurrecturi sint ad maiorem gloriam. Sed S. Thomæ hæc expositio non probatur, quia aliqui ex iis, qui postea morituri erant, futuri erant digni maiori gloria, quam multi alij prius mortui. S. Thom. exponit de ordine temporis, non inter resurrectionem priorum, & posteriorum, quia vtrorumque futura est in momento, & ictu oculi, sed inter resurrectionē eorum, qui dormierunt, & raptum eorum, qui superstites tunc erunt, quia prius illi resurgent, quàm hi rapiantur, postea verò simul vtrique rapientur in aera. Denique Anselmus denotare videtur resurrectionem eorum,

Digitized by Google

qui dormierunt, futuram prius, & eos prius Christo occursuros in aera, antequam occurrant, qui tunc superstites erant: postea verò hos rapiendos in aera ab angelis, vt simul cum prioribus, deinde Christo occurrant. Mihi videtur, vt in paraphrasi, nomen *primum* positum esse pro aduerbio *primum*; nam Græcè est πρῶτον, Latinè primum: huic autem rectè subiunctum fuisse aduerbium Græcum, ἔπειτα, Latinè *deinde*, & his nec denotari ordinem temporis, neque dignitatis, sed solius narrationis, vt *deinde* idem sit, quod præterea, sicut in paraphrasi exposuimus. Sumit autem Paulus argumentum consolandi fideles de morte suorum ex resurrectione, quam speramus, quę tam iis, qui mortui tunc erant, quam iis, qui tempore Pauli viuebant, & postea victuri, & nasciturі erant, simul futura est: nec vlli eorum alios in resurrectione præuenient, eo quòd prius mortui non longius distent à resurrectione.

26. Per residuos, & qui nunc viuunt, non intelligit eos tantùm, qui tempore Antichristi superstites erunt, sed omnes quocunque tempore viuentes comparatione mortuorum, qui præcesserunt.

27. Addidimus verba huius numeri, quia Paulus hîc solum loquitur de morte bonorum, de quibus spem resurrectionis ad meliorem vitam habemus, non autem de damnatis.

28. Hic ostendit, quo pacto simul futurus est occursus omnium Christo, vt ita sit communis ratio consolandi quoscunque fideles de morte suorum defunctorum, qui diu antea mortui sunt, & præcesserunt.

ARGVMENTVM
CAPITIS V.

QVoniam dixerat Paulus in fine præcedentis capitis, vnumquemque fidelem debere mitigare dolorem suum de morte suorum propinquorum, & amicorum, consideratione, & spe resurrectionis futuræ in aduentu Domini Iesu Christi ad vitam immortalem, & dixerat,

vt

vt inuicem se consolarentur in verbis his; ideo in hoc capite 5. instruit eos de die aduentus, ne putarent certo, & definitè ab hominibus sciri. Et ostendit qualiter ipsum expectare debeant, & in hoc ferè mediam partem capitis consumit. In altera verò, quæ tota parænetica etiam est, alia documenta salutis Thessalonicensibus præbet.

CAPVT V.

1 DE temporibus autem & momentis, fratres, non indige-
2 tis vt scribamus vobis. Ipsi enim
diligenter scitis quia dies Domini
sicut fur in nocte, ita veniet.
3 Cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient.
4 Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam
5 fur comprehendat: omnes enim
vos filij lucis estis, & filij diei: non
sumus noctis, neq; tenebrarum.
6 Igitur non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus, & sobrij si-
7 mus. Qui enim dormiunt, nocte
dormiunt: & qui ebrij sunt, no-
8 cte ebrij sunt. Nos autem qui diei
sumus, sobrij simus, induti loricam fidei, & charitatis, & galeam
9 spem salutis: quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionē salutis per Dominum nostrum

PARAPHRASIS.

MOnui quidem vos præcedente capite, vt spe aduentus Christi, in quo omnes in eo mortui resurrecturi sunt ad vitam immortalem, vt vnusquisque fratrem suum de morte suorum consolaretur, & ipse etiam dolorē suum leniret, atq; hoc dixisse vobis sufficiat ad eum effectū: de ipso tamen definito tēpore, & momento, quo Christus venturus est, nec esse nō vt est vobis scribam: vt enim estis 4
diligētes, in sciendis mysteriis, exactè nostis 5 *Dominum venturum clanculum repente, sicut fur in domum alicuius repente, & ipso Domino nihil omnino præcauente ingredi solet;* 6
cum enim impij putabunt omnia in pace & secura esse, tunc eis repente superueniet æternum supplicium, & sicut prægnanti mulieri nihil cogitanti, imò ridenti, & ludenti dolores partus, qui sunt instar mortis, repentè aduenire solent. 8 *Iis igitur homini-*

Digitized by

nostrum Iesum Christum, qui
10 mortuus est pro nobis: vt siue
vigilemus, siue dormiamus, simul
11 cum illo viuamus. Propter quod
consolamini inuicem, & ædifica-
12 te alterutrum, sicut & facitis. Ro-
gamus autem vos fratres, vt no-
ueritis eos, qui laborāt inter vos,
& præsunt vobis in Domino, &
13 monent vos, vt habeatis illos a-
bundantius in charitate propter
opus illorum: pacem habete cum
14 eis. Rogamus autem vos fratres,
corripite inquietos, consolamini
pusillanimes, suscipite infirmos,
15 patientes estote ad omnes. Vide-
te ne quis malum pro malo alicui
reddat: sed semper quod bonum
est, sectamini inuicem, & in om-
16 nes. Semper gaudete. Sine inter-
17 missione orate. In omnibus gra-
18 tias agite; hæc est enim voluntas
Dei in Christo Iesu in omnibus
19 vobis. Spiritum nolite extingue-
20 re. Prophetias nolite spernere.
21 Omnia autem probate, quod bo-
22 num est, tenete. Ab omni specie
23 mala abstinete vos. Ipse aūt Deus
pacis sanctificet vos per omnia:
vt integer Spiritus vester, & ani-
ma, & corpus sine querela in ad-
uentu Domini nostri Iesu Christi
24 seruetur. Fidelis est, qui vocauit
25 vos: qui etiam faciet. Fratres, o-
26 rate pro nobis. Salutate fratres
27 omnes in osculo sancto. Adiuro
vos per Dominum, vt legatur e-
pistola hæc omnibus sanctis fra-
tribus.

minibus, & peccatoribus, & infidelibus aduentus Domini erit sicut aduentus furis, 9 vos autem non estis in tenebris, & nocte 10 infidelitatis, vt ita 11 dormientes, & incautos 12 aduentus Christi 13 sicut aduentus furis vos præueniat, & opprimat. 14 Omnes enim estis filij 15 lucis, & diei, & fidei, hoc est, fideles; non estis filij noctis, & tenebrarum infidelitatis, hoc est, infideles. 16 Cum igitur sitis filij diei, & fidei, hoc est fideles, non dormiatis, neq; inebriemini, hoc est, ne peccetis, & peccato tanquam somno, & ebrietate incauti sitis pro hora illa, & die aduentus Domini, 17 sicut & cæteri infideles, qui sunt filij infidelitatis, ac proinde noctis, & tenebrarum, hoc est, infideles somno, & ebrietate, peccato dormiunt, & ebrij sunt, & ideo incauti, & improuidi pro illo aduentu; sed bonis operibus, & custodia legis 18 vigilate, hoc est, parati, & sobrij estote contra somnum, & ebrietatem animæ (cui inertia, & incuria coniuncta est) videlicet contra peccatum. 19 Qui enim inter homines somno corporis dormiunt, non interdiu, sed nocte dormire consueuerunt, & qui inebriari solent vino, eo quòd potationi nimium dediti sint, non interdiu inebriantur, ne dedecori eis sit, sed noctu, vt simul cum ebrietate somnum coniungant, & ita nemo hoc illis probare possit. Vos autem diei filij estis, hoc est fidei filij, seu fideles, sobrij estote, bo-

nis

Digitized by Google

tribus. Gratia Domini nostri Ie-
28 su Christi vobiscum. Amen.

nis operibus incũbentes, ne vino pec-
cati inebriemini, atque ita improuidi
inueniamini, 20 & veluti custo-
des vigilantes excitate in vobis fidem, & charitatem, vt eis tanquam lorica
induti, & spem, vt ea tanquam galea muniti sitis, 21 id quod maximè con-
gruit vocationi vestræ. 22 Nam ex quo Deus vos ad fidem conuertit, non
fecit vos filios fidei, hoc est fideles ad hunc finem, vt vos incautos, & impro-
uidos in die aduentus sui inueniret, & ita æterno supplicio in vos animaduer-
teret: sed vt 23 consequeremini æternam salutem ex meritis Domini nostri
Iesu Christi, qui mortuus est pro vobis, 24 vt ita spiritu, & animo quidem
vigilantes, 25 siue corpore vigiletis, siue dormiatis, cum ille aduenerit, ita
vos præparatos inueniat, vt cum illo vitam æternam consequamini, propter-
ea mutuo 26 consolamini, & exhortamini vos hac doctrina, 27 & mu-
tuo ædificate bonis operibus, sicut reuera facitis, 28 vt ita spiritu vigilan-
tes aduentum Domini, sicut oportet, expectetis. 29 Sicut autem præcedente
capite ad paternam charitatem erga omnes in vniuersum vos fui exhortatus,
ita etiam nunc rogo, vt eos, qui inter vos laborant in prædicatione Euangelij,
& in aliis Ecclesiasticis ministeriis, & præsunt vobis in Domino, & tanquã
pastores monent vos, 30 agnoscatis, & magis quã alios diligatis, & circa
hos charitas vestra magis eluceat: 31 vt ita gratiam eis reddatis operis, quod
erga vos præstant, & pacem cum eis habeatis. Rogamus autem vos, vt 32
alia quæ ad mores etiam pertinent, diligenter curetis, videlicet vt corripiatis,
& moneatis 33 otiosos, consolemini pusillanimes, opitulemini infirmis, &
imbecillibus, patienter toleretis, non tantum fideles, sed etiam 34 alios om-
nes infideles. Malum malo non rependatis, vindictam de iniuriis vobis il-
latis sumentes: quin potius 35 pro malo accepto bonum reddatis, 36 non
tantùm iis, qui eandem fidem vobiscum sectantur, sed etiam infidelibus, 37
& semper hilari animo sitis, etiamsi aduersa patiamini, 38 indesinenter
oretis, 39 & de omnibus rebus, etiam aduersis gratias Deo agatis: 40
hoc enim voluntati Dei placet, & summopere acceptum est. 41 Spiritus san-
cti dona non prohibeatis inter fideles exerceri. Et prophetiæ gratiam, qua ali-
qui præditi sunt, ea de causa, quod inter vos falsi aliqui Prophetæ inuenian-
tur, non contemnatis: 42 sed omnia, quæ videntur esse dona Dei, siue lin-
guarum, siue prophetiæ, siue sanitatis, examinate diligenter, an à bono spiri-
tu, & gratia Dei procedant, & quod bonum esse inueneritis, ad vtilitatem spi-
ritualem fidelium retineatis, & exerceri inter vos permittatis. Nec tantum
ab eo, quod malum reuera est, sed etiam ab eo quod malum apparet, & vide-
tur,

tur, omnino abstineatis, nec permittatis inter vos. 43 *Deus autem ipse, qui borum donorum autor est, sanctificet vos* 44 *totos, hoc est, spiritum, & carnem vestram,* 45 *vt pars vestra rationalis, & sensus, & vita sine corruptione vlla peccati, pro aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* 46 *Fidelis est Deus, ac verax, qui vocauit nos in fidem, & Euangelium hoc, ac proinde ita faciet, & præstabit id, quod dixi: Fratres orate pro Paulo.* 47 *Siluano, & Timotheo; salutate fratres omnes, qui vobiscum sunt,* 48 *& osculo puro, & casto, nomine nostro pacem eis præbete. Adiuro vos, vt legatur Epistola hæc* 49 *omnibus fidelibus fratribus. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum sit. Amen.*

ANNOTATIONES.

1. Hunc totum numerum addidimus, vt ostenderemus connexionem huius capitis cum fine præcedentis.

2. Aduerbium *autem*, vim habet aduersatiuæ dictionis, potius quam continuatiuæ, & ideo per *tamen* sumus interpretati.

3. Græci putant ideo Paulum dixisse, *non indigetis*, quod nullius vtilitatis illis futurum esset, quin potius causa, vt si quis sciret postremum diem iudicij, nulla illi virtutis cura esset, sed vsque ad extremum vitæ Baptismum differret, & pœnitentiam; ita Oecumenius, Theophylactus, Chrysostomus: intelligunt autem non solùm de aduentu Christi in extremo die iudicij, sed etiam de fine cuiuslibet. Chrysostomus verò ita exponit, vt dicat Paulus *non indigetis*, eo quod sit superuacaneum de die illo extremo (de quo putat Paulum solùm loqui, non de fine cuiuscunque) quia cum consummatio vitæ sit cuiuscunque terminus, frustra quis scire desideraret extremum diem iudicij. Mihi tamen placet cum Theodoreto, illud dixisse Paulum modestiæ gratia, vt indicaret eos in ea re, ita bene instructos esse, vt eius doctrina in hac parte non indigerent, estque idem sensus huius loci, & illius capitis præcedentis, *De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis*, pro *necesse habemus*, Græcè vtrobique est, οὐ χρείαν ἔχετε, quod ad verbum est, *non indigentiam habetis*, & noster vulgatus in 4. cap. transtulit, *non necesse habuimus*, pro *non necesse est*, hic autem *non indigetis*, idem tamen est sensus, quem in hoc capite maximè confirmat ratio, quam subdit Paulus, cum ait, *Ipsi enim diligenter scitis.* Quod sensui Chrysostomi, & Theophylacti accommodari non potest, vt patet. Quamuis autem Paulus his verbis loquatur de extremo die iudicij, & aduentu Domini, eadem tamen ratio videtur extremi diei vniuscuiusque hominis, vt inopinatè venturus sit, & ideò vigilare debeamus, sicut infra suadet Paulus.

4. Illud

Digitized by Google

4. Illud *diligenter*, idem est, quod rectè, & exactè, non quomodocumque, sed ob ipsorum diligentiam, & studium, quod etiam obiter commendat.

5. Pro *dies* posuimus ipsum Christum, qui venturus est repentè, & inopinatè, sicut fur; hic enim modus aduentus, non diei, sed ei, qui die illo venturus est, conuenit. Et ipse Christus instar furis venturus est, nam furis aduentus hora omnino ignoratur.

6. Aduentum Christi solùm dicit futurum repentinum respectu malorum, quibus reuera erit instar aduentus furis, quia illos omnino dormientes inueniet, hoc est, suæ salutis nullam curam habentes. Nam bonis repentinus non erit, cum ipsi omni tempore parati sint ad reddendam rationem, & bonis operibus muniti. Hæc est enim vigilia, ad quam Apostolus nos inuitat. Eodem modo descripsit Christus aduentum suum, Luc. 17. & Matth. 24. exemplo hominum, quos edentes & bibentes inuenit aqua diluuij in diebus Noe, vt notauit Theodoretus in hunc locum. Et ita id, quod in vniuersum de omnibus dixisse videtur, nimirum omnibus futurum aduentum Christi instar aduentus furis, limitat ad solos peccatores, de iustis autem aliud putat esse, vt patebit num. 9.

7. Vtitur exemplo prægnantis ad idem significandum, tametsi Theophylactus, & Oecumenius ad hoc putent hoc exemplum fuisse adductum, vt sicut mulier præsentit aliquid partus, & signa aliqua habet de eo, tamen certum diem ignorat, sic homines indicia aliqua, & signa, quæ præcedent, habebunt aduentus Christi, horam tamen ignorabunt. Chrysostomus verò eodem putat exemplum spectare, neque exponit illud, sicut prædicti Patres, vt quemadmodum mulier ridere solet, & ludere, & in ipso ludo, & risu repentè dolores partus ei adueniunt, sic etiam aduentus Christi erit iis, qui cuncta tranquilla, & secura esse putauerint, si ipsi peccatis sordidi erunt.

8. Hic numerus explicatus est num. 7.

9. Mutauit hîc personam, sicut in epistola ad Hebræos cap. 12. cum dixit, *ideoq; & nos tantam habentes, &c.* & addidit, *recogitate enim, &c.* nos autem in paraphrasi eandem semper seruauimus.

10. Per noctem & tenebras intelligunt Chrysostomus, & Theophylactus, & Caietanus statum peccati, videlicet mortalis. Verùm cum postea dixerit: *omnes enim vos filij estis, & filij Dei,* opponens eos filiis tenebrarum, & certum non esset omnes illos esse tunc in statu gratiæ, multo melius, per tenebras, & noctem intelligitur infidelitas, per lucem autem, & diem fides. Adde quod metaphora vigilantis, & dormientis multò melius hoc modo integrè seruatur, & ita Theodoretus tenebras, & noctem pro ignoratione, lucem autem, & diem pro cogni-

tione Dei accipit, vt ita persistat Paulus in parabola, quam incepit, id quod ex sequentibus quoque patebit.

11. Illud, dormientes, & incautos, addidimus ad exprimendam vim parabolæ sumptam à nocte, infra enim inquit Paulus eos, qui dormiunt, nocte dormire. Et ad Rom. 13. opera tenebrarum vocat somnum, & inertiam, quæ vigilantiæ opponitur, vt ibidem explicuimus. Hoc enim opus proprium est tenebrarum, cum ergo dixisset, eos non esse in tenebris, & nocte, rectè addidimus dormientes, & incautos, quod proprium est noctis, & tenebrarum.

12. Aduentum Christi prò die aduentus posuimus, sicut num. 5.

13. Hunc etiam numerum addidimus ad exprimendam vim parabolæ sumptæ ex aduentu furis, qui nocte esse solet, quando homines dormiunt, ac proinde inermes, & improuidi.

14. Reddit rationem, quare non sint in tenebris, & nocte.

15. Filij lucis, & diei dicuntur more Hebraico, qui sunt in die, & luce, seu qui luce, & die fruuntur. Et quia per diem, & lucem intelligit Paulus fidem, & cognitionem Dei, vti diximus, ideo filij lucis, & diei fideles dicti sunt à Paulo, sicut phrasi Hebraica filij perditionis dicuntur filij perditi: & filij iræ, qui Dei vindictam patiuntur.

16. Optima ratione colligit ex præcedentibus id, quod contendit, videlicet Thessalonicenses vigilantes esse debere, & prouidos pro aduentu Christi, ac proinde non inebriari, & dormire, quæ duo diligentiæ, vigilantiæ, & prouidentiæ opponuntur.

17. Per cæteros intelligit filios tenebrarum, & noctis, hoc est, non fideles, quos antea opposuerat filiis diei, & lucis, hoc est, fidelibus.

18. Per vigilare intelligit Paulus bona opera, & sanctificationem, per quæ homo non improuidus expectat extremum iudicium, ac proinde se habet instar vigilantis, qui aduentum furis expectat. Opponit autem hanc vigiliam somno peccatorum, cui coniungitur incuria: per sobrietatem verò eadem quoque bona opera, & sanctificationem intelligit, quam opponit ebrietati etiam peccatorum, cui etiam coniuncta est inertia, nam qui in peccatis existens expectat aduentum Christi, perinde se habet, atque si dormiens, aut ebrius expectaret aduentum furis, hic non posset vim illius vllo modo effugere.

19. Id, ad quod exhortatur Thessalonicenses, confirmat exemplo sensibili eorum, qui corpore dormiunt, & inebriantur, vt sicut ij, qui in die sunt, neque dormiunt, neque audent inebriari: quia hæc opera minimè conueniunt diei: ita etiam Thessalonicenses, qui sunt filij diei, hoc est, fideles, non dormiant somno peccati, neque eo inebrientur, id enim minimè decet fideles, sed sobrij sint, hoc est, bonis operibus abundent,

Digitized by Google

bundent, & vigilent, & tanquam custodes vigilantes excitent in se fidem, spem, & charitatem.

10. Prosequens metaphoram, quam cœpit, pro vigilantia, non vtitur exemplo tantum eorum, qui vigilant vtcumque, sed custodum militum, qui excubias agunt ad exprimendum modum, quo expectare oporteat Dominum. Cumq; vigilantiam posuerit in bonis operibus, hic eadem bona opera comparat armis, quibus milites custodes in vigilia armari solent. Fidem, & charitatem comparat loricæ, qua corpus tegitur, spem autem galeæ, qua caput defendimus. Quam metaphoram non video ab aliquo explicari; præsertim in eo, quod potius spei tribuat capitis defensionem, tanquam galeæ, & duabus aliis virtutibus defensionem corporis tamquam loricæ: quod quidem ideo puto dixisse Paulum, quia spei proprium est erigere deiectos, & ideo dicimur erigi in spem, cuius indicium esse solet erigere caput, & quia ille, qui caput galea tectum habet, audacter erigit caput, neque quidquam mali timet, nec fugientem periculum ipsum deiicit, ideò peculiari ratione tribuit spei esse galeam ad tegendum caput. Fidem autem, & charitatem dicit esse loricam, quia ea veluti totum corpus bonorum operum aduersariorum ictibus defendimus.

21. Totum numerum illum suppleuimus, vt ostenderemus connexionem causalis sequentis, quæ est in numero 22. cum præcedentibus.

22. Ex fine vocationis eorum reddit rationem, ob quam vigilare debeant pro aduentu Domini.

23. Adquisitio salutis ad ipsosmet Thessalonicenses refertur, quod ipsi consequunturi essent salutem æternam.

24. Ostendit finem mortis, & meritorum Christi, & addidimus illud, *Vt ita spiritu, & animo quidem vigilantes*, ad explicandum id, quod de somno, & inuigilia subsequitur, quod quidem alio modo accipitur, quam in præcedentibus.

25. Omnes interpretes fatentur alio modo hic accipi vigilare, & dormire, quam in præcedentibus, variis tamen modis explicant, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius, & Chrysostomus, & alij vsurpant quidem hoc loco vigiliam, & somnum pro corporali, per vigiliam tamen intelligunt vitam, per somnum autem mortem, vt sensus sit, siue corpore viui, siue mortui, semper cum Christo spiritu viuamus. Caietanus verò per somnum, & vigiliam, intelligit quidem corporalem, explicat autem hoc modo, vt per somnum denotet Paulus ea, quæ patimur, per vigiliam autem ea, quæ agimus, & sensus sit, in quibuscunque, quæ patimur, siue agimus, simul cum illo viuamus, & ei placeamus. Mihi placet expositio paraphrasis, vt ostendat Paulus ad vigiliam, ad quam fuerat exhortatus Thessalonicenses parum referre

vigiliam corporalem, & nihil ei obesse corporalem somnum, sed si quis bonis operibus bene sit instructus,& præparatus,verè vigilare spiritum pro aduentu Domini,etiamsi corpore dormiat, & sic dormientem dies Domini ipsum inueniat.

26. Consolationem refert ad doctrinam,quam illis tradiderat de aduentu Domini,& præparatione ad illum.

27. Ædificationem verò refert ad bona opera,ad quæ eos fuerat exhortatus, vt vigilarent pro aduentu Domini.

28. Addidimus hunc numerum ad explicandum finem, propter quem dixit illis,vt consolarentur *se inuicem*,& ædificarent.

29. Exhortatur iam ad charitatem erga præpositos,& ministros,cum antea cap.4. exhortatus esset ad charitatem erga omnes in vniuersum, & ne putarent communi lege tantum charitatis erga Præpositos eos teneri,sicut erga alios, ideò ad maiorem amorem erga illos Thessalonicenses exhortatur.

30. Verbum *noueritis* hoc loco non simplicem tantum notitiam erga ministros,sed reuerentiæ,& quam vocant affectiuam denotat.

31. Hunc numerum addidimus in paraphrasi,vt ostenderemus titulum obligationis, quo Thessalonicenses exhortabatur Paulus ad maiorem erga præpositos charitatem.

32. Alia documenta morum, & salutis incipit Paulus tradere Thessalonicensibus,non tantum præpositis,vt putauit Caietanus,sed etiam aliis,nam singula vniuersalia esse videntur, vt patet.

33. Pro, inquietos, quod est in vulgata lectione, Græci codices habent ἀτάκτους,& aliqui interpretantur,perturbatores pacis communis, alij inordinatè viuentes: verbum enim ἀτακτεῖν, militare est, & denotat idem quod non seruare ordinem in exercitu, ideo per inordinatè viuentes explicant, & dicunt rectè vulgatam transtulisse *inquietos*; nam in exercitu ille dicitur ordinem,statum,seu stationem non seruare, qui inquietus est; ego verò censeo per ἀτάκτους Paulum intellexisse, otiose viuentes,sicut in Epistola 2. cap. 3. cuiusmodi multi apud Thessalonicenses erant, vt patet ex eo capite,qua verò ratione ex Græco nomine otiosi denotentur cap. illo 3. num. 13. videbimus.

34. Cum dicit *ad omnes*, denotat non tantum patienter tolerandos esse fideles,sed etiam infideles, vt constat ex verbis numeri sequentis.

35. Sectari bonum hoc loco, non est contendere ad perfectionem in vniuersum, sed in tolerandis iniuriis, vt in paraphrasi explicuimus: & ita intellexerunt omnes Græci, est autem eadem sententia apud Paulum ad Rom. 12. *Sed vince in bono malum*, quam ibi Paulus longius prosequitur,& apud Petrum 1. Epist. cap. 3. *sed econtra benedicentes, &c.*

36. In

Digitized by Google

36. *In inuicem* idem denotat, quod fidelibus: cum enim ad eos tantum scriberet, eo ipso, quod ait, *in inuicem*, significat id seruandum esse inter ipsos; cum verò addit, *& in omnes*, infideles denotat, sicut notarunt Theophylactus, & Oecumenius.

37. Aduerbium *semper*, denotat omne tempus, etiam aduersitatis, in quo lætari difficilè est, ita omnes Græci.

38. Aduerbium *indesinenter*, significat frequentiam in oratione; neque enim posibile est omni momento temporis orare; & eodem modo intelligitur illud Lucæ 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.*

39. Per omnia, de quibus dicit gratias agendas esse Deo, intelligit, siue prospera, siue aduersa, vt Græci interpretantur, sicut etiam dixerat Paulus, de omnibus lætandum esse.

40. Cum dicit hanc esse voluntatem Dei; per voluntatem intelligit rem, quam scholastici vocant volitam, & obiectam; nec loquitur de obiecto voluntatis efficacis Dei, sed simplicis complacentiæ, de quarum distinctione multa diximus 1. part. disp. 83. cap. 3.

41. Theophylactus, & Oecumenius duobus modis explicant hunc locum, id est, vt per spiritum intelligatur lucerna Spiritus sancti, hoc est, gratia sanctificationis, quam dicunt extingui prauis operibus, & peccatis: deinde ita vt per spiritum intelligantur dona Spiritus sancti, quæ dici solent gratiæ gratis datæ. Quam expositionem solus tradidit Theodoretus, qua verò ratione hoc illis nunc dicat, & suadeat, expressimus in paraphrasi, & eam afferunt prædicti Patres.

42. Particula *autem*; non est continuatiua, sed aduersatiua, & ideò eam explicuimus per *sed*, cum autem ait Paulus *omnia probate, quod melius est, tenete*, non loquitur de moribus in vniuersum, sed de iis, quæ videbantur esse dona prophetiæ, inter quæ aliqua falsa erant.

43. Hinc iam Paulus finita exhortatione precatur illis bona.

44. Quod vulgatus dixit *per omnia*, Græcè dicitur ὁλοτελεῖς, Latinè totos, dixi autem totos, quia precatus est illis sanctificationem, non tantum secundum animam, sed etiam secundum carnem: videlicet, ne eam macularent operibus & peccatis, quæ ipsis propria dicuntur: & ita explicuimus in paraphrasi, sicut Græci omnes. Hunc autem sensum maximè confirmant, quæ sequuntur.

45. Ita explicant Græci interpretes in eum locum: porrò multos alios Patres Græcos per spiritum intellexisse mentem, qua media substantia animæ assumpta fuerit in Christo à Verbo, notauimus 3. part. disp. 38. cap. 2.

46. Fidelem vocat Deum ratione promissionis, quam non poterit non seruare, & implere; hæc autem promissio in scriptura facta est iis,

Digitized by Google

qui faciunt ea, ad quæ Paulus exhortatus est Thessalonicenses, videlicet corripientibus inquietos, consolantibus pusillanimes, suscipientibus infirmos, &c.

47. Cum ait, pro nobis, non solum se intelligit, sed alios etiam, quorum nomine hanc epistolam scribit.

48. Theophylactus, & Oecumenius putant osculum sanctum hic vocari à Paulo non dolosum, quale fuit Iudæ. Ego verò existimo osculum sanctum vocari purum, & castum, neque enim vllum erat periculum fraudis inter eos, aut de hoc nobis non constat. Ratione autem carnis, & infirmitatis naturæ periculum esse poterat: & non raro esse solet, vt osculum, quod est signum amoris, non ex casto amore, sed ex impuro, & carnali procedat, à quo quisque abstinere debet.

49. Sanctos vocat hoc loco fideles omnes, sicut ad Philippenses 4. sub finem, *salutant vos omnes sancti.*

PARA-

PARAPHRASIS IN EPISTOLAM SECVNDAM AD THESSALONICENSES.

ARGVMENTVM TOTIVS EPISTOLAE.

PRiorem Epistolam ad Thessalonicenses, quam iam exposuimus, scriptam fuisse Athenis Thessalonicam: hanc verò posteriorem scriptam & missam fuisse Roma, putauit Oecumenius, quem in hac re sequitur Gagneius, & alij recentiores. Theodoretus tamen, & Theophylactus censent vtramq; Epistolam Athenis scriptam, & Thessalonicam missam fuisse. Neutrum quidquam refert, vt mentem Pauli in ea intelligamus; ac proinde in hac re amplius laborandum non est. Porro totius episto-

epiſtolæ præcipuũ inſtitutũ, occaſione cuius fuit conſcripta, fuit, eos inſtruere, de ipſo die iudicij, de quo in præcedente etiam loquutus fuerat. Eo quod poſt ſcriptam priorem falſa quædam opinio apud ipſos de eo oriri cœperat. Initio tamen epiſtolæ commendat eorum fidem, charitatem, & conſtantiam: & in fine exhortatur, vt præcepta à ſe tradita ſeruent, & inordinatè, nec ſecundum traditionẽ ipſius viuentes, hoc eſt otioſos deuitent, & non ceſſent benefacere.

ARGVMENTVM
CAPITIS I.

GRATIAS agit Deo pro fide Theſſalonicenſium in Deum, & mutua charitate eorum inter ſe, atq; conſtantia in tolerandis perſequutionibus, oſtendens eos pro toleratis præmia conſequuturos; aduerſarios autem eorum iniuſto iudicio Dei dignas pœnas daturos, quem illis propitium fore precatur.

Capvt I.

1 PAVLVS, & Siluanus, & Ti-
motheus, Ecclesiæ Thessalo-
nicensium in Deo Patre nostro,
2 & Domino Iesu Christo. Gratia
vobis, & pax à Deo Patre nostro,
3 & Domino Iesu Christo. Gratias
agere debemus semper Deo pro
vobis fratres, ita vt dignum est,
quoniam supercrescit fides ve-
stra, & abundat charitas vniuscu-
4 iusque vestrum in inuicem: ita vt
& nosipsi in vobis gloriemur in
Ecclesijs Dei, pro patientia ve-
stra, & fide, in omnibus persecu-
tionibus vestris, & tribulationi-
bus quas sustinetis in exemplum
5 iusti iudicij Dei, vt digni habea-
6 mini in regno Dei, pro quo &
patimini, si tamẽ iustum est apud
Deum, retribuere tribulationem
7 iis, qui vos tribulant: & vobis qui
tribulamini, requiem nobiscum,
in reuelatione Domini Iesu de
cœlo, cum Angelis virtutis eius,
8 in flamma ignis, dantis vindictã
iis qui non nouerunt Deum, &
qui nõ obediunt Euangelio Do-
9 mini nostri Iesu Christi: qui pœ-
nas dabunt in interitu æternas
à facie Domini, & à gloria virtu-
10 tis eius: cum venerit glorificari
in sanctis suis, & admirabilis fieri
in omnib. qui crediderunt: quia
creditum est testimonium nostrũ
11 super vos in die illo. In quo etiam
oramus semper pro vobis, vt di-
gnetur vos vocatione sua Deus
noster

PARAPHRASIS.

PAVLVS, & Siluanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium per Deum Patrem nostrum, & Dominum Iesum Christum 1 congregatæ, hanc epistolam mittunt, Gratia, & pax spiritualis à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo, vobis sit. 2 Non parũ deuinctos nos esse existimamus ad agendũ frequenter gratias Deo, 3 sicut par est pro vobis, ô fratres, eo quod in dies fides vestra in Deum augetur, & mutua inter vos charitas perficitur. 4 Ita vt & nos ipsi commendantes, & glorificantes vos apud fideles aliarum Ecclesiarum, gloriam, & venerationem consequamur pro patientia vestra, & fide in persecutionibus, & tribulationibus vestris, quas passi estis 5 in manifestationem iusti iudicij Dei, 6 ita vt digni efficiamini regno ipsius, pro quo, & patimini. 7 Siquidem iustũ est apud Deum pœnã dignam ijs, qui vos tribulant; & vobis qui ab eis patimini, 8 requiẽ, & fœlicitatem retribuere in societate nostra, cum venerit Dominus Iesus Christus de cœlo 9 cum Angelis, & ministris potentiæ suæ, comitatus etiã flamma ignis, quo punientur, & vindicta sumetur de ijs, 10 qui non nouerũt, neq; colunt Deum: & 11 qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, nec patiuntur illud prædicari, & per Ecclesiam Dei disseminari, & fructum ferre. Qui

 sanè

noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, & opus fidei
12 in virtute, vt clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in illo, secundum gratiam Dei nostri, & Domini Iesu Christi.

sanè 12 pœnas æternas suo peccato debitas in spirituali interitu luent 13 ab ipso Domino præsente in gloria, & maiestate virtutis suæ infligendas, & pronunciandas eo die, in quo venerit vt propter salutem, & præmium omnium iustorum, qui crediderunt Euangelio, 14 & fidem operibus compleuerunt, 15 gloria, & 16 laus ab Angelis, & hominibus eis mirificè tribuatur. 17 Eo quod crediderint mihi prædicanti, & prænuncianti de præmiis, & suppliciis, 18 quæ eo die futura sunt: 19 qua in re etiam postquam credidistis, oramus semper pro vobis, vt dignos vocatione sua vos efficiat Deus noster: & compleat in vobis, 20 ac omne desiderium bonæ voluntatis suæ, quod est de omni opere virtutis in vobis perficiat, & opere exequatur, & 21 tolerantiam contra persequutiones, quod est opus fidei, tribuens, 22 potentiam, & robur vobis largiatur, vt nomen Domini nostri Iesu Christi etiam in vita hac 23 glorificetur ab hominibus, & Angelis considerantibus patientiam, & tolerantiam vestram, & vos etiam virtute illius cum 24 eo gloriam consequamini, & gratiam Dei nostri, & Domini Iesu Christi.

ANNOTATIONES.

1. Idem omnino exordium est huius epistolæ, & prioris, vt notarunt Theophylactus, & Oecumenius, & ita idem omnino dicunt de hoc dicendum esse, quod de illo notatum est. Cumque vt ibi obseruauimus, illud *in Deo Patre*, in ea epistola referatur ad Ecclesiam, non autem ad sequentia etiam in hac referri debet: ideo addidimus vocem *congregata*, vt eam distingueremus ab Ecclesia Gentilium, sicut ibi dictum est. Theodoretus hoc loco refert ad salutationem sequentem: verùm cum in salutatione dicat, *à Deo Patre nostro, &c.* superuacaneum est ad illam hoc modo referre.

2. Addidimus verbum *sit*, sicut in salutatione prioris epistolæ: circa initium autem, & salutationem epistolæ idem notandum omnino est, quod in cap. 1. epistolæ ad Romanos obseruauimus.

3. Verbum *debemus*, denotat obligationem gratitudinis erga Deum: & ita illud interpretati sumus in paraphrasi, vtitur autem Paulus numero plurali, quia loquitur etiam pro Siluano, & Timotheo, id quod eodem modo intelligitur in periodo sequente.

4. Non dicit *gloriemur*, quasi ipse Paulus, Siluanus, & Timotheus, laudarent

darent suam prædicationem, quod ita in Thessalonicensibus fructificassent, sed quod ipsi commendantes eorum fidem, gloriam, & laudem ab Ecclesiis consequerentur, vt in paraphrasi explicuimus.

5. Pro *in exemplum*, quod vertit vulgatus, Græcè est ἔνδειγμα, & deest præpositio *in*: est autem idem quod documentum, seu manifestatio: denotat autem Paulus patientiam Thessalonicensium, sicut etiam iniuriam ipsis illatam ab aduersariis futuram in manifestatione diuini iudicij, cum in iudicio videbunt impii, quos afflixerunt.

6. Pro *vt*, in Græco est εἰς τὸ, quod Latine interpretati sumus adeo *vt*.

7. Pro *si tamen*, Græcè est εἴπερ, Latinè, siquidem, vel quandoquidem, quod quidem notant Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius non fuisse positum dubitationis, sed asseuerationis gratia. Chrysostomus legit *si tamen*: ita vt *si*, non sit dubitantis, sed affirmantis, Oecumenius verò alio etiam modo, videlicet iuxta quandam interrogationem, ac si dixisset, si certè iustum ducit Deus, quod videlicet omnino iustum dicat.

8. Pro *retributionem*, Græcè est θλῖψιν, Latinè est tribulationem: nos verò interpretati sumus pœnam, quam Deus propter peccata infliget.

9. Per Angelos virtutis intelligit eos, qui futuri sunt ministri potentiæ suæ in die illa iudicij.

10. Per eos, qui non nouerint Deum, denotat infideles, quorum infidelitas culpæ imputatur.

11. Græci putant, ideo dixisse Paulum puniendos esse eos, qui non obediunt Euangelio, hoc est, qui non credunt prædicationi illius, vt ostenderet multo maiori ratione puniendos esse eos qui impediunt fidem illius. Ego verò existimo de vtrisque intellexisse.

12. In Græco est ὄλεθρον αἰώνιον, Latinè interitum æternum, sensus autem eodem recidit; nam pœnæ illæ futuræ sunt æternæ, & in interitu, seu morte spirituali.

13. *A facie Domini*, aliqui interpretantur à furore, nam in facie ira, & furor agnoscitur Psal. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis*, hoc est, *furorem tuum*. Psalm. 20. *Pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui; Dominus in ira sua conturbabit eos, &c.* vbi per vultum furor significatur. Theophylactus, Oecumenius cum Chrysostomo ita explicant, vt significet Paulus summam facilitatem, & quam sine labore damnati luent pœnas sui peccati, videlicet solo aspectu faciei Domini. Ego verò puto denotari per faciem præsentiam iudicis proferentis sententiam, & ideo addidisse Paulum, *& à gloria virtutis eius*; quia nimirum non solum præsentia sua, sed etiam cum magna maiestate, & gloria, sicut supremus iudex in throno suo sententiam dicturus est.

14. Hunc numerũ addidimus eo quod fides sola non sufficit ad iustificationem,& beatitudinem consequendam.
15. Glorificari Christum in Sanctis,idem est,quod propter iustorum salutem,& præmium, gloriam illi ab hominibus tribui, quia nimirum gloriosum ipsum ob hanc causam prædicabunt.
16. Admiratio hoc loco sumitur pro laude, pro qua interdum vsurpari notauimus 3. part. disputat. 62. cap. 4. & ita hoc loco admirabilis idem est,quod laudabilis.
17. Reddit causam eius,quod proximè dixerat.
18. Quod ait Paulus *in illo die,* Theophylactus,& Theodoretus ita explicant, vt in illo die iudicij, Deus mirabilis appareat, & ita referunt non ad id,quod proximè, sed quod remotè præcesserat: qui sanè sensus contextui vix quadrare potest. Oecumenius verò ita, vt sensus sit, in illa die futurum manifestum, quod Thessalonicenses credidissent, cum essent multi alij,qui fidem simularent.
19. Illud *in quo,* non est referendum ad diem, quasi sensus sit, in illo die,sed ad rem de qua agebat.
20. Per voluntatem,intelligit Paulus antecedentem, quæ dicitur desiderium nostræ salutis, & perfectionis, sicut in paraphrasi explicuimus. De qua voluntate multa diximus, 1. part. disp. 83 cap. 3.
21. Opus fidei aliqui interpretantur, confessionem. Theodoretus, & Theophylactus exponunt tolerantiam in laboribus,& persequutionibus,quæ quidem nascitur ex fide, & spe, quem sensum multò magis contextui quadrare existimo. Oecumenius expendit,quod non dixerit Paulus fidem,sed opus fidei,non tamen explicat,quid denotare voluerit.
22. In virtute,vt Græci explicant, idem est, quod in potentia, & robore, nimirum gratiæ collatæ à Deo. Præpositio autem *in* hoc loco idem est,quod *per,* quod frequens in Paulo esse notauimus 3. part. disput. 94. cap. 2.
23. Per clarificationem Dei,hoc loco intelligit Paulus laudem,&gloriam Deo tribuendam.
24. Contra verò per clarificationem nostram, denotat beatitudinem quam sumus consequuturi in societate Sanctorum.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM
CAPITIS II.

IAm verò Paulus in hoc capite confutat falsam opinionem, quam suasione aliquorum Thessalonicenses de aduentu Antichristi conceperant: occasione cuius iterum ad eos hanc posteriorem epistolam scripsit, vt in argumento illius notauimus, & vera signa atque indicia aduentus Antichristi describit.

CAPVT II.

1 ROgamus autem vos fratres,
per aduentum Domini no-
stri Iesu Christi, & nostræ con-
2 gregationis in ipsum, vt non citò
moueamini à vestro sensu, neque
terreamini, neque per Spiritum,
neque per sermonem, neque per
epistolam, tanquam per nos mis-
3 sam, quasi instet dies Domini. Ne
quis vos seducat vllo modo: quo-
niam nisi venerit discessio pri-
mum, & reuelatus fuerit homo
4 peccati, filius perditionis, qui ad-
uersatur & extollitur supra omne
quod dicitur Deus, aut quod co-
litur, ita vt in templo Dei sedeat,
ostendens se tanquam sit Deus.
5 Non retinetis quod cum adhuc
essem apud vos, hæc dicebam vo-
6 bis? Et nunc quid detineat scitis,

vt

PARAPHRASIS.

HOrtamur autem 1 vos fratres, & obsecramus per aduentum Domini nostri Iesu Christi, 2 & Sanctorum nostrorum in ipsum congregatorum, quos & cum eo venturos quoque iam vobis scripsimus, ne citò moueamini ab ea opinione, & sententia, quam de aduentu Christi à nobis edocti tenetis. 3 Neq; falso timore terreamini decepti ab aliquo, 4 quasi Prophetia sermonis 5 prædicatione, & suasione alicuius, aut epistola aliqua 6 nomine nostro ad vos missa, quasi iam instet dies aduentus Domini ad iudicandum, 7 neque vllo alio modo in hac re vos seducat. Quoniam nisi prius 8 venerit Antichristus, qui faciet homines à Deo deficere, & Apostatare, & manifestè

charitate, & fide Christi deficerent. 22 Tunc autem cum impletus fuerit numerus hic prædestinatorum: manifestè veniet, & reuelabitur ille iniquus homo, & Antichristus, quem Dominus Iesus interficiet 23 solo verbo oris sui, & maiestate gloriæ, in qua adueniet, destruet eum. Cuius aduentus 24 ope Satanæ efficax erit exhibendo omnem potentiam, signa, & prodigia mendacia, & seducendo 25 quouis modo eos, qui pereunt, & damnabuntur, eo quod 26 Christum, qui est vera charitas erga nos, non recipient. Qua de causa Deus permittet eos errare, 27 & credere falsæ prædicationi ipsius Antichristi, 28 & ita non solùm punientur, sed iusto Dei iudicio iudicati pœnas luent, omnes quotquot non receperunt Christum, neque veritati crediderunt; sed iniquitatem, & Antichristum sequuti fuerint. Nos autem debemus Deo gratias agere semper pro vobis fratres adeò dilecti, quod vos elegerit 29 veluti primos, & præcipuos 30 saluandos elegerit 31 per sanctificationem spiritus, & fidem veritatis 32 in quam sanctificationem, & fidem vocauit vos media mea Euangelij prædicatione, 33 vt gloriam cum ipso Christo consequeremini. Ergo fratres in cœpto perseuerate, & memoria retinete, atque opere sequimini 34 traditiones, qualis est hæc de aduentu Antichristi, quas à me siue verbo, siue scripto didicistis: ipse autem Dominus noster Iesus Christus 35 Deus, & Pater noster, qui dilexit nos, & consolatus est vos æterna consolatione, quæ est in spe æternæ gloriæ 36 per gratiam, 37 consoletur, & consolatione exhortetur, & moueat corda vestra ad omne opus, & sermonem bonum, atque in eo 38 vsq; in finem confirmet.

ANNOTATIONES.

1. *Rogamus* positū fuisse pro eo, quod est exhortamur, notauit Theodoretus, & Theophylactus.

2. Per congregationem intelligit Paulus, sanctos omnes, quos dixerat in præcedente epistola cap. 4. futuros cum Christo in aduentu illius, sicut in paraphrasi explicuimus. Neque enim Paulus exhortatur solùm per congregationem, sed per aduentum congregationis: non enim dixit, *& per nostram congregationem*, sed *& nostra congregationis*, scilicet aduentum, de quo antea dixerat.

3. Quamuis in præcedente epistola cap. 4. serio Thessalonicensibus Paulus suasisset vt cauti, & prouidi essent pro aduentu Domini, eo quod sicut fur inopinato tempore venturus sit: tamen in hoc capite non vult Paulus vt vano, & falso timore aduentus Domini terreantur: vt non illud valde conueniens est, ita etiam hoc non parum nocere posset. Et ideo addidimus in paraphrasi illud, *falso timore*.

4 Per

Digitized by Google

4. Per ſpiritum Græci intelligunt ſpiritum nequam, hoc eſt, dæmonem, per quem Pſeudo Apoſtoli loquebantur: alij intelligunt fictam reuelationem, aut ficta Spiritus ſancti miracula. Mihi placet expoſitio paraphraſis, vt per ſpiritum intelligatur Propheta, ſicut prophetiæ ſpiritus, non verus, ſed apparens.

5. Per ſermonem intelligit Paulus vocis prædicationem, & ſuaſionem.

6. Per epiſtolam non quamcunque intelligit, ſed miſſam nomine ipſius, ſicut in paraphraſi.

7. Excludit omnem alium modum, quo in hac re decipi poterant.

8. Nomine diſceſsionis aliqui intelligunt defectionem à Romano Imperio. Non quod ſtatim venturus eſſet Antichriſtus, ſed quod non antea, quam deficeret. Græci autem, & recentiores nonnulli intelligunt Antichriſtum ipſum, quorum interpretationem ſequuti ſumus in paraphraſi.

9. Græci omnes explicant hominem peccati, eo modo, quo nos in paraphraſi.

10. Filius perditionis dicitur, homo perditus, phraſi Hebraica, ſicut ſæpe monuimus.

11. Senſus, quem in hoc numero ſequuti ſumus, eſt omnium Græcorum, & colligitur non obſcurè ex illis verbis, *ſuper omne quod dicitur Deus, &c.* per quæ denotantur idola, & falſi Dij, his enim omnibus aduerſabitur etiam Antichriſtus, vt ipſe ſolus tanquam verus Deus colatur, ſicut ex contextu ipſo patet, ita Irenæus, Cyrillus Hieroſolymitanus, locis citandis numero ſoquenti.

12. Templum aliqui interpretantur Hieroſolymitanum, quod dicunt ab Antichriſto reædificandum: quod videlicet in eo ſeſſurus ſit, & tanquam Deus ab hominibus colendus. Ita Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 6. & lib. 5. cap. 25. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 15. & Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 27. Anſelmus verò per templum intelligit animas hominum, in quibus Antichriſtus ſeſſurus erit, & ab eis etiam adorandus. Auguſtinus lib. 20. de ciuitate capite 19. cenſet per templum non denotari locum, in quo ſeſſurus ſit Antichriſtus, ſed eo loco ſignificari Antichriſtum cum ſuo populo, & ita non eſſe legendum, *in templo*, *ſed in templum*, ac ſi Paulus diceret, Antichriſtum ſeſſurum, vt templum, ſeu vt Eccleſiam, quaſi ipſe cum ſuo populo Eccleſiam facturus ſit. Mihi placet expoſitio Grçcorum, quam in paraphraſi expreſsi, vt nomine templi intelligatur quodcumque templum, in quo tanquam Deus colendus erit Antichriſtus.

13. Grçcè eſt *οὐ μνημονεύετε*, Latinè *non meminiſtis, ſeu memoriam retinetis*, atque hinc conſtat de hac re Paulum iterum Theſſalonicenſes verbo

monuiſſe

monuisse,cum apud eos fuit. Addidimus autem illud *memoria*, vt exprimeremus sensum Pauli.

14. Id quod Thessalonicensibus dixerat Paulus, & de quo dicit, *non retinetis*, expresimus num. illo 15.

15. Pro eo, quod vulgatus habet, *quod detineat*, Græcè est τὸ κατέχον, hoc est, impediens, siue impedimentum: est autem locus non parùm difficilis, quem August. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 19. se nescire fatetur: Græci duas referunt expositiones. Prior est, vt id quod impediebat aduentum Antichristi, esset Romanum imperium, quo perseuerante Antichristus non esset venturus. Et hanc sequitur Chrysostomus, & cæteri Græci magis probare videntur. Posterior est, vt id quod impedit, sit Spiritus sanctus, quo autem pacto hoc impedimentum ad Spiritum sanctum pertineat, Theophylactus explicat ratione præfinitionis: nos autem in paraphrasi ratione gratiæ externæ protectionis, quam expresſit Paulus num. 19.

16. Illud, *Vt reuelletur in suo tempore*, non refertur ad verbum *scitis*, sed ad illud, *& nunc quid detineat*, & ideò verbum *scitis*, postposuimus. Præterea particula *Vt*, non denotat hoc loco causam finalem, sed euentum: quia euentus Antichristi non est voluntatis, & intentionis Dei. Quando autem *Vt*, denotet causam, quando autem euentum, ex professo tractauimus prima part. disp. 95. cap. 7.

17. Totum hunc numerum legimus per parenthesin, & aliqua verba proximè præcedentia repetiuimus, vt explicaremus connexionem particulæ causalis *nam*.

18. Mysterium aliqui legunt in casu accusandi, aliqui verò in casu nominandi; vt scilicet Antichristus in suis discipulis operetur iam falsam religionem, quæ est mysterium iniquitatis; vel Antichristus, qui futurus est mysterium iniquitatis, per suos discipulos iam operetur. Caietanus legit in casu accusandi, sed per mysterium intelligit complementum iniquitatum Imperij Romani, quod putat vocari mysterium, quia solùm Deo notum sit: vt sensus sit. Non aliter impediri nunc aduentum Antichristi ab Imperio Romano, nisi quia operatur interim complementum iniquitatum, vt tandem illis completis veniat Antichristus. Oecumenius, & Theophylactus, & autor commentariorum apud Ambrosium, per mysterium intelligunt Neronem, & legunt in casu nominandi in hunc sensum, vt Nero qui esset typus Antichristi, tunc operaretur. Theodoretus verò intelligit omnes hæreticos, qui falsam doctrinam, & religionem docebant, quod vocari putat mysterium, quia erant typus, & figura ipsius Antichristi, eius mores imitantes. Quæ expositio mihi placet, eo quod mysterium opponat Paulus manifestæ reuelationi, & apparitioni Antichri-

Digitized by Google

tum Imperium Romanum, & sic refert Caietanus, ita tamen vt non affirmet tempore proximè sequente venturum Antichristum, sed denotet non antea venturum. Græci verò non expendunt vim huius aduerbij: ego verò puto referendum ad tempus, quod in paraphrasi exposuimus, ita vt proximè post illud venturus sit Antichristus.

23. *Spiritus oris Christi*, denotat verbum, quod spiritu oris eius firmabitur, iuxta illud Psalmi 32. *Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, hoc est verbo eius. Vt ita significet Paulus summam facilitatem, & potentiam, qua Christus sine labore aduersus Antichristum pugnabit, redundat autem in hoc num. vox *eum*.

24. Operatio Satanæ hoc loco denotat auxilium, & opem illius: ponitur autem verbum *est* præsentis, *pro erit*, futuri, & ita nos exposuimus.

25. Per omnem seductionem intelligit Paulus omnem modum seducendi: vtitur autem in hoc numero verbo præsentis pro verbo futuri, vt frequens illi est, & ita sumus interpretati.

26. Charitas veritatis, idem est quod vera charitas, & hanc esse Christum, docent Græci patres in hunc locum.

27. Verbum *immittet*, quo vtitur Paulus, accipiẽdum est secundum permissionem tantum, vt in paraphrasi: per mendacium autem intelligit falsam prædicationem Antichristi.

28. Non dixit Paulus *punientur*, sed *iudicentur*, vt denotaret eos pœnas soluturos secundum iustum Dei iudicium.

29. Nonnulli codices Græci habent ἀπὸ ἀρχῆς, hoc est, ab initio: alij autem ἀπαρχὰς, hoc est, primitias: vocat autem Paulus primitias præcipuos fructus; nam fructuum primitiæ præcipuæ esse solent.

30. In salutem, *idem est*, quod saluandos.

31. Ostendit media diuinæ electionis, per quæ Deus homines ad salutem eligit, & perducit.

32. *Ad quod*, idem est, quod ad quam sanctificationem, & fidem, refertur enim ad id, quod proximè præcesserat.

33. Adquisitionem gloriæ aliqui referunt ad ipsum Deum in hunc sensum, vt ipse adquisiturus sit sibi electos in gloriam suam cum Christo. Ita Oecumenius expresse, & indicat Theophylactus. Mihi placet expositio paraphrasis, quam habent etiam Gagneius, & Caietanus.

34. Hic locus efficax est ad probandum contra hæreticos nostri temporis traditiones, quas non scriptas, sed verbo tantum Ecclesia accepit à Christo, & ab Apostolis, quem recentiores contra hæreticos disputantes expendunt.

Digitized by Google

35. Deus, & Pater hoc loco non accipitur pro prima perſona Trinitatis,ſed pro Deo communi tribus perſonis,cuius nos filij adoptiui ſumus, & ita conuenit ipſi Chriſto.

36. Præpoſitio *in* hoc loco vſurpatur pro *per*, ſicut etiam num. 23.

37. Græcè eſt παρακαλέσαι, hoc eſt,conſoletur; noſter autem vulgatus vertit exhortetur,eo quod Paulus hoc loco non ad ſolam conſolationem , ſed ad exhortationem reſpexit. Et ideo nos explicuimus *conſolatione exhortetur*: nam conſolatio plurimùm etiam iuuat ad exhortationem.

38. Confirmatio in omni opere bono,denotat hoc loco perſeuerantiam,& ideo nos addidimus *in finem*, vt eam ſignificaremus.

ARGVMENTVM
CAPITIS III.

POſtquam admonuit Paulus, vt Theſſalonicenſes pro Euangelij prædicatione, quam ipſe ſuſceperat, orarent, & liberarentur etiam ipſi ab inquietis, & malis hominibus, exhortatur eos, vt otioſos homines deuitent, & ſeipſum, vt exemplum imitandum eis proponit.

CAPVT III.

1 DE cætero fratres , orate pro
nobis , vt ſermo Dei currat,
& clarificetur , ſicut & apud vos :
2 & vt liberemur ab importunis, &
malis hominibus;non enim om-
3 nium eſt fides.Fidelis autem Do-
minus eſt,qui confirmabit vos,&
4 cuſtodiet à malo.Confidimus au-
tem de vobis fratres in Domino,
quòd

PARAPHRASIS.

CEterum 1 fratres orate pro nobis, vt prædicatio Euangelij,quam ſuſcepimus, 2 ſine offenſione currat, 3 & magnificetur , ſicut & apud vos 4 hactenus cucurrit, & magnificata eſt. Tum etiam vt 5 omnes,qui Euangelio credimus, liberemur ab 6 inconſtantibus in fide, & malis hominib. qui nos ſpecie pietatis deci-

5 quòd quæcunque præcipimus, &
facitis, & facietis. Dominus au-
tem dirigat corda vestra in chari-
tate Dei,& patientia Christi. De-
6 nuntiamus autem vobis fratres
in nomine Domini nostri IESV
Christi, vt subtrahatis vos ab om-
ni fratre ambulante inordinatè,
& non secundum traditionem,
7 quam acceperunt à nobis. Ipsi e-
nim scitis, quemadmodum opor-
teat imitari nos: quoniam nõ in-
8 quieti fuimus inter vos, neque
gratis panem manducauimus ab
aliquo, sed in labore, & in fatiga-
tione nocte, & die operantes, ne
9 quem vestrum grauaremus. Non
quasi non habuerimus potesta-
tem; sed vt nosmetipsos formam
10 daremus vobis ad imitãdum nos.
Nam & cum essemus apud vos,
hoc denuntiabamus vobis; quo-
11 niam si quis non vult operari, nec
manducet. Audiuimus enim in-
ter vos quosdam ambulantes in-
12 quietè, nihil operantes, sed cu-
riosè agentes. Iis autem qui eius-
modi sunt, denuntiamus, & ob-
secramus in Domino IESV, vt
cum silentio operantes, suum pa-
13 nem manducent. Vos autem fra-
tres, nolite deficere benefacien-
14 tes. Quòd si quis non obedit ver-
bo nostro, per epistolam, hunc
notate; & ne commisceamini cum
15 illo, vt cõfundatur: & nolite quasi
inimicum existimare, sed corripi-
16 te vt fratrem. Ipse autem Deus
pacis

*decipere contendunt: non enim omni-
bus hominib', etiam si boni, & Chri-
stiani appareant, 7 fidendum est;
8 Deus autem talis est, vt neminem
decipere possit, & cui ideò ex corde
fidendum sit, qui in cœpto vos confir-
mabit vsque in finem, & custodiet,
ne ab aliquo huiusmodi decipiamini,
9 credimusq; de vobis, qui in Domino
estis fratres nostri, 10 quod quæcun-
que, siue scripto, siue etiã verbo præ-
cepimus, 11 facitis; & confidimus
quod ea facietis. Dominus autem cor-
da vestra per rectum tramitem cha-
ritatis, & sustinentiæ, 12 instar
Christi, seu perseuerantiæ vsque in fi-
nem incedere faciat. Id autem vobis
fratres denuntiamus, & præcipimus
in nomine, & autoritate Domini no-
stri IESV Christi, vt euitetis omnem
hominem, qui in eadem religione, &
fide vobiscum communicare videtur,
13 otiose tamen, & non secundum
traditionem, quam à nobis 14 acce-
pit, viuentem. Bene enim nostis, in
quo oporteat, vt nos imitemini: neque
enim otiosi fuimus inter vos, neque
absq; labore, & merito panem 15 ad
manducandum ab aliquo accepimus;
sed assiduo labore, & fatigatione no-
ctu, & interdiu operantes 16 subsi-
dium nobis comparauimus, ne cui ve-
strum oneri essemus, alimenta ab eo
accipientes. Non quod potestatem nõ
habuerimus accipiendi à vobis neces-
saria pro vitæ sustentatione, sed vt in
nobis ipsis exprimeremus formam,*

Digitized by Google

noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, & opus fidei
12 in virtute, vt clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in illo, secundum gratiam Dei nostri, & Domini Iesu Christi.

sanè 12 pœnas æternas suo peccato debitas in spirituali interitu luent 13 ab ipso Domino præsente in gloria, & maiestate virtutis suæ infligendas, & pronunciandas eo die, in quo venerit vt propter salutem, & præmium omnium iustorum, qui crediderunt Euangelio, 14 & fidem operibus compleuerunt, 15 gloria, & 16 laus ab Angelis, & hominibus eis mirificè tribuatur. 17 Eo quod crediderint mihi prædicanti, & prænuncianti de præmiis, & suppliciis, 18 quæ eo die futura sunt: 19 qua in re etiam postquam credidistis, oramus semper pro vobis, vt dignos vocatione sua vos efficiat Deus noster: & compleat in vobis, 20 ac omne desiderium bonæ voluntatis suæ, quod est de omni opere virtutis in vobis perficiat, & opere exequatur, & 21 tolerantiam contra persequutiones, quod est opus fidei, tribuens, 22 potentiam, & robur vobis largiatur, vt nomen Domini nostri Iesu Christi etiam in vita hac 23 glorificetur ab hominibus, & Angelis considerantibus patientiam, & toleranciam vestram, & vos etiam virtute illius cum 24 eo gloriam consequamini, & gratiam Dei nostri, & Domini Iesu Christi.

ANNOTATIONES.

1. Idem omnino exordium est huius epistolæ, & prioris, vt notarunt Theophylactus, & Oecumenius, & ita idem omnino dicunt de hoc dicendum esse, quod de illo notatum est. Cumq; vt ibi obseruauimus, illud *in Deo Patre*, in ea epistola referatur ad Ecclesiam, non autem ad sequentia etiam in hac referri debet: ideo addidimus vocem *congregatæ*, vt eam distingueremus ab Ecclesia Gentilium, sicut ibi dictum est. Theodoretus hoc loco refert ad salutationem sequentem: verùm cum in salutatione dicat, *à Deo Patre nostro, &c.* superuacaneum est ad illam hoc modo referre.

2. Addidimus verbum *sit*, sicut in salutatione prioris epistolæ: circa initium autem, & salutationem epistolæ idem notandum omnino est, quod in cap. 1. epistolæ ad Romanos obseruauimus.

3. Verbum *debemus*, denotat obligationem gratitudinis erga Deum: & ita illud interpretati sumus in paraphrasi, vtitur autem Paulus numero plurali, quia loquitur etiam pro Siluano, & Timotheo, id quod eodem modo intelligitur in periodo sequente.

4. Non dicit *gloriemur*, quasi ipse Paulus, Siluanus, & Timotheus, laudarent

darent suam prædicationem, quod ita in Thessalonicensibus fructificassent, sed quod ipsi commendantes eorum fidem, gloriam, & laudem ab Ecclesiis consequerentur, vt in paraphrasi explicuimus.

5. Pro *in exemplum*, quod vertit vulgatus, Græcè est ἔνδειγμα, & deest præpositio *in*: est autem idem quod documentum, seu manifestatio: denotat autem Paulus patientiam Thessalonicensium, sicut etiam iniuriam ipsis illatam ab aduersariis futuram in manifestatione diuini iudicij, cum in iudicio videbunt impii, quos afflixerunt.

6. Pro *vt*, in Græco est εἰς τὸ, quod Latine interpretati sumus adeo *vt*.

7. Pro *si tamen*, Græcè est εἴπερ, Latinè, siquidem, vel quandoquidem, quod quidem notant Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius non fuisse positum dubitationis, sed asseuerationis gratia. Chrysostomus legit *si tamen*: ita vt *si*, non sit dubitantis, sed affirmantis, Oecumenius verò alio etiam modo, videlicet iuxta quandam interrogationem, ac si dixisset, si certè iustum ducit Deus, quod videlicet omnino iustum dicat.

8. Pro *retributionem*, Græcè est θλῖψιν, Latinè est tribulationem: nos verò interpretati sumus pœnam, quam Deus propter peccata infliget.

9. Per Angelos virtutis intelligit eos, qui futuri sunt ministri potentiæ suæ in die illa iudicij.

10. Per eos, qui non nouerunt Deum, denotat infideles, quorum infidelitas culpæ imputatur.

11. Græci putant, ideò dixisse Paulum puniendos esse eos, qui non obediunt Euangelio, hoc est, qui non credunt prædicationi illius, vt ostenderet multo maiori ratione puniendos esse eos qui impediunt fidem illius. Ego verò existimo de vtrisque intellexisse.

12. In Græco est ὄλεθρον αἰώνιον, Latinè interitum æternum, sensus autem eodem recidit: nam pœnæ illæ futuræ sunt æternæ, & in interitu, seu morte spirituali.

13. *A facie Domini*, aliqui interpretantur à furore, nam in facie ira, & furor agnoscitur Psal. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis*, hoc est, *furorem tuum*. Psalm. 20. *Pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui; Dominus in ira sua conturbabit eos, &c.* vbi per vultum furor significatur. Theophylactus, Oecumenius cum Chrysostomo ita explicant, vt significet Paulus summam facilitatem, & quam sine labore damnati luent pœnas sui peccati, videlicet solo aspectu faciei Domini. Ego verò puto denotari per faciem præsentiam iudicis proferentis sententiam, & ideo addidisse Paulum, *& à gloria virtutis eius*; quia nimirum non solum præsentia sua, sed etiam cum magna maiestate, & gloria, sicut supremus iudex in throno suo sententiam dicturus est.

14. Hunc numerũ addidimus eo quod fides sola non sufficit ad iustificationem,& beatitudinem consequendam.

15. Glorificari Christum in Sanctis,idem est,quod propter iustorum salutem,& præmium, gloriam illi ab hominibus tribui, quia nimirum gloriosum ipsum ob hanc causam prædicabunt.

16. Admiratio hoc loco sumitur pro laude, pro qua interdum vsurpari notauimus 3. part. disputat. 62. cap. 4. & ita hoc loco admirabilis idem est,quod laudabilis.

17. Reddit causam eius,quod proximè dixerat.

18. Quod ait Paulus *in illo die*, Theophylactus,& Theodoretus ita explicant, vt in illo die iudicij, Deus mirabilis appareat, & ita referunt non ad id,quod proximè, sed quod remotè præcesserat: qui sanè sensus contextui vix quadrare potest. Oecumenius verò ita, vt sensus sit, in illa die futurum manifestum, quod Thessalonicenses credidissent, cum essent multi alij,qui fidem simularent.

19. Illud *in quo*, non est referendum ad diem, quasi sensus sit, in illo die,sed ad rem de qua agebat.

20. Per voluntatem,intelligit Paulus antecedentem, quæ dicitur desiderium nostræ salutis, & perfectionis, sicut in paraphrasi explicuimus. De qua voluntate multa diximus, 1. part. disp. 83 cap. 3.

21. Opus fidei aliqui interpretantur, confessionem. Theodoretus, & Theophylactus exponunt tolerantiam in laboribus,& persequutionibus,quæ quidem nascitur ex fide, & spe, quem sensum multò magis contextui quadrare existimo. Oecumenius expendit,quod non dixerit Paulus fidem,sed opus fidei,non tamen explicat,quid denotare voluerit.

22. In virtute,vt Græci explicant, idem est, quod in potentia, & robore, nimirum gratiæ collatæ à Deo. Præpositio autem *in* hoc loco idem est,quod *per*, quod frequens in Paulo esse notauimus 3. part. disput. 94. cap. 2.

23. Per clarificationem Dei,hoc loco intelligit Paulus laudem,& gloriam Deo tribuendam.

24. Contra verò per clarificationem nostram, denotat beatitudinem quam sumus consequuturi in societate Sanctorum.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAPITIS II.

IAm verò Paulus in hoc capite confutat falsam opinionem, quam suasione aliquorum Thessalonicenses de aduentu Antichristi conceperant: occasione cuius iterum ad eos hanc posteriorem epistolam scripsit, vt in argumento illius notauimus, & vera signa atque indicia aduentus Antichristi describit.

CAPVT II.

1 ROgamus autem vos fratres,
per aduentum Domini no-
stri Iesu Christi, & nostræ con-
2 gregationis in ipsum, vt non citò
moueamini à vestro sensu, neque
terreamini, neque per Spiritum,
neque per sermonem, neque per
epistolam, tanquam per nos mis-
3 sam, quasi instet dies Domini. Ne
quis vos seducat vllo modo: quo-
niam nisi venerit discessio pri-
mum, & reuelatus fuerit homo
4 peccati, filius perditionis, qui ad-
uersatur & extollitur supra omne
quod dicitur Deus, aut quod co-
litur, ita vt in templo Dei sedeat,
ostendens se tanquam sit Deus.
5 Non retinetis quod cum adhuc
essem apud vos, hæc dicebam vo-
6 bis? Et nunc quid detineat scitis,
vt

PARAPHRASIS.

HOrtamur autem 1 vos fratres, & obsecramus per aduentum Domini nostri Iesu Christi, 2 & Sanctorum nostrorum in ipsum congregatorum, quos & cum eo venturos quoque iam vobis scripsimus, ne citò moueamini ab ea opinione, & sententia, quam de aduentu Christi à nobis edocti tenetis. 3 Neq; falso timore terreamini decepti ab aliquo, 4 quasi Prophetia sermonis 5 prædicatione, & suasione alicuius, aut epistola aliqua 6 nomine nostro ad vos missa, quasi iam instet dies aduentus Domini ad iudicandum, 7 neque vllo alio modo in hac re vos seducat. Quoniam nisi prius 8 venerit Antichristus, qui faciet homines à Deo deficere, & Apostatare, & manifestè

r 3 appa-

Digitized by Google

charitate, & fide Christi deficerent. 22 Tunc autem cum impletus fuerit numerus hic prædestinatorum: manifestè veniet, & reuelabitur ille iniquus homo, & Antichristus, quem Dominus Iesus interficiet 23 solo verbo oris sui, & maiestate gloriæ, in qua adueniet, destruet eum. Cuius aduentus 24 ope Satanæ efficax erit exhibendo omnem potentiam, signa, & prodigia mendacia, & seducendo 25 quouis modo eos, qui peribunt, & damnabuntur, eo quod 26 Christum, qui est vera charitas erga nos, non recipient. Qua de causa Deus permittet eos errare, 27 & credere falsæ prædicationi ipsius Antichristi, 28 & ita non solùm punientur, sed iusto Dei iudicio iudicati pœnas luent, omnes quotquot non receperunt Christum, neque veritati crediderunt; sed iniquitatem, & Antichristum sequuti fuerint. Nos autem debemus Deo gratias agere semper pro vobis fratres adeò dilecti, quod vos elegerit 29 veluti primos, & præcipuos 30 saluandos elegerit 31 per sanctificationem spiritus, & fidem veritatis 32 in quam sanctificationem, & fidem vocauit vos media mea Euangelij prædicatione, 33 vt gloriam cum ipso Christo consequeremini. Ergo fratres in cœpto perseuerate, & memoria retinete, atque opere sequimini 34 traditiones, qualis est hæc de aduentu Antichristi, quas à me siue verbo, siue scripto didicistis: ipse autem Dominus noster Iesus Christus 35 Deus, & Pater noster, qui dilexit nos, & consolatus est vos æterna consolatione, quæ est in spe æternæ gloriæ 36 per gratiam, 37 consoletur, & consolatione exhortetur, & moueat corda vestra ad omne opus, & sermonem bonum, atque in eo 38 vsq; in finem confirmet.

ANNOTATIONES.

1. *Rogamus* positũ fuisse pro eo, quod est exhortamur, notauit Theodoretus, & Theophylactus.

2. Per congregationem intelligit Paulus, sanctos omnes, quos dixerat in præcedente epistola cap. 4. futuros cum Christo in aduentu illius, sicut in paraphrasi explicuimus. Neque enim Paulus exhortatur solùm per congregationem, sed per aduentum congregationis: non enim dixit, *& per nostram congregationem*, sed *& nostra congregationis*, scilicet aduentum, de quo antea dixerat.

3. Quamuis in præcedente epistola cap. 4. serio Thessalonicensibus Paulus suasisset vt cauti, & prouidi essent pro aduentu Domini, eo quod sicut fur inopinato tempore venturus sit: tamen in hoc capite non vult Paulus vt vano, & falso timore aduentus Domini terreantur: vt non illud valde conueniens est, ita etiam hoc non parum nocere posset. Et ideo addidimus in paraphrasi illud, *falso timore.*

Digitized by Google

4. Per ſpiritum Græci intelligunt ſpiritum nequam, hoc eſt, dæmonem, per quem Pſeudo Apoſtoli loquebantur: alij intelligunt fictam reuelationem, aut ficta Spiritus ſancti miracula. Mihi placet expoſitio paraphraſis, vt per ſpiritum intelligatur Propheta, ſicut prophetiæ ſpiritus, non verus, ſed apparens.

5. Per ſermonem intelligit Paulus vocis prædicationem, & ſuaſionem.

6. Per epiſtolam non quamcunque intelligit, ſed miſſam nomine ipſius, ſicut in paraphraſi.

7. Excludit omnem alium modum, quo in hac re decipi poterant.

8. Nomine diſceſsionis aliqui intelligunt defectionem à Romano Imperio. Non quod ſtatim venturus eſſet Antichriſtus, ſed quod non antea, quam deficeret. Græci autem, & recentiores nonnulli intelligunt Antichriſtum ipſum, quorum interpretationem ſequuti ſumus in paraphraſi.

9. Græci omnes explicant hominem peccati, eo modo, quo nos in paraphraſi.

10. Filius perditionis dicitur, homo perditus, phraſi Hebraica, ſicut ſæpe monuimus.

11. Senſus, quem in hoc numero ſequuti ſumus, eſt omnium Græcorum, & colligitur non obſcurè ex illis verbis, *ſuper omne quod dicitur Deus, &c.* per quæ denotantur idola, & falſi Dij, his enim omnibus aduerſabitur etiam Antichriſtus, vt ipſe ſolus tanquam verus Deus colatur, ſicut ex contextu ipſo patet, ita Irenæus, Cyrillus Hieroſolymitanus, locis citandis numero ſequenti.

12. Templum aliqui interpretantur Hieroſolymitanum, quod dicunt ab Antichriſto reædificandum: quod videlicet in eo ſeſſurus ſit, & tanquam Deus ab hominibus colendus. Ita Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 6. & lib. 5. cap. 25. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 15. & Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 27. Anſelmus verò per templum intelligit animas hominum, in quibus Antichriſtus ſeſſurus erit, & ab eis etiam adorandus. Auguſtinus lib. 20. de ciuitate capite 19. cenſet per templum non denotari locum, in quo ſeſſurus ſit Antichriſtus, ſed eo loco ſignificari Antichriſtum cum ſuo populo, & ita non eſſe legendum, *in templo*, *ſed in templum*, ac ſi Paulus diceret, Antichriſtum ſeſſurum, vt templum, ſeu vt Eccleſiam, quaſi ipſe cum ſuo populo Eccleſiam facturus ſit. Mihi placet expoſitio Græcorum, quam in paraphraſi expreſsi, vt nomine templi intelligatur quodcumque templum, in quo tanquam Deus colendus erit Antichriſtus.

13. Græcè eſt οὐ μνημονεύετε, Latinè *non meminiſtis, ſeu memoriam retinetis*, atque hinc conſtat de hac re Paulum iterum Theſſalonicenſes verbo monuiſſe

monuisse, cum apud eos fuit. Addidimus autem illud *memoria*, vt exprimeremus sensum Pauli.

14. Id quod Thessalonicensibus dixerat Paulus, & de quo dicit, *non retinetis*, expresſimus num. illo 15.

15. Pro eo, quod vulgatus habet, *quod detineat*, Græcè est τὸ κατέχον, hoc est, impediens, siue impedimentum: est autem locus non parùm difficilis, quem August. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 19. se nescire fatetur: Græci duas referunt expositiones. Prior est, vt id quod impediebat aduentum Antichristi, esset Romanum imperium, quo perseuerante Antichristus non esset venturus. Et hanc sequitur Chrysostomus, & cæteri Græci magis probare videntur. Posterior est, vt id quod impedit, sit Spiritus sanctus, quo autem pacto hoc impedimentum ad Spiritum sanctum pertineat, Theophylactus explicat ratione præfinitionis: nos autem in paraphrasi ratione gratiæ externæ protectionis, quam expresſit Paulus num. 19.

16. Illud, *Vt reueletur in suo tempore*, non refertur ad verbum *scitis*, sed ad illud, *& nunc quid detineat*, & ideò verbum *scitis*, postposuimus. Præterea particula *Vt*, non denotat hoc loco causam finalem, sed euentum: quia euentus Antichristi non est voluntatis, & intentionis Dei. Quando autem *Vt*, denotet causam, quando autem euentum, ex professo tractauimus prima part. disp. 95. cap. 7.

17. Totum hunc numerum legimus per parenthesin, & aliqua verba proximè præcedentia repetiuimus, vt explicaremus connexionem particulæ causalis *nam*.

18. Mysterium aliqui legunt in casu accusandi, aliqui verò in casu nominandi; vt scilicet Antichristus in suis discipulis operetur iam falsam religionem, quæ est mysterium iniquitatis; vel Antichristus, qui futurus est mysterium iniquitatis, per suos discipulos iam operetur. Caietanus legit in casu accusandi, sed per mysterium intelligit complementum iniquitatum Imperij Romani, quod putat vocari mysterium, quia solùm Deo notum sit: vt sensus sit. Non aliter impediri nunc aduentum Antichristi ab Imperio Romano, nisi quia operatur interim complementum iniquitatum, vt tandem illis completis veniat Antichristus. Oecumenius, & Theophylactus, & autor commentariorum apud Ambrosium, per mysterium intelligunt Neronem, & legunt in casu nominandi in hunc sensum, vt Nero qui esset typus Antichristi, tunc operaretur. Theodoretus verò intelligit omnes hæreticos, qui falsam doctrinam, & religionem docebant, quod vocari putat mysterium, quia erant typus, & figura ipsius Antichristi, eius mores imitantes. Quæ expositio mihi placet, eo quod mysterium opponat Paulus manifestæ reuelationi, & apparitioni Antichri-

Digitized by Google

tum Imperium Romanum, & sic refert Caietanus, ita tamen vt non affirmet tempore proximè sequente venturum Antichristum, sed denotet non antea venturum. Græci verò non expendunt vim huius aduerbij: ego verò puto referendum ad tempus, quod in paraphrasi exposuimus, ita vt proximè post illud venturus sit Antichristus.

23. *Spiritus oris Christi*, denotat verbum, quod spiritu oris eius firmabitur, iuxta illud Psalmi 32. *Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, hoc est verbo eius. Vt ita significet Paulus summam facilitatem, & potentiam, qua Christus sine labore aduersus Antichristum pugnabit, redundat autem in hoc num. vox *enim*.

24. Operatio Satanæ hoc loco denotat auxilium, & opem illius: ponitur autem verbum *est* præsentis, *pro erit*, futuri, & ita nos exposuimus.

25. Per omnem seductionem intelligit Paulus omnem modum seducendi: vtitur autem in hoc numero verbo præsentis pro verbo futuri, vt frequens illi est, & ita sumus interpretati.

26. Charitas veritatis, idem est quod vera charitas, & hanc esse Christum, docent Græci patres in hunc locum.

27. Verbum *immittet*, quo vtitur Paulus, accipiẽdum est secundum permissionem tantum, vt in paraphrasi: per mendacium autem intelligit falsam prædicationem Antichristi.

28. Non dixit Paulus *punientur*, sed *iudicentur*, vt denotaret eos pœnas soluturos secundum iustum Dei iudicium.

29. Nonnulli codices Græci habent ἀπὸ ἀρχῆς, hoc est, ab initio: alij autem ἀπαρχὰς, hoc est, primitias: vocat autem Paulus primitias præcipuos fructus: nam fructuum primitiæ præcipuæ esse solent.

30. In salutem, *idem est*, quod saluandos.

31. Ostendit media diuinæ electionis, per quæ Deus homines ad salutem eligit, & perducit.

32. *Ad quod*, idem est, quod ad quam sanctificationem, & fidem, refertur enim ad id, quod proximè præcesserat.

33. Adquisitionem gloriæ aliqui referunt ad ipsum Deum in hunc sensum, vt ipse adquisiturus sit sibi electos in gloriam suam cum Christo. Ita Oecumenius expressè, & indicat Theophylactus. Mihi placet expositio paraphrasis, quam habent etiam Gagneius, & Caietanus.

34. Hic locus efficax est ad probandum contra hæreticos nostri temporis traditiones, quas non scriptas, sed verbo tantum Ecclesia accepit à Christo, & ab Apostolis, quem recentiores contra hæreticos disputantes expendunt.

5 quòd quæcunque præcipimus, &
facitis, & facietis. Dominus au-
tem dirigat corda vestra in chari-
tate Dei,& patientia Christi. De-
6 nuntiamus autem vobis fratres
in nomine Domini nostri IESV
Christi, vt subtrahatis vos ab om-
ni fratre ambulante inordinatè,
& non secundum traditionem,
7 quam acceperunt à nobis. Ipsi e-
nim scitis,quemadmodum opor-
teat imitari nos: quoniam nõ in-
8 quieti fuimus inter vos, neque
gratis panem manducauimus ab
aliquo, sed in labore,& in fatiga-
tione nocte, & die operantes, ne
9 quem vestrum grauaremus:Non
quasi non habuerimus potesta-
tem; sed vt nosmetipsos formam
10 daremus vobis ad imitãdum nos.
Nam & cum essemus apud vos,
hoc denuntiabamus vobis; quo-
11 niam si quis non vult operari,nec
manducet. Audiuimus enim in-
ter vos quosdam ambulantes in-
12 quietè, nihil operantes, sed cu-
riosè agentes. Iis autem qui eius-
modi sunt, denuntiamus, & ob-
secramus in Domino IESV, vt
cum silentio operantes,suum pa-
13 nem manducent. Vos autem fra-
tres, nolite deficere benefacien-
14 tes.Quòd si quis non obedit ver-
bo nostro, per epistolam, hunc
notate;&ne commisceamini cum
15 illo,vt cõfundatur:& nolite quasi
inimicum existimare,sed corripi-
16 te vt fratrem. Ipse autem Deus
pacis

decipere contendunt: non enim omnibus hominib',etiam si boni, & Christiani appareant, 7 fidendum est; 8 Deus autem talis est, vt neminem decipere possit, & cui ideò ex corde fidendum sit,qui in cœpto vos confirmabit vsque in finem, & custodiet, ne ab aliquo huiusmodi decipiamini, 9 credimusq; de vobis,qui in Domino estis fratres nostri, 10 quod quæcunque, siue scripto, siue etiã verbo præcepimus, 11 facitis; & confidimus quod ea facietis. Dominus autem corda vestra per rectum tramitem charitatis, & sustinentiæ, 12 instar Christi, seu perseuerantiæ vsque in finem incedere faciat. Id autem vobis fratres denuntiamus, & præcipimus in nomine, & autoritate Domini nostri IESV Christi, vt euitetis omnem hominem, qui in eadem religione, & fide vobiscum communicare videtur, 13 otiose tamen, & non secundum traditionem, quam à nobis 14 accepit, viuentem. Bene enim nostis, in quo oporteat, vt nos imitemini: neque enim otiosi fuimus inter vos, neque absq; labore, & merito panem 15 ad manducandum ab aliquo accepimus; sed aßiduo labore, & fatigatione noctu, & interdiu operantes 16 subsidium nobis comparauimus, ne cui vestrum oneri essemus, alimenta ab eo accipientes. Non quod potestatem nõ habuerimus accipiendi à vobis necessaria pro vitæ sustentatione, sed vt in nobis ipsis exprimeremus formam,

pacis det vobis pacem sempiter-
17 nam in omni loco. Dominus sit
cum omnibus vobis. Salutatio,
mea manu Pauli: quod est signum
18 in omni epistola, ita scribo. Gra-
tia Domini nostri IESV Christi
cum omnibus vobis. Amen.

& normam viuendi, secundum quam nos imitaremini: 18 nec solùm reipsa huius rei vobis præbuimus exemplū, sed etiam verbo id sæpius monuimus. Nam cum essemus apud vos, id verbo denūtiabamus vobis, 19 quod si quis non vult laborare, sed otiosus esse, ei cibum non præbeatis: 20 dixi autem & præcepi vobis, vt euitaretis otiosos: audiui enim inter vos quosdā 21 otiose viuere, nihil operantes, 22 q alicuius momenti sit, 23 sed satagentes, & rebus inanibus nimium intendentes; iis autē, qui eiusmodi sunt denuntiamus & obsecramus per Dominum Iesum, vt cum silentio, & quiete operantes panem suum sibi comparent, & manducent. Vos autem fratres, perseuerate in benefaciendo aliis, quod si quis nō obediret præcepto, & verbis nostris, quæ per nostram epistolam ad vos scribimus, hunc notate, ne cum eo communicetis, vt erubescat: nolite 24 tamen, vt inimicum eum habere, & tractare, sed corripite vt fratrem. Ipse autem Deus 25 autor pacis largiatur vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis. 26 Ne autem vos aliquis falsa aliqua epistola nomine meo scripta decipiat, salutatio m inu mea scripta, 27 quæ est signum, & quasi subscriptio in omni mea epistola sub fine 28 ita se habet. 29 Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

ANNOTATIONES

1. *De cetero, est*, particula concludentis,
2. Illud sine offensioue addidimus, vt sensum Pauli magis explicaremus.
3. Grece est δοξάζηται, Latine glorificetur, seu illustretur, aut magnificetur.
4. Ea quæ addidimus, tacite continebantur in illis verbis Pauli *sicut, & apud vos.*
5. Sub verbo, liberemur, comprehendit seipsum, & reliquos.
6. Pro importunis Grecè est, *ἀτόπων*, hoc est inquietis, qui nimirum, nunquam in eodem loco permanent, & hi inconstantes esse dicuntur; ideo interpretati sumus in paraphrasi *inconstantibus in fide*, hi autem importuni fidelibus esse solent, & ideo vulgatus *importunis* conuertit.
7. Illud, *non enim omnium est fides*, expositores Græci de fide actiue explicant in hunc sensum: vt dicat Paulus; non omnes, qui se fingunt Christianos, vere credere, & fideles esse: ego vero puto accipi fidem passi-

Digitized by Google

passiue, sicut in paraphrasi; sic enim particula causalis rectè cohæret, cum præcedentibus, vt patet, alio autem modo difficulter aptari potest. Adde etiam quod verba, sequentia per sensum aduersatiuum prędictam interpretationem maxime confirmant.

8. Cum dixisset non omnibus hominibus fidendum esse, opponit eis Deum fidelem, cui plane fidendum sit, eo quod neminem decipere velit, nec possit.

9. *Confidimus* comparatione præsentis vsurpatur, pro *credimus*: comparatione vero futuri in propria sua significatione, & ita in paraphrasi vtrumque expressimus.

10. *Quoniam* hoc loco capitur *pro quod*, sicut etiam *quia* interdum hoc modo vsurpari solet.

11. Verbum, confidimus, reliquimus hoc loco in propria significatione cum futuro *facietis*.

12. Per patientiam Christi intelligit Paulus perseuerantiam, quæ per spem, & patientiam in aduersitatibus confirmatur; addidit autē *Christi*, non tantum quia est donum Christi, sed quia maximum, & illustre patientiæ exemplum Christus nobis præbuit, & ideo diximus *instar Christi*; ita Theophylactus, qui alio etiam modo hunc locum explicat, vt dicatur patientia Christi, quia per illam expectamus Christum.

13. *Pro inordinate* Gręcè est ἀτάκτως, quod significat *extra ordinem*, verbū autem ἀτακτεῖν est militare, denotans de classe se subducere, interdum autem luxuriose viuere, hic autem Paulus vsurpauit pro *otiose*, ita Gręci Patres accipiunt Theophylactus, Oecumenius, putat autem Theophylactus, hos dici inordinatos generali quadam ratione; quia cum otiose viuunt, non sequuntur ordinem à Deo præstitutum; ego vero puto pro *otiose* vsurpari, quia qui luxuriose viuunt, valde otiosi sunt, & hoc eodem modo idem nomen vsurpari à Paulo in priori epistola cap. vlt. num. 33. ibidem notauimus; per fratrem autem intelligit Paulus hoc loco hominem Christianum, de quo vult vt curam habeant Thessalonicenses; non autem de gentilibus. Porro autem hoc loco Paulum loqui de otiosis, quos dicit corripiendos, patet, quia alioquin non proponeret se in exemplum contra illos, quod nunquam otiosus fuerit, vt victum sibi quæreret manibus suis, etiam si prædicationi Euangelij operam daret.

14. Per traditionem hoc loco intelligit non illam de Antichristo, sed eam, quæ erat de non otiose viuendo, vt patet ex num. 19. cuius doctrinæ etiam meminit in priori epistola cap. 2.

15. Panem ab aliquo manducare, idem est quod ab aliquo ad manducandum accipere.

16. Ali-

Digitized by Google

16. Aliqua verba huius numeri suppleuimus in paraphrasi, nam hic sensus tacite in verbis Pauli continebatur.

17. Eadem ratione suppleuimus aliqua in hoc numero.

18. Totum num. 18. etiam suppleuimus, vt explicaremus contextum, & vim causalis particulæ *nam*.

19. Aduerbium *quoniam* ponit *pro quod*, sicut etiam num. 10. illud vero *non manducet*, idem est quod non accipiat à vobis cibum; hoc enim tantum prohibere potuit illis Paulus, non autem quod ipse non manducaret panem, quem habebat.

20. Aliqua in hoc numero suppleuimus sicut in num. 18. ob eandem rationem.

21. *Inquiete* in hoc numero eodem modo vsurpatur, quo *inordinate* in num. 13. pro *otiose*; est enim eadem vox Græca, & conuenit maxime hæc interpretatio cum præcedentibus, & sequentibus; manifestum enim est in hac epistola loqui Paulum aduersus otiosos.

22. Addidimus illud *quod alicuius momenti sit*, quia certum est otiosos etiam homines non vacare ab omni actione, id enim fieri non potest, sed tantum ab actione vtili, id quod sequenti numero magis explicat Paulus.

23. Curiose agentes, Græce est περιεργαζομένους, quæ vox Latine reddi potest *satagentes*, satagere autem interdum est aliquid inutiliter agere, quod quidem recte dici potuit à vulgato *curiose agere* nam otiosi homines, & qui nihil vtile & alicuius momenti operantur curiositati potius student.

24. Particulam *&*, per aduersatiuam exposuimus, hanc enim vim hoc loco habere videtur.

25. *Deus pacis* ponitur pro eo quod est Deus autor pacis.

26. Addidimus verba quædam vt explicaremus finem, ob quem Paulus dicat *salutatio mea, &c.* vt autem notat Caietanus pronomē *mea*, est in casu auferendi, & conuenit cum manu, & ideo nos postposuimus hoc modo *manu mea*.

27. Omisimus vocem *Pauli*, quia redundat, & addidimus, totū hunc numerum, vt sensum Pauli magis explicaremus.

28. Pro eo quod ait Paulus, *ita scribo*, interpretati sumus, *ita se habet*, vt conueniret cum eo quod pręcessit *salutatio manu mea*. Hęc salutatio habetur etiam in priori epistola & in epistola ad Colossenses, vbi etiam dicitur: *salutatio mea manu Pauli*. Dicitur autem *manu mea*, nam cum ipse totam epistolam manu aliena scribere soleret, & initio illius seipsum nominaret, eam non subscribebat nomine & manu, sed propria manu pro nomine suo subscribebat ita, *gratia Domini nostri Iesu Christi*; nam si propria manu hanc salutationem subscriberet, aut totam epistolam pro-

propria manu scribere debebat, aut facile multi decipi possent per epistolam nomine ipsius scriptam: & certè nullus hactenus epistolam scripsit, qui aliquod signum propria manu in ea non scriberet, si posset: quamuis autem prædicta salutatio præmitteretur à Paulo initium cuiuscunque epistolæ, tamen in fine eam etiam propria manu scribebat, aut his verbis, aut similibus, eamq; habet in epistola ad Romanos, nisi quod post illam addidit plura alia verba, quæ vt ego existimo, simul cum salutatione propria manu scripsit Paulus: Porro autem non propria manu, sed aliena ipsum consueuisse scribere, patet ex epistola ad Galatas cap. 6. *Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu*, quasi id peculiaris erga eos amoris indicium esset; quod quidem non dixisset si id in more haberet; & ex hoc loco colligitur illud *mea* esse in casu auferendi, & conuenire debere cum *manu*, sicut in hoc numero notauimus. Et id omnino conuincit Græcus textus, in quo nullo modo cum salutatione conuenire potest illud pronomen.

29. Hæc est salutatio scripta propria manu Pauli pro subscriptione totius epistolæ.

PARAPHRASIS, ET ANNOTATIONES IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

ARGVMENTVM TOTIVS EPISTOLAE.

PRÆTERMISSIS controuersiis circa hanc epistolam, nempe de autore illius, de autoritate, quam inter libros

t. bros

bros Canonicos habet, & de idiomate, quo fuit conscripta, quæ ab aliis nostra ætate doctissime discussa sunt, & ab instituto nostro videntur aliena, qui germanum sensum solũ eruere, & familiari stylo explanare contendimus: argumentum totius epistolæ de more prætermittere necessarium erit, in quo quidem assignando controuersiam quoque esse non dubito. Nonnulli putant eadem occasione hanc epistolam scriptam fuisse, qua & epistola ad Galatas, & ad Philippenses, & ea quę est ad Titum, scriptę fuerunt; nempe propter infirmos aliquos Iudæos, qui Moysem cum Christo coniungebant, & ideo Paulum tam longã de Christo, & de Sacerdotio ipsius, & de abrogatione Aaronici Sacerdotij disputationẽ assumpsisse, vt ostenderet eis iam Mosaicam legem omnino cessasse. Quem sensum secuti sunt Primasius, & Sedulius.

Ego tamen non legi in tota epistola vel minimum verbum, ex quo coniectare possem, Hebræos, ad quos scripsit Paulus, voluisse, sicut & Galatas Mosaicam legem, & ceremo-

remonias ſimul cum Chriſto retinere. Quare placet mihi ſententia Chryſoſtomi & Theophylacti qui cenſent, Apoſtolum ſcripſiſſe ad Hebræos Paleſtinæ, qui ob fidem, & religionem Chriſti multa, ac dura à ſuis patiebantur, vt conſtat ex cap. 10. cumq; hæc mala poſſent à vera fide, & ſpe ipſos auocare, & nonnulli eorum lapſi eſſent, vt conſtat ex cap. 6. confirmat eos in fide, præſertim autem in ſpe Ieſu Chriſti, ne ab incepto deſiſtant, & retrocedant, cuius occaſione Chriſtum ſummum, & diuiniſſimum Sacerdotem Sacerdotibus Leuiticis multis de cauſis anteponit, vt in diſcurſu epiſtolæ patebit.

ARGVMENTVM
CAPITIS I.

VT Apoſtolus Paulus Hebræos, ad quos ſcribit, in fide, & doctrina, quam à Chriſto acceperunt, & in ſpe concepta confirmet, multis rationibus oſtendit illis Chriſtum verum Deum eſſe, ſic enim ex dignitate illius eos exhortatur ad retinendum doctrinam traditam, vt patet ex initio capitis.

Capvt I.

1 MVltifariam, multisq; modis
olim Deus loquens patri-
2 bus in Prophetis: nouissimè die-
bus istis locutus est nobis in filio,
quē constituit heredem vniuer-
3 sorum, per quem fecit & secula:
qui cum sit splendor gloriæ, & fi-
gura substantiæ eius, portansque
omnia verbo virtutis suæ: purga-
tionem peccatorum faciens, se-
det ad dexteram maiestatis in ex-
4 celsis: tanto melior Angelis effe-
ctus, quantò differentius præ illis
5 nomen hereditauit. Cui enim di-
xit aliquando Angelorum, filius
6 meus es tu, ego hodie genui te? Et
rursum: ego ero illi in patrem, &
7 ipse erit mihi in filium? Et cum
iterum introducit Primogenitū
in orbem terræ, dicit: & adorent
eum omnes Angeli Dei. Et ad
Angelos quidem dicit: qui facit
Angelos suos spiritus: & mini-
8 stros suos flammam ignis. Ad fi-
lium autem: thronus tuus Deus
in seculum seculi: virga æquitatis,
9 virga regni tui. Dilexisti iustiti-
am; & odisti iniquitatem: propte-
rea vnxit te Deus, Deus tuus oleo
10 exultationis præ participibus tuis.
Et tu in principio Domine ter-
ram fundasti: & opera manuum
11 tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt,
12 tu autem permanebis: & omnes
vt vestimentum veterascent: &
velut amictum mutabis eos, &
mutabuntur: tu autem idem ipse
es,

PARAPHRASIS.

PEr 1 partes, 2 & p varias figuras antiquitus Deus locutus est nobis per Prophetas, at diebus 3 nouissimis locutus est nobis, 4 tum omnia quæ nobis reuelanda erant, tum etiam palam, & apertè per filium suum hominem factum, cui 5 in hereditatem tradidit non vnam, aut alteram gentem, sicut olim Prophetis, sed vniuersas nationes totius orbis; vt quas sanguine suo redemerat, doctrina, & prædicatione per se, aut Apostolos suos instrueret, & vocaret in sortem filiorū lucis. 6 Cui etiam æterna generatione suam omnipotentiam communicauit, vt eiusdem cum ipso virtutis, & potentiæ existens conderet res omnes tēpori subiectas. Qui cum sit 7 splendor, & relucentia gloriæ æterni Patris, nimirum ab æterno ex eo procedens sine labore, & passione, & 8 imago 9 hypostasis ipsius, & solo 10 nutu voluntatis suæ, absque vllo etiam labore sustentet vniuersa, 11 facta per semetipsum 12 purgatione, & redemptione peccatorum, sedet etiam ad dexteram Maiestatis in excelsis tanto præstantior Angelis effectus; quanto 13 præstantius præ illis nomen sortitus est: nullum enim Angelum appellauit Deus nomine filij, cum tamen Christum filium nuncupauerit, sicut constat ex multis Scripturæ locis 14 Psal 2. dixit Pater ad Christum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. 15 *In eundem etiam*

13 es, & anni tui non deficient. Ad
quem autem Angelorum dixit a-
liquando: Sede à dextris meis,
quoadusq; ponam inimicos tuos
14 scabellum pedum tuorum? Non-
ne omnes sunt administratorii
spiritus, in ministeriũ missi pro-
pter eos, qui hereditatem capient
salutis?

etiam Christum conuenit illud 2. Regum 7. Ipse erit mihi in filium; *&*
16 *rursus de eodem Christo cum introducitur in orbem terrarum dicitur*, & adorent eum omnes Angeli eius, *Psalm. 96. vbi dominus Angelorum pronuntiatur, tum etiam multis* 17 *aliis modis Christus à Patre Angelis ita præfertur, vt manifestè constet ipsum esse Deum, nam de Angelis dicit scriptura Psalm.* 103. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, *vocat igitur spiritus Angelos, hoc est, nuntios, & ministros Dei, ad Christum autem dicit Deus in Psalmo* 44. 18 Thronus tuus 19 Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui, dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatẽ; propterea vnxit te Deus, Deus tuus 20 oleo exultationis pręparticipibus tuis. *Et Psalmo* 101. Et in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. 21 *Demum nulli Angelorum dixit vnquam Deus sicut dixit Christo.* Sede à dextris meis quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Psal.* 109. *Nam Angeli* 22 *omnes verè sunt ministri Dei missi ab eo in ministerium animarum propter eos, qui vitam, & salutem æternam consequentur, ac proinde neutiquam Deus illis dixit*, sede à dextris meis.

ANNOTATIONES.

1. Aduerbium *multifariè*, quo vulgatus Latinè vtitur, in Græco est πολυμερῶς, quod idem est, ac si dicamus per partes; nam per vnum Prophetam Deus reuelauit quædam, per alium verò alia; & per vnum non reuelauit omnia.

2. Illud, *multis modis*, Græcè est, πολυτρόπως, denotat autem non apertè, sed per varia figurarum inuolucra Deum locutum fuisse nobis per Prophetas.

3. Aliqui codices Latini legunt *nouissimè*, aliqui verò *nouissimis* in Græco est ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων, quod si verbum pro verbo reddas, idem est, atque in nouissimo dierum istorum. Emendata Sixti habet, *nouissime diebus istis*.

ad dexteram Deitatis, vt ostendimus 3. part. disp. 89. tamen corpus tunc dictum est sedere ad dexteram Patris, cum gloriosum effectum est, hoc autem fuit peracta purgatione peccatorum. Ceterum quia sedere ad dexteram, per metaphoram denotat maximum honorem, quem humanitas Christi habuit, imò & consortium eiusdem dignitatis in eadem sede, sicut explicuimus in eadem disputatione ex mente Patrum, non opus est intelligere hanc sessionem fuisse post redemptionem, quia ab initio conceptionis suæ humanitas illa sedit ad dexteram Patris ratione vnionis: si autem sequamur hunc sensum, debemus vocem illam *in excelsis*, referre ad vocem *Maiestatis*, vt sit periphrasis Dei in hunc modum; sedet ad dexteram Maiestatis Dei, qui in excelsis habitare dicitur. Eodem modo intelligitur illud Lucæ 2. *Gloria in altissimis Deo*, neque enim Angeli solum precabantur gloriam Deo futuram in cœlis, sed etiam in terris, precabantur igitur gloriam Deo, qui est in altissimis. Similiter intelligitur illud, Marci 11. *Hosanna in excelsis*; neque enim precabantur paruuli illi, vt saluos faceret eos in excelsis; sed loquebãtur cum Deo, qui est in excelsis, & ab eo petebant, vt saluos eos faceret, ac si dicerent: tu, qui habitas in cœlis, salua nos.

12. In Græco est illud, *per semetipsum*, quod non habet vulgatus noster, id tamen intelligi debet in nostra vulgata; nam Christus non alterius ope, sed solo pretio sanguinis sui redemit nos, & hæc verba referuntur ad humanitatem.

13. In Græco est διαφορώτερον, quod *differentius*, interpretatur vulgatus; sed quia eorum, quæ differunt, alterum præstantius est, per differentias hoc loco præstantius intelligendum est.

14. Locum illum Psalmi explicuimus prima parte, disp. 108. cap. 4. de Resurrectione, quod attinet ad illam partem, *genui te*. & diximus Paulum hoc loco solum vti hoc testimonio, ratione illius partis, *filius meus es tu*.

15. Testimonium illud ex 2. Reg. 7. diximus 1. part. disp. 14. cap. 3. citari ab Apostolo in sensu mystico, neque ob id aliquid energiæ amittere probationem illius.

16. Particula *iterum* non debet referri ad *introducit*, sed est nota citantis nouum testimonium, & ideo Græci eam non exponunt; mitto multa, quæ Theologi ex hoc loco colligunt, de quibus fusius tractaui 1. par. disp. 233. cap. 1. vbi hoc modo explicui particulam iterum, sicut eam accipit Erasmus.

17. Diuinitatem Christi probauit hactenus ex præstantiori nomine quod præ Angelis obtinuit in Scriptura, nunc autem ex aliis modis, quibus etiam Angelis præstare dicitur, idem ostenditur ab ipso.

18. Hebræi

Digitized by Google

18. Hebræi volunt Psalmum illum 44. esse epithalamium pro nuptiis Salomonis, verum vt recentiores scripturæ expositores optimè probant cum omnia illius Psalmi non possint in Salomonem conuenire, melius est dicere epithalamium esse Christi, ex quo versum illum desumpsit Paulus, vt probaret diuinitatem.

19. Nomen illud *Deus*, quidam dicunt cum Erasmo esse in casu nominandi, vt sensus sit, Deus ipse erit tibi thronus in sæclū sæculi, alij verisimilius putant esse in casu vocandi, vtroque autem modo rectè probatur diuinitas Christi; primum si sit in casu vocandi, quia ipsum vocat Deum; deinde si sit in casu nominandi, quia sola humanitas Christi propter vnionem in eadem persona dicitur sedere in eadem sede cum persona filij, ac proinde Deus ipse dicitur thronus illius.

20. Illud *oleum exultationis*, quo delibuta est humanitas Christi præ participibus esse diuinitatem ipsam fusius ostendimus 3. part. disp. 41, cap. 4. quare etiam ex hoc loco probatur diuinitas Christi.

21. Modo illi interrogandi, qui continet sensum negantem annectit Paulus aliam antithesin inter Christum & Angelos, vt in paraphrasi, & ideo suppleuimus illud, *sicut dixit Christo.*

22. Interrogatio illa vim habet, & rationem causæ eorum, quæ proximè præcesserunt, vt in paraphrasi, quamuis aliquis posset referre illam ad omnia antecedentia, vt reddat Apostolus causam omnium antithesum inter Christum, & Angelos.

23. Controuersia esse solet inter scholasticos ex hoc loco Pauli, vtrum omnes Angeli, an aliqui solum mittantur, quam late examinauimus 1. part. disp. 244.

ARGVMENTVM
CAPITIS II.

POstquam præcedenti capite ostendit Paulus Christi diuinitatem, statim initio huius colligit debere Hebræos cum timore, & reuerentia retinere doctrinam, quam à Christo audierunt. Deinde incipit agere de Christi humanitate, & Sacerdotio, vt exhor-

Digitized by Google

hortetur eos ad retinendam traditam doctrinam, & ſpem conceptam de futura beatitudine innixi interceßioni talis Sacerdotis.

CAPVT II.

1 PRopterea abundantius oportet obſeruare nos ea, quæ audiuimus: ne fortè pereffluamus.
2 Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retri-
3 butionem: quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab
4 eis qui audierunt, in nos cõfirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus S. diſtributionib. ſecun-
5 dum ſuam voluntatem. Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, dè quo loquimur.
6 Teſtatus eſt autẽ in quodam loco quis, dicẽs: Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis
7 quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera
8 manuum tuarum. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. In eo enim quod omnia ei ſubiecit, nihil di-
9 miſit non ſubiectum ei. Nunc autem needum videmus omnia ſubiecta ei. Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus eſt, vide-

PARAPHRASIS
eiuſdem capitis.

CVm 1 igitur Chriſtus, per quem nobis Deus nouißimis diebus locutus eſt, excelſior ſit, non ſolum omnibus Prophetis, ſed etiam Angelis, multo magis oportet nos obſeruare ea, quæ ab ipſo hiſce diebus audiuimus, ne inſtar aquæ 2 effluentis omninò pereamus; 3 ſi enim quodcunque mandatum, quod per Angelos hominibus promulgatum fuit, ſtabile, & firmum permanſit, eiusq; præuaricatores dignam præuaricationis pœnam acceperunt, quo pacto nos iuſtam vindictam effugiemus, ſi Chriſti præcepta ſalutaria neglexerimus? quorum doctrina ſalutaris cum initio à Chriſto Deo, & homine fuerit promulgata; deinde ab eis, qui ab ipſo Chriſto eam audierunt, confirmata eſt, conteſtante etiam ipſo Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, quas pro voluntate ſua in confirmationem huius doctrinæ operari dignatus eſt: dico autem doctrinam hanc à Chriſto Deo, & homine initium accepiſſe; 4 non enim Deus Angelos, ſed Chriſtum Deum hominem 5 vniuerſitati hominum ſpirituali, & Eccleſiæ præfecit. 6 Porro in Pſalmis dicit Propheta; quid eſt

u homo

videmus Iesum propter passio-
nem mortis,gloria & honore co-
10 ronatum, vt gratia Dei,pro om-
nibus gustaret mortem. Decebat
enim eum propter quem omnia,
& per quem omnia, qui multos
filios in gloriam adduxerat,auto-
rem salutis eorum per passionem
11 consummari. Qui enim sanctifi-
cat, & qui sanctificantur, ex vno
12 omnes. Propter quam causam
non confunditur fratres eos vo-
care, dicens : nuntiabo nomen
tuum fratribus meis, in medio
13 Ecclesiæ laudabo te. Et iterum
Ego ero fidens in eum. Et iterũ.
14 Ecce ego, & pueri mei, quos de-
dit mihi Deus. Quia ergo pueri
communicauerunt carni & san-
guini,&ipse similiter participauit
eisdem,vt per mortem destrueret
eum, qui habebat mortis impe-
rium, id est,diabolum : & libera-
15 ret eos,qui timore mortis per to-
tam vitam obnoxii erant serui-
16 tuti.Nusquam enim Angelos ap-
prehendit : sed semen Abrahæ
17 apprehendit. Vnde debuit per o-
mnia fratribus similari, vt miseri-
cors fieret, & fidelis pontifex ad
Deum, vt repropitiaret delicta
18 populi. In eo enim in quo passus
est ipse, & tentatus, potens est,&
eis qui tentantur auxiliari.

homo, quod memor es eius, aut
filius hominis, quoniam visitas
eum? minuisti eum paulo minus
ab Angelis, gloria, & honore co-
ronasti eum, & constituisti eum
super opera manuum tuarum;
quibus verbis ostendit psaltes om-
nia, quæ sunt in hoc mundo visibili,
& corporeo subiecta fuisse homini;
qui enim dixit omnia, nihil præter-
misit, quod homini subiectum non es-
set, tametsi nunc post lapsum peccati
non omnia subiecta maneant, 7 *At*
verò videmus Christum hominem,
qui propter formam hominis Angelis
aliquanto minor factus est, per pas-
sionem mortis suæ gloria, & honore
coronatum, 8 *ob gratuitam erga*
nos beneuolentiam, 9 *pro omnibus*
nullo dempto mortem gustasse, ac
proinde omnia, quæ sunt in futuro
orbe spirituali, nempe in Ecclesia, nul-
lo omnino excepto, ei tanquam capiti,
à quo gratiam accipiant, subiecta es-
se; ideo autem per passionem gloria,
& honore coronatus est; quia dece-
bat 10 *eum (Deum Patrem) pro-*
pter quem, & per quem sunt omnia,
11 *quiq; multos filios in gloriam* 12
adducit, vt eum (Christum) qui fa-
ctus esset dux, & autor salutis eo-
rum per passiones, & afflictiones 13
consummaret. 14 *Etenim & Chri-*
stus, qui est autor sanctitatis, & ceteri qui ab eo sanctificantur, 15 *ex vno*
Adamo primo parente originem trahunt: qua de causa non erubescit idem
Christus omnes sanctificatos, fratres suos appellare; sic eos vocat in Psal. 21.
cum dicit, Nunciabo nomen tuum fratribus meis: *Et Isaiæ* 8. *cum ait.*

Ecce

Digitized by Google

Ecce ego & pueri mei 16 quos dedit mihi dominus. 17 *Tum etiam cum ait in Psalm.* 17. Ego verò fidens in eum, *nempe in Deum, manifeste indicat humanam naturam, secundum quam ex Adamo originem traxit. Quia ergo pueri, & sanctificati Christi communicauerunt* 18 *carni, & sanguini paßibili multis obnoxij miseriis, ipse etiam eodem modo carnem, & sanguinem assumpsit, vt in ea mortem patiens destrueret diabolum, qui habebat* 19 *aeterna mortis imperium, & liberaret eos, qui per totam vitam metu mortis aeterna tanquam serui tenebantur propter transgreßionem,* 20 *cui ex se ipsis subiacebant, tribuendo illis gratiae auxilium, vt ita seruantes legem, supplicium aeterna mortis effugerent:* 21 *cum enim non venerit, vt Angelos liberaret, sed homines; consentaneum fuit fratribus suis, nempe hominibus, quos iustificare debebat, per omnia similem fieri, nempe assumendo carnem paßionibus, & aerumnis subiectam, sicut fratres sui habebant; vt ita post experimentum miseriarum sensu humanitatis tangeretur,* 22 *& vt misericors erga homines, & fidelis sacerdos apud Deum pro omnibus intercederet, & propitium Deum redderet erga illos. Nam ex eo, quod passus est ipse miserias, valde propensus est ipso sensu humanitatis ad miserendum, & succurrendum eis, qui misere patiuntur.*

ANNOTATIONES.

1. Particula *propterea* conclusionem continet eorum, quae superiori cap. dicta sunt.

2. *Pereamus* Graecè est παραῤῥυῶμεν, interpretatur autem Chrysostomus, ne pereamus, aqua enim quae effunditur in terram, perit, cum iterum colligi non posit. Alii interpretantur, ne instar perfluentis chartae, quae non retinet characteres, auditam doctrinam non retineamus. Ceterum cum hoc idem fit, atque obseruare doctrinam auditam, & particula *ne* denotet euentum, quem comminatur non obseruantibus legem, ideò expositio, quam in paraphrasi secuti sumus, magis nobis probatur.

3. Argumentum est à minori, quo autem pacto lex per Angelos fuerit promulgata, diximus 3. part. disp. 185. cap. 2.

4. Hic putant aliqui redire Paulum ad id, quod primo capite coeperat ostendere, nempe ad Christi prae Angelis excellentiam, atque ita particulam *enim* non referri ad proximè praecedentia; verum cum iam in hoc 2. capite coepisset Paulus exhortari Hebraeos ad seruandam doctrinam Christi argumento sumpto ab excellentia, qua Christus Angelis antecellit, extra rem videtur iterum redire ad demonstran-

dam Christi dignitatem, qua præstat Angelis; quare congruentius est, vt per particulam *enim* reddat causam eius, quod proximè dixerat Paulus, nempe doctrinam hanc à Christo exordium sumpsisse, tanquam à capite, & ideo claritatis gratia in paraphrasi id repetiuimus.

5. Cum ait Paulus, *orbem futurum, de quo loquimur*, existimant aliqui denotari alterum orbem corporeum futurum; hoc tamen figmentum est, nam quamuis talis esset futurus orbis, Christus non illi solum, sed huic etiam præsenti præfectus esset; Alij futurum orbem dicunt esse hunc mundum visibilem, ita vt dicatur futurus comparatione ipsius Christi secundum diuinitatem, secundum quam ipse æternus est: alij per orbem futurum intelligunt sæculum nouum futurum post resurrectionem, & ita intelligunt illud Isaiæ 9. *Pater futuri sæculi.* Mihi placet vt in paraphrasi per futurum orbem, sicut etiam Isaiæ 9. per sæculum futurum, intelligi sæculum spirituale, nempe Ecclesiam; quod enim animale est, prius est, vt ait Paulus, tum etiam, quia quamuis Ecclesia spiritualis inceperit cum hominibus productis cum hoc orbe terrestri, tamen quia Christus morte sua erat ei promeriturus gratiæ charismata, ideo dicitur futurus orbis, aut sæculum futurum, nec est incongrua explicatio.

6. Aliqui putant testimonio illo Psalmi probare Paulum, Christum hominem præfectum fuisse vt caput toti Ecclesiæ, vel quia ad literam Psalmus intelligatur de Christo, cui dicuntur omnia illa subiecta spirituali modo, vel in sensu mystico, vt Psalmus loquatur ad literam de quouis homine, cui subiecerit Deus omnia creata visibilia, mysticè autem de homine Christo, cui omnia quæ sunt in Ecclesia, vt orbe spirituali subiecit Deus. Cæterùm cum statim dicat Paulus, *nunc autem nec dum videmus*, quod intelligi non potest de Christo, sed de puro homine, qui propter peccatum dominium illud antiquum supra creaturas amisit, ideo verba Psalmi non de Christo, sed de puro homine ad literam intelligenda sunt. Porro autem illa verba *nunc autem*, &c. non posse intelligi de Christo, patet; quia licet vt illi qui volunt post futurum iudicium omnia Christo plenè subiicienda sint, nunc autem omnia ei non plene subiecta sunt: tamen non videtur quorsum Paulus, hoc loco illud interserat; quare videtur mihi Paulus vti pulchra quadam antithesi inter Christum, & purum hominem, nam puro homini tribuit dominium, & potestatem supra mundum visibilem (quem præsentem vocare possumus) sicut dicitur in Psalm. 8. & hanc quidem post peccatum non integram, sed ex parte homo retinet: Christo autem Deus tribuit integram, & plenam potestatem in mundum futurum, nempe in mundum spiritualem,

qui

Digitized by Google

qui est Ecclesia, particula verò *autem* eo loco habet vim continuandi sermonem.

7. Particula *autem* ibi habet vim aduersatiuæ, & continet antithesin Christi.

8. Græca exemplaria Bibliorum Complutensium pro *gratia Dei*, legunt χάριτι Θεοῦ, quod idem est ac si Latinè dicas, charitate Dei, & ita legit noster vulgatus. Alij ex Latinis, vt Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum cum aliis Patribus Græcis legunt χωρὶς Θεοῦ, hoc est sine Deo, & inde probant Deitatem non fuisse passam: circa hunc locum multa notauimus tertia parte, disp. 49. cap. 4.

9. Illud *pro omnibus* antithesis est Christi, cum enim dixisset, homini puro nunc post peccatum non esse omnia subiecta, opponit potestati hominis imperfectæ perfectam Christi potestatem in mundum spiritualem; eam verò pulchre denotauit per id, quod dicit Christum pro omnibus gustasse mortem; sic enim omnes redemit, ac proinde omnes sibi subiecit, & seruos constituit: quomodo autem ex hoc loco intelligatur Christum sibi meruisse gloriam corporis diximus 3. par. disput. 79. cap. 1.

10. Periphrasis est Dei Patris, *propter quem*, tanquam propter finem, & *per quem*, tanquam per causam efficientem sunt omnia.

11. Illa verba, *qui multos filios* aliqui referunt ad Christum hoc modo, decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, eum scilicet Christum, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorē salutis eorum consummare; melius tamen referuntur ad Deum Patrem, sicut in paraphrasi, vt respectu illius sanctificati dicantur filij, qui postea dicuntur pueri, & fratres Christi, de quo loco plura diximus 3. parte, disp. 49.

12. Pro *adduxerat*, in Græco est ἀγάγοντα, participium præsentis, & significat adducentem.

13. Pro *consummare*, quam habet vulgata emendata aliqui legunt *consummari*, qui pro eo quod est τελειῶσαι, quod est consummare, legerunt τελειοῦσθαι, quod est verbum medium, & significare potest consummari; tunc autem illud quod supradicitur *decebat eum, &c.* non ad Deum Patrem, sed ad ipsum Christum referendum esset. Quod autem, inquit Gagneius, verbum consummari idem esse, quod sacrificari, explicans in hunc sensum illud ad Hebr. 5. *Consummatus factus est, &c.* vt sensus sit, sacrificatus, &c. mihi non probatur; nam quamuis Christus fuerit consummatus morte, in qua oblatus est, verbum tamen non significat sacrificari, sed consummari.

14. Causalem particulam *enim*, quidam referunt ad illud, *Gratia Dei*

pro omnibus gustaret mortem, aut vsurpant illam pro δὲ, hoc est autem, ne sit continuatiua. Ego vero dico referri ad id quod proxime præcesserat, nempe, *Per passionem consummare*; id enim probat in sequentibus, vt patet ex contextu.

15. Illud *ex vno omnes*, aliqui sic interpretantur, ex vno Deo Patre omnes; verum hæc interpretatio contextui non quadrat: contendit enim Paulus respondere Christum similem fuisse sanctificatis suis, & ideo fratres eos vocasse.

16. Ex illo loco colligere volunt aliqui, Christum non fuisse causam meritoriam electionis nostræ; quam sententiam, exponentes hoc testimonium, confutauimus 1 part. disp. 94. cap. 2.

17. Illud testimonium ex Psalm. 27. quod citat Paulus secundo loco, nos posuimus in tertio; quia duo alij erant ad probandum non erubuisse Christum appellare sanctificatos suos fratres suos; hoc autem solum ad probandam in eo humanam naturam secundum quam fiduciam habuit in Deo, quod etiam eodem spectat, inde enim sequitur Christum recte appellasse sanctificatos suos fratres suos.

18. Per carnem & sanguinem intelligit humanam naturam, nō quomodocunque sed passibilem, quo pacto etiam in hac epist. cap. 5. tempus quo fuit Christus passionibus obnoxius vocat Paulus dies carnis Christi.

19. Per mortem intelligit æternam, huius enim præcipue imperium habebat dęmon, & ita à metu eius Christus nos præsertim liberauit.

20. Quo pacto homines ex se ipsis post peccatum primi parentis obnoxij sint seruituti diaboli, & peccati, & quo pacto ab hac seruitute per Christum fuerint liberati, ostendimus 1. 2. d. 189. c. 4. & tomo 1. in 3. par. disp. 3. cap. 1. idq; in paraphrasi breuiter expressimus.

21. Illud *enim* reddit rationem cur Messias fuerit homo mortalis similis nobis.

22. Dicitur Christus sacerdos misericors erga homines, quia illorum miseria motus pro illis se obtulit; dicitur autem fidelis erga Deum vt constat ex cap. sequenti, quia fideliter functus est munere intercessoris, prout à Deo fuerat constitutus.

Annotatio circa Scripturam, quam citat Paulus in hoc capite.

TOtum Psalm. 21, ex quo citat Paulus testimonium illud *narrabo nomen tuum, &c.* intelligendum esse ad literam non de Dauide, sed de Christo Domino interpretes Psalmorum communiter sentiunt. Propter

pter alia etiam testimonia,quæ citantur ab Euangelistis. Aliud testimonium,quod citat Paulus ex Isaię cap.8. *Ecce ego, & pueri mei, &c.* aliqui putant allegari in sensu literali, eo quòd ad literam illud dixerat Isaias de Christo. Alij verò ad literam dictum putant de ipso Isaia; mysticè autem,& per figuram de Christo, & Paulum sensum mysticum allegasse. Tertium testimonium, *ero fidens in eum,* videtur desumptum ex eodem cap.Isaię secundum translationem Septuaginta, nam vbi vulgata legit, & *præstolabor eum.* Septuaginta habent, *& ero fidens in eum.* Sic autem esset eadem diuersitas opinionum circa sensum,in quo citatur à Paulo,nam hæc verba proximè posita sunt ante illa; *Ecce ego, & pueri mei* Alij putant desumptum illud testimonium ex Psalm.19. mutatis verbis, & seruato sensu,ibi enim dicitur, & *sperabo in eum,* sed cum Psalmum illum, vt patet ex 2. Reg.22. Rex Dauid cecinerit, postquam diuina virtute omnes hostes suos superasset, videtur quibusdam hoc testimonium etiam citari in sensu mystico.

ARGVMENTVM
CAPITIS III.

EXhortatur Paulus Hebraos, vt considerata huius Christi fidelis sacerdotis excellentia, vocem eius audiant, ne permanentes in incredulitate sicut antiqui Iudai, impediantur & ipsi à requie sempiterna consequenda, sicut & increduli ex illis prohibiti sunt in terram promißionis ingredi.

CAPVT III.

1 VNde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Iesum,
2 qui fidelis est ei qui præfecit illũ, sicut & Moyses in omni domo eius.

PARAPHRASIS.

QVocirca 1 cum Christus sit Pontifex noster à Deo constitutus, & vos in Baptismo sanctificati, & gratia ipsius vocati ad cœleste brauium, attente considerate Apostolum, & Pontificem fidei, & confeßionis nostra

Digitized by Google

3 eius. Amplioris enim gloriæ iste
præ Moyse dignus est habitus,
quanto ampliorem honorem ha-
bet domo, qui fabricauit illam.
4 Omnis namq; domus fabricatur
ab aliquo, qui autem omnia crea-
5 uit, Deus est. Et Moyses quidem
fidelis erat in tota domo eius tan
quam famulus, in testimonium
6 eorum, quæ dicenda erant. Chri-
stus verò tanquam filius in domo
sua: quæ domus sumus nos, si fi-
duciam, & gloriam spei vsque ad
finem, firmam retineamus. Qua
7 propter sicut dicit Spiritus san-
8 ctus: Hodie si vocem eius audie-
ritis, nolite obdurare corda ve-
stra, sicut in exacerbatione secun-
dum diem tentationis in deserto,
9 vbi tentauerunt me patres vestri;
probauerunt, & viderunt opera
10 mea quadraginta annis: Propter
quod infensus fui generationi
huic, & dixi: semper errant corde.
Ipsi autem nō cognouerunt vias
11 meas, quibus iuraui in ira mea: si
introibūt in requiem meam. Vi-
12 dete fratres, ne fortè sit in aliquo
vestrum cor malum incredulita-
13 tis, discedendi à Deo viuo: sed ad-
hortamini vosmetipsos per sin-
gulos dies donec Hodie cogno-
minatur, vt non obduretur quis
ex vobis fallacia peccati. Partici-
14 pes enim Christi effecti sumus; si
tamen initium substantię eius v-
que ad finem firmū retineamus,
15 dum dicitur: hodie si vocem eius
audie-

nostræ Iesum, 2 qui fidelis est ipsi Deo, qui ipsum 3 præfecit, & Pontificem constituit supra orbem terræ futurum, nempe supra mundum spiritualem, qui est Ecclesia, sicut etiam Moyses in toto populo Israël, qui fuit domus Dei, fuit fidelis ei, qui præfecit eum. 4 Nam tanto maiori gloria hic Christus, quam Moyses dignus est habitus, quanto maiorem honorem habet is, qui cōstruxit domum, 5 quam ipsa domus; omnis enim domus ab aliquo construitur, Deus autem autor est omnis creaturæ: ergo & Christus, qui est Deus, autor, & opifex fuit populi Israëlitici, qui fuit domus Dei, ac proinde ipsius Moysis, qui fuit pars quædam huius domus. 6 Porro etiamsi Moyses minister huius domus fuerit, Christus dignior illo fuit; nam Moyses quidem fidelis fuit in ea domo tanquam famulus; Christus verò fidelis est tanquam filius in domo sui Patris, quæ quidē domus sumus nos, si 7 fiduciam, & 8 gloriationem de spe nostra retinuerimus. 9 Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus Psal. 94. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerūt me patres vestri, probauerunt, & viderunt opera mea, quadraginta annis. propter quod infensus fui generationi huic, & dixi, semper errant corde, ipsi autem nō cognouerunt vias meas, qui-

audieritis, nolite obdurare corda
vestra, quemadmodum in illa ex-
16 acerbatione. Quidam enim au-
dientes, exacerbauerunt; sed non
vniuersi qui profecti sunt ab Æ-
17 gypto per Moysen. Quibus au-
tem infensus est quadraginta an-
nis? Nonne illis qui peccauerunt,
quorum cadauera prostrata sunt
18 in deserto? Quibus autem iura-
uit non introire in requiem ipsi-
us: nisi illis qui increduli fuerunt?
19 Et videmus quia non potuerunt
introire in requiem ipsius, pro-
pter incredulitatem.

quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.) *Cauete fratres ne aliquis vestrum per incredulitatem discedat ab eo, sicut quondam illi in deserto incredulitatis peccato Deo infensi fuerunt, sed cohortamini vos inuicem, 10 dum vita comes vobis fuerit; ne quis fallaci peccato deceptus obduretur: cauete inquam, insiti 11 enim 12 estis in Christo; & cohæredes, & concorporales effecti, si tamen 13 fidem, quæ est initium substantiæ religionis Christianæ, vsque in finem retinueritis 14 toto tempore vitæ vestræ, quandiu scilicet dici potest nobis illud; hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione: ex his 15 enim qui profecti sunt de Ægypto, ducente Moyse, non omnes, sed quidam peccato incredulitatis irritarunt dominum, vt non sineret illos ingredi in requiem terræ promissionis. Quibus autem Deus indignatus est quadraginta annis? nonne illis quorum corpora 16 in deserto prostrata sunt, eo quod murmurare fecerunt populum contra terram promissionis? Porro quibus iurauit non introire in requiem suam? nisi illis, qui increduli fuerunt, nec exploratoribus crediderunt narrantibus mirabilia de terra illa, & sane scimus hos non introisse terram promissionis ob prædictam incredulitatem.*

ANNOTATIONES.

1. Particula *Vnde*, qua incipit Paulus cap. 3. denotat illationem ex præcedenti doctrina, vt in paraphrasi, & ideo quædam repetiuimus, vt illatio cohæreret.

2. Aliqui cum Erasmo exponunt *quod fidelis sit*, vt sit sensus, considerate, quod fidelis sit, verum iuxta lectionem vulgatam multo melius illud *qui fidelis est*, ponitur vt epitheton Christi, quamuis vtrunque sensum, & lectionem admittant Græca exemplaria.

3. *Præfecit*, hoc loco significat id, quod cap. 2. dixit, *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur*, vt ibidem exposuimus; cum enim ibi dicat orbem futurum scilicet Ecclesiam subiectam fuisse non Angelis, sed Christo, consequenter hic ait Christum præfectum fuisse, scilicet Ecclesiæ, vel domo Dei, quod idem est.

4. Cauſalis illa particula *enim*, refertur ad *conſiderate*; cauſa enim ob quam conſiderare debebant attente Hebræi Chriſtum, eſt illius dignitas, & excellentia, ob quam ſeria conſideratione dignus eſt.
5. Domus in noſtra vulgata eſt in caſu gignendi, tum quia in Græco eſt in eo caſu; tum etiam quia ſi eſſet in caſu nominandi nullum exitum inuenire poſſemus in ſenſu illius periodi; in caſu autem gignendi quidam exponunt ita, vt ſit caſus poſſeſsionis in hunc ſenſum: tanto maiori gloria dignus eſt Chriſtus, quam Moyſes, quanto maiorem habet honorem domus, qui illam fabricauit, quam qui in ea ſeruit: ſi enim *domus* in caſu gignendi referretur ad comparatiuum *amplioris*, vt eſſet ſenſus maiori gloria dignum eſſe eum, qui domum ædificauit, quam ipſam domum, ſicut reuera referri poteſt, nõ videretur quadrare; nam Paulus non comparat Chriſtum cum domo; ſed cum Moyſe ſeruo huius domus. Mihi tamen ſenſus paraphraſis probatur, ita vt *domus* quæ eſt in caſu gignendi referatur ſecundum phraſin Græcam ad *amplioris*, & ſit caſus comparationis, ac ſi Latine diceremus *domo*, aut *quam domus*; & in hoc ſenſu tranſtulit vulgatus in caſu gignendi retinens phraſin Græcam. Neq; obſtat, quod alij dicebant, quia Paulus comparat Chriſtum cum Moyſe, non ſolum tanquam cum miniſtro domus Iſraël, ſed etiam tanquam cum parte ipſius domus, ſiquidem ipſe vnus erat de populo, & ita in nu. 4. comparat cum illo, tanquam cum parte domus.
6. Ibi comparat Paulus Chriſtum cũ Moyſe miniſtro huius domus; quia poterat quis dicere, Moyſen non ſolum fuiſſe partem huius domus, ſed etiam miniſtrum.
7. Pro fiducia Græce eſt παῤῥησία, quę denotat libertatem loquendi, interdum tamen Apoſtolus accipit pro fiducia; nam qui fiduciam habet in aliquo, libere de illo loquitur.
8. Pro *gloria*, Græce eſt καύχημα, quod ſignificat gloriationem.
9. Illud *quapropter* coniungendum eſt cum illo *videte*, quod nos interpretati ſumus *cauete*, & teſtimonium Pſalm. 94. per parentheſin legendum eſt; quod ſi noua periodus ſit ab illis verbis *videte fratres, &c* ſenſus prioris manebit imperfectus, neq; omnia illa, quæ citantur ex Pſalmo dici poſſunt in perſona illorum ad quos ſcribit Paulus.
10. Illud *hodie* prout applicatur à Paulo, denotat tempus præſentis vitæ cuiuſque noſtrum.
11. Particula cauſalis *enim* refertur ad id, quod dixerat, *videte fratres, &c.* & ideò iterum nos repetiuimus illud, cauete, vt ſenſus cauſalis melius appareret.
12. Mutat perſonam, vt frequens eſt apud ipſum.
13. Initium ſubſtantiæ denotat fidem, pro *ſubſtantia* eſt ὑποστάσεως, hoc eſt, ſubſiſtentiæ, hunc locum declarauimus 1. part. diſp. 124. cap. 4. & 1. 2. diſp. 209 cap. 2.
14. Illud

14. Illud *dum dicitur*, coniungunt Latini cum præcedentibus, vt in paraphrasi, Græca exemplaria non habent *dum*; & ideò dicunt Græci sensum esse imperfectum, & ideò in fine addunt timete, seu cauete, ne huic præcepto contraueniatis; mihi verò videtur etiam sine illo *dum* sensus perfectus, ita vt iterum repetat illa verba exhortationis modo applicata ad Hebræos.

15. Particula causalis *enim* reddit causam eius, quod proxime præcesserat, simulque Paulus limitat ad quosdam solum ex illo populo, quod de toto populo dixisse videbatur.

16. Illud *peccauerunt*, denotat non peccatum incredulitatis tantum, sed eorum exploratorum, qui murmurare fecerunt populum contra terram promissionis, horum enim corpora prostrata sunt, vt patet nu. 14. & subito percussa, & quamuis ob alia peccata multi ex illo populo fuerunt à Deo percussi, vt patet num. 11. propter peccatum non concupiscendi carnes, & Exodi 32. propter peccatum idololatriæ, tamen hic solum fit mentio eorum, qui peccarunt contra promissionem Dei.

ARGVMENTVM CAPITIS IIII.

PErgit Paulus exhortari adhuc Hebræos exemplo illo Iudæorum, qui tempore Moysis increduli fuerunt, ne ipsi increduli sint, & quemadmodum illi prohibiti fuere, ne viderent terrã promissionis, ita & ipsi excludãtur ab æterna beatitudine, quare testimonium Psal. 94. quod est de Iudæis qui ex Ægypto cũ Moyse exierunt, applicat etiam ad Hebræos, ad quos scribit, vt in decursu capitis patebit.

CAPVT IIII.

1 TImeamus ergo ne fortè relicta pollicitatione introeun-
2 di in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse. Etenim & nobis

PARAPHRASIS.

TImere 1 igitur debemus, ne forte neglecta promissione, quam habemus introeundi in requiẽ 2 Christi, quemadmodum ex veteri populo aliqui

nobis nunciatum eſt, quemad-
modum & illis: ſed non profuit
illis ſermo auditus, non admiſtus
3 fidei ex iis, q̃ audierunt. Ingredie-
mur enim in requiem, qui credi-
dimus: quemadmodum dixit: ſi-
cut iuraui in ira mea; ſi introibũt
in requiem meam: & quidem o-
peribus ab inſtitutione mundi
4 perfectis. Dixit enim in quodam
loco de die ſeptima ſic: & requie-
uit Deus die ſeptima ab omnibus
5 operibus ſuis. Et in iſto rurſum:
ſi introibunt in requiem meam.
6 Quoniam ergo ſupereſt introire
quoſdam in illam, & ij quibus
prioribus annunciatum eſt, non
introierunt propter incredulita-
tem: iterũ terminat diem quen-
dam, Hodie, in Dauid dicendo,
poſt tantum temporis, ſicut ſu-
7 pra dictum eſt. Hodie ſi vocem
eius audieritis, nolite obdurare
8 corda veſtra. Nam ſi eis Ieſus re-
quiem præſtitiſſet, nunquam de
alia loqueretur, poſt hac, die. Ita-
9 que relinquitur Sabbatiſmus po-
pulo Dei. Qui enim ingreſſus eſt
10 in requiem eius; etiam ipſe requi-
euit ab operibus ſuis, ſicut & à
ſuis Deus. Feſtinemus ergo in-
11 gredi in illam requiem; vt ne in id
ipſum quis incidat incredulitatis
exemplum. Viuus eſt enim ſer-
12 mo Dei, & efficax; & penetrabi-
lior omni gladio ancipiti, & per-
tingens vſque ad diuiſionem ani-
mæ, ac ſpiritus, compagum quo-
que

*aliqui fruſtrati ſunt expectatione ter-
ræ promiſſæ, ita etiam contingat, vt
aliquis ex nobis 3 videatur 4 fru-
ſtrandus expectatione beatitudinis
æternæ; etenim illud,* ſi introibunt
in requiem meam, *non tantum 5
nuntiatum, & dictum fuit illis cum
exirent de Ægypto; ſed etiam nobis,
qui ad æternam fœlicitatem conten-
dimus, tametſi non profuerit illis ſer-
mo, & pactum terræ promiſsionis, eo
quod nõ fuerit in eis cum fide 6 con-
iunctum ſecundum ea, quæ audierant
ab exploratoribus: nunciatum itaque
eſt, & nobis; 7 nam nos qui credidi-
mus, ſi fide recte vixerimus, ingre-
diemur in requiem ſempiternam. 8
Quemadmodum, & contra dictum
eſt Pſalm. 94.* Sicut iuraui in ira
mea, *nempe incredulis;* ſi introibũt
in requiem meam, *hoc eſt, non in-
troibunt in requiem meam; 9 & qui-
dem nunciatum fuit omnibus de re-
quie illa: primùm in ipſa mundi inſti-
tutione, cum perfecit Deus omnia o-
pera ſua: dictum eſt enim Geneſ. 2. de
die ſeptima à conſtitutione mundi ſic:*
& requieuit Deus ab omnibus o-
peribus ſuis, *& deinde dictum eſt
in illo loco Pſalm 94.* Si introibunt
in requiem meam, *vbi refertur &
id quod nunciatum eſt antiquis Iu-
dæis cum exirent de Ægypto, & ten-
derent ad terram promiſſam; & nun-
ciatur nobis, qui eis ſucceſsimus, &
contendimus ad cœleſtẽ patriam, quæ
eſt vera requies domini. Quoniam
ergo*

Digitized by Google

que ac medullarum, & discretor
cogitationum, & intentionum
13 cordis. Et non est vlla creatura
inuisibilis in conspectu eius: om-
nia autem nuda, & aperta sunt o-
culis eius, ad quem nobis sermo.
14 Habentes ergo Pontificem ma-
gnum qui penetrauit cœlos, Ie-
sum filium Dei: teneamus spei
15 nostræ confessionem. Non enim
habemus Pontificem, qui non
posit compati infirmitatibus no-
stris: tentatum autem per omnia
pro similitudine absque peccato.
16 Adeamus ergo cum fiducia ad
thronum gratiæ eius: vt miseri-
cordiam consequamur, & gra-
tiam inueniamus in auxilio op-
portuno.

ergo supersunt aliqui, qui ingrediantur in requiem sempiternam, quæ figurata fuit in terra illa promißionis: & antiqui illi Iudæi, quibus prius annunciatum fuit, ipsos ingressuros in terram promißionis, propter incredulitatem suam non sunt ingreßi in terram illam, & illi fuerunt figura eorum, qui propter incredulitatem etiam suam non ingrediuntur in æternam fœlicitatem: ideo iterum Deus 10 *omnibus aliis, qui successerunt, definit* 11 *tempus præsentis vitæ apud Prophetam David, vt moneat eos, qui supersunt, ne in duritiam, & incredulitatem cordis incidant, dicendo eis post multum temporis, ex quo increduli non sunt ingreßi terram illam promißionis,* Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Nam si Iesus Naue, qui fuit dux populi illius Israelis, dum solum introduxit eum in terram illam promissam, præstitisset ei veram, & plenam requiem, quam vocat Deus in illo Psalmo requiem suam,* 12 *& nulla alia præter illam superesset æterna, & vera fœlicitas, nunquam* 13 *deinceps David loqueretur, de alia die* 14 *in qua alia requies esset speranda, cum iam nulla terra promißionis superesset.* 15 *Atqui illis qui supersunt, loquitur eodem modo David, sicut locutus est Dominus antiquis Iudæis iurans illis, incredulos non ingressuros in terram illam;* 16 *ergo Iesus Naue non præstitit eam requiem, quæ est vera beatitudo; ac proinde superest Sabbathismus, & requies alia sempiterna populi Dei,* 17 *videlicet superatis, & finitis laboribus huius vitæ;* 18 *nam requiem terræ promißionis quæ fuit figura huius æternæ fœlicitatis nobis reseruatæ populus ille consecutus est peractis iam laboribus, & ærumnis, vt ab eis requiesceret; sicut & Deus quidem perfectis operibus suis dicitur septimo die quieuisse, cuius requie etiam nostra fœlicitas sub vmbra, & figura annunciata est.* 19 *Dum ergo sumus in hac vita, pergamus ingredi, & consequi sempiternam illam fœlicitatem, ne incidamus in simile crimen incredulitatis, in quod incidit populus ille.* 20 *Caueamus igitur incredulitatis peccatum,*

non solum verbo, sed etiam corde. Nam 21 sermo Dei vitam habet, &
efficax est, acutior omni gladio vtrinque incidenti, ita vt diuidat partem ani-
malem, qua cum brutis communicamus, à ratione, & volumtate, qua ipsis an-
tecellimus, nihilque tam absconditum est, quales sunt compagines, & medullæ
in corpore humano, quo hic sermo non pertingat, 22 hoc est, nulla creatu-
ra est inuisibilis ei, sed omnia nuda, & aperta sunt oculis eius, cui nobis 23
ratio reddenda est. 24 Habentes itaque nos Pontificem magnum non sicut
illi habuerunt Aaron, qui non in sancta templi corruptibilis, sed in cœlos in-
trauit, nempe Iesum non Naue, sed Filium Dei, firmo animo retineamus con-
fessionem spei nostræ, quam cœpimus. Non enim habemus Pontificem, qui
non sit procliuis ad miserendum infirmitatibus nostris, sed tentatum, & pro-
batum omnibus modis, quibus 25 & nos probari solemus, citra peccatum,
cui non fuit obnoxius. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ eius
26 placabilem, vt misericordiam consequamur, qua peccata nostra delean-
tur, & gratiam, quæ nobis sit 27 in auxilium opportunum.

ANNOTATIONES.

1. Particula *ergo* est nota illationis, aut continuationis, mutat autem personam, vt solet Apostolus.

2. Illud *eius* interpretati sumus *Christi*, quem introducit Apostolus loquentem in hunc modum, *si introibunt in requiem meam.*

3. Apostolus non dixit, *Ne aliquis ex nobis dicat*, sed, *ne existimet aliquis ex nobis deesse*, hoc est, ne videatur, vt temperaret minus.

4. *Deesse* quod est præsentis temporis, videtur positum pro futuro.

5. Pro *nunciatum est nobis*, in Græco est euangelizati sumus nos, capitur autem passiuè, sicut etiam accepit Matth. 11. cap. cum dixit, *pauperes euangelizantur*, pro eo quod est pauperibus annunciatur Euangelium.

6. Aliqui vulgati, vt codex Complutensis legunt *admixtis fidei, &c.* variant enim exemplaria Græca, si autem legamus *admixti fidei*, sensus est, nihil eis profuit promissionis sermo, eo quod admixti, & coniuncti non essent fidei eorum, qui audiuerant, & crediderant de terra promissionis, vtroque autem modo idem sensus est, nos secuti sumus lectionem vulgatæ nuper emendatæ.

7. Causalis *enim*, refertur ad illud, quod præcesserat, *& nobis nunciatum est*, ideo illud repetiuimus, vt congrueret sensus, & planior fieret.

Addi-

Addidimus autem & illud: si rectè vixerimus; nam sola fides sine operibus non sufficit, vt latè ostendimus 1. 2. disp. 210.

8. Probat nos ingressuros in requiem à contrario, quia increduli non sunt ingressi.

9. Illud, *& quidem operibus, &c.* subobscuram reddit periodum, & ferè nullus est præter Anselmum, qui explanet difficultatem contextus; ille autem refert prædicta verba ad illud *nuntiatum est*, ideoque nos illud repetiuimus. Porro ter inuenimus factam mentionem æternæ fœlicitatis, ad quam exhortatur Paulus, bis quidem in figura, nempe quando requieuit Deus ab operibus suis, & quando proposita est terra illa promissionis: nam his duobus locis adumbrata fuit nostra beatitudo, semel autem nunciata fuit nostra fœlicitas non in vmbra, & figura, sed in ipsa veritate Psalm. 94. Porro autem Dauidem in sensu anagogico explicasse requiem illam Domini, & requiem populi Israelis de nostra beatitudine, & in sensu literali docuisse propositam nobis esse fœlicitatem æternam, ex hoc loco Pauli probaui 1. part. disp. 16. cap. cap. 3.

10. Illud *Deus*, quod est in paraphrasi suppleuimus, eo quod postea dicit *in Dauid*, nam qui in Dauide locutus fuit, est Deus.

11. *Diem quendam*, idem est apud Paulum, quod *hodie* apud Dauidem, non quia sit certus aliquis dies, sed tempus huius vitæ præsentis, de quo semper dicitur *hodie*.

12. Illud, *& nulla alia*, suppleuimus ad explicandam rationem Pauli, nam si requies illa terræ promissionis, quam solum præstitit Iesus Naue, fuisset beatitudo vera, non esset fœlicitas nobis expectanda, quia non est nobis promissa terra similis, & ita Dauid nunquam de alia die, in qua expectanda esset requies, locutus fuisset.

13. Post hac, interpretati sumus deinceps.

14. Illud *in qua, &c.* suppletum est.

15. Totus etiam numerus 15. suppletus est ad explicandam vim rationis Pauli, quæ, vt Logici dicunt, est à destructione consequentis, ad destructionem antecedentis.

16. Hæc est conclusio rationis, qua colligitur ex destructione antecedentis; destructio autem antecedentis erat, ergo Iesus Naue non præstitit veram requiem, quam Paulus suppressit, nos autem suppleuimus.

17. Illud *videlicet superatis, &c.* addidimus, vt causalis, quæ subsequitur, rectè connectatur; hunc autem sensum confirmant duo exempla, quæ adducit Paulus, & populi Israelis ingredientis in terram promissionis, & domini quiescentis septimo die ab omni opere.

18. Cau-

Digitized by Google

18. Caufalis *enim*, pro qua nos pofuimus *nam*, aliqui putant idem effe quod *autem*, nam Paulus aliquando vtitur particula γὰρ, Latinè *enim*, pro δὲ, Latinè *autem*, verum eo modo contextus non ita rectè conftat.

19. Conftituto femel æternam fœlicitatem nobis effe promiffam, incipit exhortari Paulus Hebræos, vt permaneant in fide, neque vlla occafione laborum ab ea difcedant, ne eodem modo illis accidat, atque incredulis Iudæis, qui non funt ingrefsi terram promifsionis.

20. Vt rectè conftaret ratio, quam fubiungit Paulus, cum toto contextu addidimus totum num. 10.

21. Sermo Dei capitur hoc loco pro increato fermone, nempe pro ipfo Deo, & per varias illas metaphoras, quibus vtitur Paulus, explicat nihil effe occultum ei, de quo non fimus reddituri rationem, ac proinde oftendit etiam incredulitatem mentis occultam nocituram Hebræis, vt promiffam beatitudinem adipifcantur.

22. Particula &, vim habet exponentis id, quod per metaphoram dictum erat.

23. *Sermo* hoc loco Græcè eft λόγος, inter alia verò fignificat rationem, tefte Auguftin. epift. 49. aliqui explicant hoc modo, de quo *nos loquimur*, fenfus tamen paraphrafis melius quadrat contextui, ita vt perinde fit ad quem eft nobis fermo, & cui fermone noftro reddemus rationem.

24. Epitheta illa Chrifti facerdotis noftri pofita funt ad oftendendum quanta antecellat dignitate, & facerdotem Aaron, & ducem Iefu Naue, vt in paraphrafi exprefsimus.

25. Pro *fimilitudine* Græcè eft καθ' ὁμοιότητα, hoc eft, in fimilitudinem, ac fi diceret, perinde atque nos.

26. Thronus gratiæ non eft terribilis, & formidabilis, fed placabilis.

27. Illud, in auxilio opportuno, in Græco eft, auxilium opportunum.

ARGVMENTVM
CAPITIS V.

DEfcribit officium Pontificis, & oftendit id munus Chrifto vere conuenire, vt exhor-

Digitized by Google

exhortetur Hebræos cum fiducia ad Deum accedere, sicut capite præcedenti dicere cœperat.

CAPVT V.

1 OMnis namque Pontifex ex
hominibus assumptus pro
hominibus cõstituitur in iis, quæ
sunt ad Deum, vt offerat dona, &
2 sacrificia pro peccatis, qui con-
dolere possit iis, qui ignorant, &
errant: quoniam & ipse circun-
3 datus est infirmitate: & propter-
ea debet, queadmodum pro po-
pulo, ita etiam & pro semetipso
4 offerre pro peccatis. Nec quis-
quam sumit sibi honorem: sed
qui vocatur à Deo, tanquam Aa-
5 ron. Sic & Christus non semet-
ipsum clarificauit, vt Pontifex
fieret; sed qui locutus est ad eum;
Filius meus es tu, ego hodie ge-
6 nui te. Quemadmodum & in alio
loco dicit: tu es sacerdos in æter-
num, secundum ordinem Mel-
7 chisedec. Qui in diebus carnis
suæ preces, supplicationesque ad
eum qui possit illum saluum fa-
cere à morte, cum clamore vali-
do, & lachrymis offerens, exaudi-
8 tus est pro sua reuerentia. Et qui-
dem cum esset filius Dei, didicit
ex iis quę passus est, obedientiam;
9 & consummatus, factus est om-
nibus obtemperantibus sibi, cau-
10 sa salutis ęternæ, appellatus à Deo
Pontifex iuxta ordinem Melchi-
sedec.

PARAPHRASIS.

HAbetis 1 itaque Pontificem, qui procliuis sit ad miserendum, vt accedatis ad thronum gratiæ intercessione illius suffulti. 2 Nam omnis Pontifex ex numero hominum assumptus eiusdem naturæ cum ceteris, constituitur in commodum eorum in illis rebus, quæ inter Deum & hominem aguntur; nempe, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis populi; qui natura propensus sit ad miserendum his, qui ex ignorantia, & errore ducti peccant, eo quod & ipse natura sua obnoxius sit infirmitati, & imbecillitati; ac proinde debet tam pro suis, quam pro peccatis populi orare, & sacrificia Deo offerre. Porro nemo secundum legem sua autoritate sibi vindicat Pontificalem honorem, sed qui à Deo eligitur sicut Aaron: 3 eodem quoque modo Christus non per gloriam Pontificatum ambiuit, sed æternus pater, qui locutus ad eum Psalm. 2. dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Et in Psal.* 109. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, *clarificauit eum, & ad gloriam Pontificatus vocauit, 4 qui in diebus vitæ suæ mortalis, & passibilis,*

11 sedec. De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti
12 estis ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non
13 solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim
14 est. Perfectorum autem est solidus cibus: eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

5 *cum clamore ex ingenti desiderio profecto, fundens preces, & supplicationes ad Deum patrem,* 6 *qui posset ipsum à morte liberare,* 7 *propter reuerentiam, qua erga ipsum in vita sua pijssimus fuit* 8 *exauditus ab eo est;* 9 *& quidem quamuis esset filius Dei secundum Deitatem suam impaßibilis, ex his tamen, quæ passus est in humanitate assumpta, experimẽto didicit exercere obedientiam, non solum in cæteris, quæ iussu patris fecit, sed etiam in perferendis pro hominum genere laboribus, & per paßiones, & afflictiones,* 10 *consummatus, factus est* 11 *omnibus, qui obtẽperant Euangelio ipsius, causa, & auctor salutis æternæ, vere dictus à Deo in Ps. 109. Pontifex iuxta ordinem* 12 *Melchisedec; de quo habeo multa quæ dicam ardua, & copiosa, &* 13 *difficilia interpretatu, eo quod inepti estis ad audiendum, & percipiendum ea. Nam cum propter multos annos qui elapsi sunt, ex quo professi estis religionem Christianam, deberetis esse aliorum Doctores, qui hæc mysteria alios doceretis, rursum opus habetis, vt prima rudimenta Christianæ fidei vobis tradantur, & facti estis veluti paruuli, qui lacte humilis sermonis de minimis Christi mysterijs nutriamini, non solido cibo altioris doctrinæ. Nam qui in religione Christiana est instar paruuli, qui lacte solum nutriri debet, incapax est perfectionis doctrinæ Euangelicæ, quæ est doctrina iustitiæ, eo quod paruulus, & imperfectus sit, perfectorum autem est solidus cibus, qui ex consuetudine, & habitu exercitatione aßidua comparato promptam habent intelligentiam ad discernendum bonum & malum.*

ANNOTATIONES.

1. Totum Numerum primum suppleuimus propter cõtextum, quia causalis, *namque*, quæ ponitur initio capitis, refertur ad id, quod dictum erat capite præcedenti de Christo, nempe non esse Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.

2. Opti-

Digitized by Google

2. Optimam reddit rationem eius, quod diximus, & incipit probare Christum esse Pontificem, qui condolere posit; id autem probat ex aliis, quatuor autem dicit de quouis sacerdote. Primo vt sit homo. Secundo, vt sit constitutus in commodum aliorum offerendo pro illis. Tertio vt procliuis sit natura ad miserendum. Quarto quod eligatur ab alio, & ipse non se ingerat tali muneri; in illo autem tertio membro comprehendit, vt pro se, sicut pro populo offerat; hæc autem quatuor inuerso ordine Christo accommodat, excepto illo, quod pro se offerat, sicut pro populo.

3. Incipit illa quatuor Christo accommodare, & primo ostendit fuisse ab alio electum in Sacerdotem.

4. Ostendit in Christo secundum illud, quod dixerat de aliis Sacerdotibus, nempe, vt commodo aliorum prospiciat.

5. Clamor validus non denotat tantum exaltationem vocis, sed ingens etiam desiderium. Porro alta voce clamasse Christum paulò antequam expiraret, constat: nam Matth. 27. dicitur: *Clamauit Iesus voce magna, dicens, Deus Deus meus, quare me dereliquisti.* Et paulo infrà: *Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum*: de hoc cap. late legimus 3. part. disp. 5. 55. 81. 83. & 84.

6. Quod ait, *ad eum, qui posset illum saluum facere*, denotat pro se etiam orasse, quanquam pro se non obtulit sacrificium, & in hoc quod est pro se orare, comparat Christum ceteris Sacerdotibus, vt inde probet ipsum propensum esse ad miserendum.

7. Per reuerentiam quidam intelligunt, qua ipse dignus erat, vt quis eum reuereatur, alij quam ipse erga patrem suum Deum habuit.

8. Christi oratio, etiam quã in horto pro se fecit, postulans, vt transiret ab eo calix, exaudita est à Deo: quia id quod postulauit, eo modo, quo id postulauit, obtinuit, addidit enim, *Verumtamen non sicut ego volo, &c.* Matth. 26. de quo vide quæ diximus 3. part. disp. 82. cap. 5.

9. Hic ostendit de Christo tertium, quod de aliis Sacerdotibus dixerat, nempe procliuem eum esse natura ex compassione ad miserendum, quia quamuis esset Deus, & secundum Deitatem non posit aliquid pati, tamen secundum humanitatem passibilem multa passus est. Primum autem quod de aliis Sacerdotibus dixerat, nempe eos homines esse, & ex hominibus assumptos ad hoc munus, ostendit simul Paulus à num. 4.

10. *Consummatum*, aliqui interpretantur immolatum, ego vero existimo, consummatum, hoc loco idem esse, quod perfectum, vt sensus sit, Christum per passiones perfectum fuisse in autorem salutis: sicut in secundo capite etiam diximus autorem salutis per pasiones fuisse consummatum.

11. Quo pacto hoc loco non probetur esse ex nobis initium aliquod nostræ salutis, diximus 1. part. disp. 91.

12. In quo consistat sacerdotium secundum ordinem Melchisedec, videbimus cap. 7. & latè ostendimus 3. part. disp. 86.

13. Quidam codices Latini legebant, interpretabilis ad dicendum, emendatus autem, & Complutensis habet ininterpretabilis. Græcè est δυσερμήνευτον, prior autem lectio ex librariorum incuria irrepsisse videtur. Idem putant aliqui accidisse ad Roman. 11. cum ait Paulus, *& inuestigabiles viæ eius*, pro eo quod est, ininuestigabiles, falluntur tamen, neque codex Complutensis Latinus, neque vulgatus Sixti emendatus habet, ininuestigabilis, sed inuestigabiles, pro eo quod est non vestigabiles; nam *in* composita cum voce vestigabiles, negatiue accipi potuit à nostro vulgato, quamuis non semper ita accipiatur; in nomine autem, interpretabilis, non potest accipi negatiue, quia in eo non est præpositio *in*.

ARGVMENTVM
CAPITIS VI.

ANtequam à capit. 7. vsque ad 10. explicet Paulus dignitatem sacerdotij Christi secundum ordinem Melchisedec; occasione eius, quod dixerat in fine præcedentis capitis Hebræis; nimirum eos esse ineptos ad audiendam sublimem doctrinam, & cum iam deberent esse aliorum Doctores, adhuc eos versari in rudimentis Christianæ religionis, exhortatur eos, vt ad perfectiorem diciplinam euadere conentur. Demum ostendens bonam, pro illis se habere confidentiam propter bona opera ab ipsis erga fideles, erigit eos in spem, vt fide, &

patienti

patienti perseuerantia consequantur hæreditatem fideli promißione reddendam, sicut Abrahamus pater noster eam consecutus est.

CAPVT VI.

1 QVapropter intermittentes
inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur,
non rursum iacientes fundamẽ-
tũ pœnitentiæ ab operibus mor-
2 tuis, & fidei ad Deum, Baptisma-
tum doctrinę, impositionis quo-
que manuum, ac resurrectionis
3 mortuorum, & iudicij æterni. Et
hoc faciemus, si quidem permi-
4 serit Deus: impossibile enim est
eos qui semel sunt illuminati, gu-
stauerunt etiam donum cœleste,
5 & participes facti sunt Spiritus
sancti, gustauerunt nihilominus
bonum Dei verbum, virtutésque
seculi venturi, & prolapsi sunt:
6 Rursus renouari ad pœnitẽtiam,
rursum crucifigẽtes sibimetipsis
filium Dei, & ostentui habentes.
7 Terra enim sæpe venientem su-
per se bibens imbrem, & germi-
nans herbam opportunam illis à
quibus colitur, accipit benedicti-
8 onem à Deo. Proferens autem
spinas ac tribulos, reproba est, &
maledicto proxima, cuius con-
9 summatio in combustionẽ. Con-
fidimus autem de vobis dilectis-
simi, meliora, & viciniora saluti,
10 tametsi ita loquimur. Non enim
iniu-

PARAPHRASIS.

PErfectorum itaque est solidus cibus doctrinæ, vt cap. præcedenti dixi 1 ideoq; omißis primis fidei rudimentis ad altioris doctrinæ eruditionem contendamus, 2 neque in primis rudimentis detineamur, quæ catechumenis ante Baptismum proponuntur; nempe de pœnitentia, quam agere debent homines ab operibus mortuis peccatorum, de fide, qua debent ad Deum accedere, de 3 Sacramento Baptismi, 4 de Sacramento Confirmationis, quod per impositionem manuum confertur baptizatis, & de Resurrectione corporum & de iudicio, 5 quo Christus laturus est æternã sententiam in bonos, & malos. Nos verò ex parte nostra id diligenter præstabimus nempe altioris doctrinæ documenta vobis præbendo si Dominus permiserit: dixi autem 6 si Dominus permiserit, 7 eo quod postquam lapsi estis in peccata, rudiores effecti estis ad percipiendam altiorem doctrinam. 8 Difficile 9 autem puto eos, qui semel illuminati sunt, & copiosa Spiritus sancti dona receperunt, si prolabantur in peccata, quibus iterum in se ipsis videantur crucifigere Dominum, & ludibrio ipsum exponere; sicut vos post tot charis-

mata

Digitized by Google

iniustus Deus, vt obliuiscatur o-
peris vestri, & dilectionis quam
ostendistis in nomine ipsius, qui
ministratis Sanctis, & ministra-
11 stis. Cupimus autem vnumquen-
que vestrum eandem ostentare
solicitudinem ad expletionem
12 spei vsq; in finem: vt non segnes
efficiamini, verùm imitatores
eorum qui fide, & patientia here-
13 ditabunt promissiones. Abrahæ
namque promittens Deus, quo-
niam neminem habuit per quem
iuraret maiorem, iurauit per se-
14 metipsum, dicẽs: nisi benedicens
benedicam te, & multiplicans
15 multiplicabo te. Et sic longani-
miter ferens adeptus est repro-
16 missionem. Homines enim per
maiorem se iurant: & omnis con-
trouersiæ eorum finis ad confir-
17 mationem, est iuramentum. In
quo abundantius volens Deus
ostendere pollicitationis heredi-
bus immobilitatem consilij sui,
18 interposuit iusiurandum: vt per
duas res immobiles, quibus im-
possibile est mentiri Deum, for-
tissimum solatium habeamus, qui
confugimus ad tenendam pro-
19 positam spem. Quam sicut anco-
ram habemus animæ tutam ac
firmam, & incedentem vsque ad
20 interiora velaminis, vbi præcur-
sor pro nobis introiit Iesus, se-
cundum ordinem Melchisedec
Pontifex factus in æternum.

*mata lapsi estis, rursus in Dei gratiam
per pœnitentiam redire;* 10 *quo vsq;
autem redeant, rudiores sunt ad al-
tioris eruditionis doctrinam intelli-
gendam; nam sicut terræ, quæ cœlesti
pluuia sæpius irrigata herbam bo-
nam suis cultoribus profert,* 11 *cul-
tores eius eam à Deo benedictam vo-
cant; contra verò, quæ tribulos, &
spinas generat, agricolis reprobata
est, atq; propinqua, vt si insterilita-
te pergat, fructus eius,* 12 *qui ipsius
consummatio sunt, igne comburan-
tur; ita etiam, qui post copiosam do-
norum, ac gratiarum pluuiam, qua
eorum animæ irrigata, & impingua-
ta est, non fructum bonorum operum,
sed spinas peccati proferunt, proximi
sunt maledicto, & reprobationi, ne
iterum pœnitentia renouentur. Cete-
rum ego meliorem spem de vobis ha-
beo, & propinquiores vos esse saluti,
quam maledicto, & reprobationi
credo, (quamuis ita loquar:) non e-
nim est iniustus, & infidelis Deus, qui
promisit misericordibus misericor-
diam, vt obliuioni tradat opera ve-
stra misericordiæ, & dilectionis, quæ
in nomine ipsius fidelibus suis præsti-
tistis, & præstatis. Cupio autem vt
vnusquisq; vestrum constanter idem
studium, & eandem diligentiam ad-
hibeat circa opera dilectionis, & mi-
sericordiæ* 13 *ad plenam spei certitu-
dinem* 14 *vsque in finem vitæ, ne se-
gnes efficiamini in hoc studio, sed po-
tius imitemini eos, qui* 15 *fide, &* 16
per-

Digitized by Google

perſeuerantia in bono hæredes erunt promiſſionum. Exemplo nobis ſit Abraham, cui promiſit Deus ſe plene benedicturum ipſum, & in ſemine ſuo omnes gentes; cumque nullum haberet Deus maiorem ſe, per quem iuraret, per ſemetipſum iurauit, 17 ſe fideliter hanc promiſſionem completurum; & ipſe Abraham ſic fretus tali promiſſione, & per 18 longanimitatem perſeuerans adeptus eſt promiſſionem. Dixi autem Deum, cum non haberet maiorem ſe, per ſe ipſum iuraſſe: homines enim aliquem ſe maiorem in teſtem adducunt, & ſi quid controuerſiæ fuerit apud eos, finitur, & ſoluitur, per iuramẽtum altera parte controuerſiæ 19 confirmata: in negotio verò promiſſionis volens Deus præclare oſtendere iis, qui heredes futuri ſunt, firmitatem, & fidelitatem verbi, & promiſſionis ſuæ, iuramentum interpoſuit, vt per duas res immutabiles, nempe promiſſionem, & iuramentum; per quas impoſſibile eſt Deum 20 fallere aliquem non ſeruata promiſſione, ingenti ſolatio recreemur nos, qui relicto mundo, & abrenunciato Satana per baptiſmum confugimus ad 21 obtinendam 22 vitam æternam, cuius ſpem habemus ſicut ancoram animæ firmam, ac tutam nauigationis noſtræ in tempeſtatibus huius maris, qua quidem ſpe pertingimus, vſque 23 ſecreta regni cœlorum, quæ ſunt veluti ea, quæ in templo Salomonis erant intra velum, quæ erant ſancta ſanctorum, 24 quo introiuit Ieſus Chriſtus præcurſor noſter, factus Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.

ANNOTATIONES.

1. Particula *propter*, refertur ad id quod dixerat præcedenti capite, nempe ſolidum cibum altioris doctrinæ eſſe perfectorum, ad quam exhortatur Hebræos.

2. Quod ait, *Non rurſus iacientes, &c.* non refertur ad mores, & vitam ipſorum, ad quam eos exhortetur, quaſi dicat Paulus; non de innouanda vita per pœnitentiam vos moneo, ſed refertur ad doctrinam de rudimentis fidei Chriſtianæ, vt in paraphraſi; quibus relictis exhortatur Hebræos ad doctrinam altiorem, id quod indicant ſequentia verba *Baptiſmatum doctrina.*

3. Quod Paulus dicat, baptiſmatum, in plurali denotat tria baptiſmata, fluminis, videlicet, flaminis, & ſanguinis.

4. Impoſitio manus hoc loco eſt periphraſis Sacramenti Confirmationis.

5. Æternum iudicium appellat propter æternam ſententiam, quam in eo Chriſtus laturus eſt.

6. Addidit limitationem, *Si Dominus permiſerit,* propter difficultatem, quam

quam in ipsis ob ipsorum ruditatem ex peccato contractam sentiebat: vt autem clarius constaret contextus Pauli repetiuimus illud, *Si Dominus permiserit*.

7. Totum num. 7. suppleuimus, continet enim rationem superioris contentam in illis verbis, *Impossibile enim est, &c.*

8. *Impossibile*, aliqui hoc loco putant idem esse, quod impossibile, *Renouari autem per pœnitentiam*, idem esse censent, quod per Baptismum. Hunc tamen sensum contextui non quadrare conuicimus 1. parte disput. 95. cap. 1. & ideo diximus impossibile capiendum esse pro difficili, & renouationem per pœnitentiam pro iustificatione à peccatis post Baptismum, vt in paraphrasi, quem sensum tradit Anselmus. Quod autem dicit, *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes*, perinde est ac si dicat; homines per noua peccata iterũ in se Christum crucifigere, siquidem ob ipsorum peccata mortuus est; & ostentui habere, hoc est, ludibrio exponere, quod Hispane dicitur, *sacar a la verguença*.

9. Causalem *enim* conuertimus in *autem*, quia causam, quam implicite denotabat, expressimus nos antea.

10. Totum num. 10. suppleuimus, cuius sententia colligitur ex verbis Pauli præcedentibus.

11. Ideo, inquit, terram, quæ fructum profert, accipere à Deo benedictionem, non quia Deus ipse illi benedictionem semper largitur, sed quia cultores, & domini illius eam benedictam à Deo appellant, & ideo vulgo dicitur à Deo benedicta.

12. Pro expletione spei, Græce est nomen πληροφορία, quod denotat certam fidem ex certissimis argumentis deductam; cumque spes ex fide oriatur, recte vertit noster vulgatus ad expletionem spei, hoc est ad plenam certitudinem spei; tunc enim plena est spes, cum plena est fides de eo quod speratur.

13. *Vsque in finem*. Erasmus conuertit vsque ad perfectionem; verum cum Paulus hoc loco cupiat Hebræorum perseuerantiam, potius illam denotat vsque in finem vitæ.

14. Fides non tantum est initium iustificationis primæ, sed etiam secundæ vsque in finem vitæ.

15. Patientia in Græco est μακροθυμία, denotat autem longanimitatem, qua in malis perferendis perseueramus; & ideo existimo pro perseuerantia vsurpari ab Apostolo, quæ necessaria est ad consequendam hereditatem.

16. Iuramentum hoc habetur Genes. 22. firmum autem esse expressit Paulus illis verbis, *Nisi benedicens benedicam, &c.* est autem phrasis Hebraica, & participium illud additum verbo, denotat plenam, & abundantem

dantem benedictionem; iuramentum autem refertur Genes. 22. hoc modo, *Per memetipsum iuraui, &c.* vbi præteritum pro præsenti ponitur.

17. Pro *longanimiter ferens*, in Græco est μακροθυμήσας, hoc est, cum fuisset longanimis; capitur autem pro perseuerantia, quæ longanimitate comparatur, sicut etiam μακροθυμία, capitur num. 15. pro perseuerantia.

18. Ad confirmationem intelligitur alterius partis; adhibito enim iuramento altera pars manet confirmata.

19. Mentiri hoc loco, idem est, quod fallere Deum, & decipere alios non implendo promissionem.

20. Pro *tenendam*, Græce est κρατῆσαι, verbum autem κρατέω, non solùm significat tenere, sed abstinere, quare *tenendam*, hoc loco non denotat iam semel adeptam hereditatem conseruandam, sed obtinendam hereditatem.

21. Spes, hoc loco duo denotat, & rem quam speramus, quæ est vita æterna, iuxta illud ad Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes*, & desiderium quo speramus: de spe priori modo dicit Paulus, obtinendam esse à nobis; de spe posteriori modo dicit infra, *incedentem vsque ad interiora*: nam vita æterna, quę est spes priori modo non dicitur introire vsque ad interiora, sed desiderium nostrum quo speramus.

22. Alludit ad interiora templi Salomonis, quibus comparat regnum cœlorum, quod speramus.

23. Hic eo redit vnde digressus fuerat, nempe ad Christum sacerdotem, vt dignitatem sacerdotis eius, qui pro nobis intercedit, prosequatur.

ARGVMENTVM
CAPITIS VII.

PRosequitur Paulus, quod in fine capitis præcedentis proposuerat, nempe Christum, verum esse sacerdotem, nō secundum ordinem Leuiticum, sed secundum ordinē Melchisedec, ac proinde Leuiticū sacerdotium cum suo veteri testamento abrogatum fuisse.

CAPVT VII.

1 HIc enim Melchisedec, Rex
Salem, sacerdos Dei summi,
qui obuiauit Abrahæ regresso à
cæde regum, & benedixit ei: cui &
2 decimas omnium diuisit Abra-
ham: primum quidem qui inter-
pretatur, Rex iustitiæ: deinde au-
3 tem & Rex Salem, quod est Rex
pacis sine patre, sine matre, sine
genealogia, neque initium die-
rum, neque finem vitæ habens;
assimilatus autem filio Dei, ma-
4 net sacerdos in perpetuum. In-
tuemini autem quantus sit hic,
cui & decimas dedit de præcipuis
5 Abraham Patriarcha. Et quidem
de filiis Leui sacerdotium acci-
pientes, mandatum habent deci-
mas sumere à populo secundum
legem, id est à fratribus suis: quã-
quam & ipsi exierint de lumbis
6 Abrahæ. Cuius autem generatio
non annumeratur in eis, decimas
sumpsit ab Abraham, & hunc qui
habebat repromissiones benedi-
7 xit. Sine vlla autem contradictio-
ne, quod minus est, à meliore be-
8 nedicitur. Et hic quidem, deci-
mas morientes homines accipi-
unt: ibi autem contestatur, quia
9 viuit. Et (vt ita dictum sit) per A-
braham: & Leui qui decimas ac-
10 cipit decimatus est. Adhuc enim
in lumbis patris erat, quando ob-
11 uiauit ei Melchisedec. Si ergo cõ-
summatio per sacerdotium Le-
uiticum erat (populus enim sub
ipso

PARAPHRASIS.

*DIxi Christum factum fuisse sa-
cerdotem in æternum secundum
ordinem Melchisedec: hic 1 enim 2
Melchisedec sacerdos Dei summi, qui
occurrit Abrahæ reuertenti à prælio,
in quo occidit quinque reges, & cui
decimas omnium obtulit Abraham;
quique primò quidem, si nomen in-
terpreteris, dicitur Rex iustitiæ, se-
cundo si aliud nomen illius attendas,
nempe Rex Salem idem est, atque Rex
pacis. Tertio 3 de cuius patre, matre,
& 4 posteritate nulla in Scriptura
mentio fit. Quarto de quo non dici-
tur, an initium, aut finem vitæ ha-
buerit, in his omnibus typum gerens
Christi filij Dei, 5 manere videtur sa-
cerdos in perpetuum. 6 Gerit autem
typum filij Dei, 7 nam & Christus
sacerdos simul & Rex iustitiæ, & pa-
cis fuit; & sicut in Scriptura non di-
citur Melchisedec habuisse patrem,
& ab eo per successionem habuisse sa-
cerdotium secundum legem, & ita
nihil de initio vitæ ipsius narratur,
neque habuisse filios, & ita neque fi-
nisse vitam & morte prohibitum fi-
liis suis sacerdotium more Leuitico
reliquisse; ac proinde videtur sacer-
dos in æternum: eodem pacto Christus
neque à patre per successionem acci-
piens sacerdotium, sed 8 suapte na-
tura illud habens, 9 neq; morte pro-
hibitus permanere, vt idcirco posteris
sacerdotium suum relinqueret, quia
quod semel assumpsit nunquam di-
misit,*

Digitized by Google

ipso legem accepit) quid adhuc
necessarium fuit secundum or-
dinem Melchisedec, alium surge-
re sacerdotem, & non secundum
12 ordinem Aaron dici? Translato
enim sacerdotio, necesse est, vt &
13 legis translatio fiat. In quo enim
hæc dicuntur, de alia tribu est,
de qua nullus altario præsto fuit.
14 Manifestum est enim quòd ex Iu-
da ortus sit Dominus noster: in
qua tribu nihil de sacerdotibus
15 Moyses locut° est. Et amplius ad-
huc manifestum est: si secundum
similitudinem Melchisedec ex-
16 surgat alius sacerdos. Qui non se-
cundum legem mandati carnalis
factus est, sed secundum virtutem
17 vitæ insolubilis. Côtestatur enim
quoniam tu es sacerdos in æter-
num, secundum ordinem Mel-
18 chisedec. Reprobatio quidem fit
præcedentis mandati: propter in-
firmitatem eius, & inutilitatem.
19 Nihil enim ad perfectum addu-
xit lex; introductio verò melioris
spei, per quam proximamus ad
20 Deum. Et quantum est non sine
iureiurando (alij quidem, sine iu-
reiurando sacerdotes facti sunt:
21 hic autem cum iureiurando per
eum, qui dixit ad illum: Iurauit
Dominus, & nô pœnitebit eum:
22 tu es sacerdos in æternû.) In tan-
tum melioris testamenti sponsor
23 factus est Iesus: & alij quidem plu-
res facti sunt sacerdotes, idcirco
quòd morte prohiberentur per-
mane-

misit, manet sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, hoc est prout per sacerdotium Melchisedec fuerat significatus. 10 *Considerate autem attentis animis, quanto maioris fuerit dignitatis hic Melchisedec, cuiq; decimas obtulit Abraham Patriarcha, quam ipse Abraham, ex quo omnes Leuitici sacerdotes originem trahunt, vt inde etiam intelligatis, quanto præstantius sit sacerdotium Christi significatum per sacerdotium Melchisedec, sacerdotio Leuitico: & quidem sacerdotes de filiis Leui ex mandato Dei in ea erât dignitate constituti, vt decimas acciperent secundum legem à reliquo populo Iudæorum, hoc est, à fratribus suis; quamuis & illi qui erant de reliquo populo eundem patrem cum Leuiticis sacerdotibus habuerint, nempe Abrahamum;* 11 *ac proinde Leuitici sacerdotes non omnino; sed aliquanto digniores fuerint reliquo populo;* 12 *Melchisedec autem cuius genus, & cognatio* 13 *ex fratribus non recensetur in Scriptura, decimas accepit ab Abrahamo, non vt à fratre, & ex hac parte dignior fuit sacerdotibus Leuiticis, eo quòd hi solum accipiunt à fratribus æqualibus sibi secûdum genus: Melchisedec autem ab Abrahamo, qui non erat frater eius, decimas accepit* 14 *deinde Melchisedec accipiens decimas benedixit hunc Abrahamum,* 15 *postquam iam habebat ille à Deo promissionem, quod in ipso*

 bene-

Digitized by Google

24 manere: hic autem eo quod ma-
neat in æternum, sempiternum
25 habet sacerdotium. Vnde & sal-
uare in perpetuum potest acce-
dentes per semetipsum ad Deum:
semper viuens ad interpellãdum
26 pro nobis. Talis enim decebat vt
nobis esset Pontifex sanctus, in-
nocens, impollutus, segregatus à
peccatoribus, & excelsior cœlis
factus: qui non habet necessita-
27 tem quotidie (quemadmodum
sacerdotes) prius pro suis delictis
hostias offerre, deinde pro popu-
li; hoc enim fecit semel, se offe-
28 rendo. Lex enim homines consti-
tuit sacerdotes infirmitatem ha-
bentes: sermo autem iurisiurandi
qui post legem est, Filium in æter-
num perfectum.

benedicendæ essent omnes Gentes. Citra 16 controuersiam autem est, vt qui minor est, à maiori benedictionem accipiat. 17 Deinde in sacerdotio Leuitico sacerdotes, qui decimas accipiunt, mortales homines sunt, quos tandem mori necesse est; at verò in sacerdotio Melchisedec Scriptura non meminit mortis ipsius Melchisedec, vt videatur finem vitæ non habuisse, & ita nec sacerdotium eius successione quadam ad posteros deriuasse, ergo nobilior fuit sacerdos Melchisedec sacerdotibus Leuiticis. Ad hæc dum Abraham decimas soluit sacerdoti Melchisedec, in ipso Abrahamo etiam ipse Leui, qui decimas accepit à fratribus suis (vt ita dicam) decimatus est: hoc est Leuitici sacerdotes decimas quodammodo persoluerunt sacerdoti Melchisedec, adhuc enim semen eorum genitale in lumbis Abrahæ erat, & ipsi semen Abrahæ futurum erant, quando Abrahamo occurrit Melchisedec: qui autem offert decimas, inferior est eo, qui eas accipit, 18 præstantior igitur sacerdos fuit Melchisedec, qui fuit figura Christi sacerdotis secundum ordinem ipsis Leuiticis sacerdotibus, ac proinde constat, Christum sacerdotem nostrum, significatum in præstantiori sacerdote, quam essent Leuiticis multo digniorem ipsis fuisse. 19 cuius etiam excellentia ex eo colligi potest; quia si vnum genus sacerdotis, & legis sufficiat ad salutem, & sanctificationē, non est necesse ad eundem effectum succedere aliud genus sacerdotis, & legis; si ergo per sacerdotium Leuiticum; & per legem ipsius consummatio sanctificationis nostræ fieri poterat (populus enim Iudaicus cum sacerdotio Leuitico legem propriam accepit) quid necesse fuit fieri alium sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, quem prædixit Dauid Psalm. 109 non esse ex tribu Aaron, de qua sumebantur sacerdotes? 20 atqui necesse fuit exsurgere alium sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, alioquin non prædixisset illum Dauid, neque vocasset ipsum secundum ordinem Melchisedec sed secundum ordinem Aaron, ergo prius sacerdotium, & lex ab eo lata non sufficiebant ad veram sanctificationem; transferri igitur debuit tale sacerdotium Leuiticum imper-

Digitized by Google

imperfectum in aliud secundum ordinem Melchisedec perfectum, & sufficiens
ad sanctificandum; ac proinde lex antiqua in legem nouam debuit commuta-
ri: 21 nam commutato sacerdotio minus perfecto in aliud perfectum, neces-
se fuit vt lex lata sub imperfecto sacerdotio in aliam legem latam sub perfe-
ctiori sacerdotio commutaretur. 22 Porro autem diuersum fuisse sacerdo-
tium Christi, in quod tanquam in melius Leuiticum commutatum fuit, patet:
23 nam is, de quo verba illa Psalm. 109. dicuntur. Tu es sacerdos in æter-
num secundum ordinem Melchisedec, de alia tribu, & diuersa à tribu
Leui, ex qua nullus desumebatur in sacerdotem, 24 qui staret in ministe-
rium altaris destinatus; siquidem manifestum est Christum Dominum ortum
fuisse de tribu Iuda, in qua tribu nullum sacerdotem Moyses aßignauit; atque
amplius etiam manifestum est, 25 esse diuersum sacerdotium Christi à sa-
cerdotio Leuitico, si verum sit, factum fuisse alium sacerdotem secundum si-
militudinem Melchisedec, non secundum legem mandati carnalis externa vn-
ctione, quæ consecrabat hominem per vitam solum mortalem; sed vt reuera
factum est, secundum virtutem immortalis vitæ interna vnctione vnionis
insolubilis cum verbo, qua maneat in æternum, testatur enim Scriptura
Psalm. 109. dicens: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem
Melchisedec. 26 Et quidem priori mandato, & legi veteri, quam dixi-
mus cum sacerdotio Leuitico fuisse in aliam meliorem commutatam, deroga-
tum fuit, propterea quod ex se infirma, & inutilis erat ad sanctificationem,
& purgationem peccatorum: nullus enim virtute legis à peccato emundari
potuit, & ad perfectum statum reuocari: Lex vero euangelica, & gratiæ in-
troducta est spem habens annexam meliorem; illa enim tribuit remißionem
peccatorum, per quam in nobis gignitur spes æternæ vitæ. 27 Et 28 qua-
tenus non sine iureiurando institutus est Christus sacerdos in æternum secun-
dum ordinem Melchisedec (alij siquidem sacerdotes Leuitici instituti sunt, hic
autem cum iuramento illius, qui dixit ad ipsum Psal. 109. Iurauit Domi-
nus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum.) 29 eatenus
melioris testamenti, & promißionis fideiussor factus est Iesus. 30 Patet et-
iam meliorem fideiussorem testamenti esse Iesum, quam sint Leuitici sacerdo-
tes; quia Leuitici facti sunt plures; idcirco, quod morte prohibiti permanere
non possent; 31 & ita cum vnus non posset permanere fideiussor antiquæ
legis pro ipso Deo, 32 qui apud Deum pro hominibus intercederet, sicut fide-
iussor apud debitorem pro soluenda sponsione intercedere solet; succeßione
quadam plures fiebant sacerdotes, qui personam fideiussoris sustinerent. Iesus
autem eo quod secundum legem vitæ insolubilis maneat in æternum, sempi-

Digitized by Google

ternum habet sacerdotium, vnde & æterna saluatione saluare nos potest semper viuens, 33 *ad interpellandum pro nobis, sicut fidelis fideiussor æternæ promißionis apud Deum, qui melioris spei autor præcipuus, & promissor, & debitor est; talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, qui esset æternæ promißionis fideiussor, nempe sanctus, innocens, impollutus vitæ sanctitate. & à peccatoribus omnino separatus, & ipsis* 34 *cælestibus spiritibus excelsior, & nobilior; cui non esset opus, quemadmodum alijs est sacerdotibus, prius pro suis delictis, deinde pro peccatis populi quotidie hostias offerre;* 35 *quia quod attinet ad nostram iustificationem vnico sacrificio sui ipsius satis, superque semel effecit, & consummauit. Ideo autem vno sacrificio id peragere non potuerunt Leuitici sacerdotes, sicut Christus effecit, quia lex Moysis homines infirmos, & peccatis obnoxios sacerdotes constituit; sermo autem diuinus cum iuramento coniunctus, qui multo post legem Moysis promulgatam factus est, nempe cum Psalm.* 109. *dictum est:* Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec; *ipsummet filium Dei in æternum perfectum sacerdotem pronunciauit.*

ANNOTATIONES.

1. Particula *Enim* quidam putant non esse causalem, eoquod non vident cuius causam reddere poßit. Miror tamen eos non attendisse extrema verba capitis præcedentis, quorum rationem incipit reddere Paulus in hoc capite; nempe quare Christus dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedec, quod vt clarius constaret, repetiuimus sententiam, quæ in illis extremis verbis continetur.

2. Oratio hæc est aspera & hians, eoquod vsque ad num. 5. sensus illius non compleatur; nam *Melchisedec* coniungi debet cum illo *manet sacerdos,* &c. quod est in num. 5 cetera verò interponuntur ad explicanda ea, quę huic sacerdoti peculiaria erant, ob quæ gerebat typum Christi Sacerdotis nostri.

3. Cum dicitur, *sine patre,* &c. non est ita intelligendum, quasi reuera non habuerit patrem, & matrem, aut posteros, sed quia nihil in Scriptura de his narratur. Idem de initio, & fine vitæ ipsius intellige, circa hoc verò lege quæ diximus 3. part. tom. 1. disp. 86. cap. 2.

4. Per genealogiam non intelligitur prosapia parentum ipsius, sed filiorum, nam de patre, & matre iam dixerat, id autem multum refert nosse ad explicandum ordinem sacerdotij Melchisedec, vt in paraphrasi, cui nullum sacerdotem successisse legimus, sicut neque Chri-

sto

Digitized by Google

sto successit, id quod 3. part. disp. 86. cap. 2. & 3. fusius prosecuti sumus.

5. Sicut illud, quod dictum est, de patre, & matre, non est intelligendum re ipsa, sed quia non legitur de illo habuisse patrem, & matrem, ita etiam illud *manet*, accipiendum est non re ipsa, sed quia non legimus alium Sacerdotem ei successisse secundum legem, sicut Aaroni succedebat.

6. Assimilari, hoc loco apud Paulum dicitur de figura, & typo, non autem de re significata per typum, cum tamen aliàs potius de re significata, quam de typo ipso dicatur, vt colligitur ex doctrina tradita à nobis 1. part. disp. 72. cap. 2.

7. Paulus proposuit figuram, & typum sacerdotij Christi in Melchisedec, tamen non applicuit per singula; nos autem claritatis gratia singula singulis accommodauimus; controuersiam autem quare dicatur Christus secundum ordinem Melchisedec, & an ratione oblationis panis, & vini, exactè tractauimus 3. part. disput. 86. hic autem eam examinare instituti nostri ratio non patitur, qui solum contextum, & sensum Pauli, quoad fieri potest, explanare contendimus.

8. Quo pacto Christus suapte natura sit sacerdos, & non vnctione externa secundum legem, fusius ostendimus 3. part. disp. 85.

9. Quomodo ceteri Sacerdotes morte prohibiti manere reliquerint sacerdotium filiis suis, Christus autem sit Sacerdos in æternum sine successore, tractat idem Apostolus infra in hoc capite.

10. Hinc incipit ostendere dignius fuisse sacerdotium Melchisedec, quod erat figura futuri sacerdotij, quam Sacerdotium Leuiticum, vt inde colligat multo dignius fuisse Sacerdotium Christi, quod per Sacerdotium Melchisedec fuerat figuratum.

11. Numerum vndecimum suppleuimus: continet autem conclusionem eius, quod præmiserat ad ponderandam dignitatem Sacerdotii Leuitici.

12. Ex illo capite proposito ostendit Sacerdotium Melchisedec, multo dignius fuisse Sacerdotio Leuitico, vt patet in paraphrasi.

13. Illud *annumeratur in eis*, communiter referri solet ad illud *de filiis Leui*, vt sit sensus, Melchisedec non fuisse de Leuitarum genere: verum hoc modo vix intelligere possum vim huius rationis, qua præferre contendit Apostolus Sacerdotium Melchisedec Leuitico. Ego igitur existimo illud *in eis* referri ad fratres, quos Scriptura non tribuit Melchisedec, quos tamen tribuit Leuitis; dignitas autem attenditur in hoc, vt de Melchisedec talis mentio fiat in Scriptura, vt sine fratribus esse videatur, & ita ab omnibus aliis cuiusque generis decimas acceperit, quæ dignitas tantum est secundum vmbram, sicut & illa, quæ

quæ ponitur num. 17. in ea tamen veritas dignitatis Christi figurabatur.
14. Hæc est secunda ratio, qua ostendit digniorem fuisse Sacerdotem Melchisedec Sacerdotibus Leuiticis.
15. Abrahamus benedictionem accepit à Melchisedec, Genes. 14. iam vero Genes. 12. acceperat à Deo repromissionem, quod in ipso benedicendæ essent omnes gentes.
16. Pro controuersia Græcè est *ἀντιλογίας*, quam vocem in hoc capite interpretatur vulgatus contradictionem, in præcedenti autem interpretatus est, controuersiam.
17. Hæc est tertia ratio, qua ostendit digniorem Sacerdotem fuisse Melchisedec Leuiticis Sacerdotibus: dignitas autem non est in re ipsa, quasi verè mortuus non fuerit Melchisedec, sed secundum apparentiam, quia Scriptura non narrat mortem obiisse; hæc autem vmbra solum est immortalitatis, qua figurabatur vera in Christo vnio inseparabilis, & perpetuum Sacerdotium illius in vita immortali permansurum.
18. In hoc numero, quem suppleuimus, continetur conclusio prædictarum rationum, quæ ad hoc proximè tendunt, vt ostendant Melchisedec præstantiorem Sacerdotem fuisse Leuiticis, ac proinde etiam Christum; probauit igitur hactenus dignitatem figurati Christi ex figuræ dignitate.
19. Hæc est noua ratio ad probandum Christum digniorem fuisse Sacerdotem Leuiticis; suppleuimus autem pro discursu Pauli omnia illius numeri, vsque ad illa verba, *si ergo*, quia alias illatiua illa particula *ergo*, non videtur connexionem habere cum præcedentibus.
20. Omnia illius numeri suppleuimus pro discursu Pauli, & vt illa causalis *enim*, quæ est in numero sequenti veram redderet causam.
21. Aliqui putant particulam *enim*, poni pro *autem*, eo quod non videant cuius rationem reddere possit. Verum quamuis Paulus aliquando vtatur particula *γὰρ*, Latinè *enim* pro particula *δὲ*, Latinè *autem*; tamen, cum hæc particula verè potest reddere sensum causalem addito aliquo iuxta ratiocinationem Pauli, & ipsius textus, multo melius est eam in sensu causali interpretari.
22. Totum hunc numerum suppleuimus in paraphrasi, vt causalis *enim*, numeri sequentis rectè constaret in sua vi cum reliquis.
23. Causalis *enim*, in hoc loco vere reddit sensum causalem non eius, quod in textu præcesit, sed eius quod suppleuimus: id autem implicitum erat in ipso textu; nam cum dicat Paulus vnum Sacerdotium in aliud fuisse translatum, consequenter sentit diuersum fuisse illud, in quod prius commutatum fuit.

24. Illud

24. Illud *præstò esse*, idem est quod constanter stare more ministrantium, vt cap. 10. num. 13. videbimus.

25. Hæc ratio non affertur ad probandum Christum fuisse excellentiorem Sacerdotem Leuiticis, sed ad probandum idem, quod antea probauerat, nempe diuersum esse Sacerdotium Christi à Sacerdotio Leuitico.

26. Probat qua de causa prior lex fuerit abrogata, & commutata, non quod non profuisset seruare illam, sicut quæcunque obseruatio legis, & opus virtutis: sed quod inutilis esset ad sanctificationem, hoc est, in ea non fuerit pretium nostræ redemptionis, sicut notaui, tom. 1. 3. part. disp. 84. cap. 1. & disp. 85. cap. 2.

27. Ibi non probat Christum fuisse excellentiorem Sacerdotem Leuiticis, sed cum ostenderit antiquam legem in nouam, & meliorem fuisse cōmutatam, & Christum fuisse Sacerdotem nouæ, incipit ostendere Christum fuisse factum fideiussorem melioris promissionis, & legis, non quia in antiqua lege non contineneur promissiones æternæ, sed quia lex illa non poterat tanquam ex se implendum id promittere, lex autem noua, quæ est gratiæ, ita promittit æternam illam vitam, vt ex se illam etiam tribuat, Christus autem factus est sponsor, seu fideiussor talis promissionis, quia virtute meritorum eius confert nobis Deus gratiam suam; rationes autem, quæ sequuntur, ad hoc tendunt, vt ostendant Christum fuisse fideiussorem melioris legis, & promissionis.

28. Particula *quantum est*, posita est pro eo, quod dici solet *in quantum* Græcè καθ' ὅσον, quod attice perinde est, atque quatenus.

29. Pro *in tantum*, Græcè est κατὰ τοσοῦτον, quod nos exposuimus *eatenus*, vt responderet aduerbio *quatenus* posito in numero præcedenti, eadem autem significatio vtriusque est.

30. Hæc est secunda ratio non ad probandum Christum fuisse meliorem, & digniorem sacerdotem: sed sponsorem, & fideiussorem melioris promissionis.

31. Quomodo multi sacerdotes Euangelici, qui Christo viuente nomine ipsius offerunt, non dicantur in sacerdotio illi succedere ostendimus contra Lutherum 3. tom. 3. part. in tractatu de sacrificio Missæ, quia succedere solum est in locum mortui, aut depositi, aut translati subrogari.

32. Cum supradixisset Christum esse sponsorem, hoc est, fideiussorem melioris promissionis, eodem modo concedere debet Leuiticos sacerdotes fuisse etiam sponsores veteris testamenti; cumque vnus manere non posset, lege statutum à Deo est, vt alius cum eodem onere succederet; apud homines quidem filius, qui succedit patri, non succedit

Digitized by Google

cedit in fideiusſione,qua pro alio ſe obligauit, niſi res, quas à patre accepit,obligatæ maneant; neque enim lex humana poteſt ſucceſſorem ad hoc obligare; lex autem diuina ſtatuit,vt filij ſuccederent in munere ſacerdotali parentibus, & ita in obligatione fideiuſsionis; vt ſicut fideiuſſor ſollicitat animum debitoris ad ſoluendum, ſic etiam ſacerdotes intercedant apud Deum, vt compleat promiſſa ſua; multo autem melior ſponſor, & fideiuſſor eſt Chriſtus, quia idemmet ſemper manet ſacerdos.

33. Quo pacto Chriſtus interpellare dicatur ſemper pro nobis, non noua oratione,ſed antiqua, quæ ſemper manet in conſpectu Dei diximus 3. part. diſp. 82. cap. 4.

34. Per cœlos intelligit ſpiritus cœleſtes.

35. Cum dicit Paulus de Chriſto, hoc enim ſemel effecit, non debet ita intelligi,vt ſemel etiam pro ſe ipſo obtulerit ſacrificium, quia nunquam ipſi profuit mors ſua per modum ſacrificij, ſed per modum meriti,vt late ex mente S. Thom. explicaui 3. part. diſp. 84. cap. 2. ſed intelligitur de ſacrificio, quod ſemel pro nobis obtulit. Itaque negat quidem Paulus Chriſtum indiguiſſe quotidiano ſacrificio pro ſe,&pro populo ſicut ſacerdotes Leuitici indigebant, ſolum autem affirmat ſemel obtuliſſe pro aliis,non autem pro ſe.

ARGVMENTVM
CAPITIS VIII.

DIgnitatem Sacerdotij Chriſti in hoc capite commendat Paulus ex miniſterio, & templo, cui miniſtrat,eo quod alij fuerunt ſacerdotes templi corruptibilis, quod conſtruxit homo; Chriſtus verò templi cœleſtis,quod ſolus Deus formauit,in quod quidem intrans ſedit ad dexteram magnitudinis Dei in excelſis.

CAP.

Capvt VIII.

1 CApitulum autem super ea,
quæ dicuntur: Talem habe-
mus Pontificem, qui consedit in
dextera sedis magnitudinis in
2 cœlis: sanctorũ minister, & taber-
naculi veri, quod fixit Deus, &
3 non homo. Omnis enim Ponti-
fex, ad offerendum munera, &
hostias constituitur: vnde neces-
se est & hunc habere aliquid quod
4 offerat. Si ergo esset super terram
nec esset sacerdos: cùm essent qui
offerrent secundum legem mu-
5 nera: Qui exemplari, & vmbræ
deseruiunt cœlestium: sicut re-
sponsum est Moysi, cum consum-
maret tabernaculum: vide, in-
quit; omnia facito secundum ex-
emplar quod tibi ostensum est in
6 monte. Nunc autem melius sor-
titus est ministerium, quanto &
melioris testamenti mediator est,
quod in melioribus repromissio-
7 nibus sancitum est. Nam si il-
lud prius culpa vacasset: non vti-
que secundi locus inquireretur.
8 Vituperans enim eos dicit, ecce
dies venient, dicit Dominus, &
consummabo super domum If-
rael, & super domum Iuda testa-
mentum nouum, non secun-
9 dum testamentum, quod feci pa-
tribus eorum, in die qua appre-
hendi manum eorũ, vt educerem
illos de terra Ægypti, quoniam
ipsi non permanserunt in testa-
mento meo: & ego neglexi eos,
dicit

PARAPHRASIS.

SVmma 1 autem eorum, quæ de sacerdotio Christi dicta sunt, huiusmodi est: Pontifex, quem habemus, & cuius intercessione nixi sperare debemus, is est, qui 2 consedit in dextera maiestatis Dei in cœlis, qui minister, & autor est veræ sanctitatis 3 in tabernaculo vero, quod Deus construxit, & tetendit, & non homo. 4 Quare & pro nobis offert, & ministrat: 5 omnis enim Pontifex ad offerendum Deo munera, & sacrificia pro populo constituitur. Quocirca oportet & hunc nostrum sacerdotem habere aliquod munus, aut hostiam, quam pro nobis offerat. Ipsum itaque esse constitutum ministrum tabernaculi cœlestis, quod fixit Deus, & non homo, inde constat; quia 6 si diceremus esse ministrum tabernaculi, quod est 7 super terram, nempe à Salomone constructi, non esset verè sacerdos, eo quod non ipsi, sed alij essent, quibus ex lege cõueniret offerre munera & hostias, nempe oriũdis ex genere Leuitico, qui deseruiunt templo materiali, quod est 8 signum, & vmbra cœlestis tabernaculi; id enim significauit Deus, quando Moysi consummanti iam tabernaculũ dixit Exo. 25. omnia facito 9 secundum prototypum, qui tibi ostensus est in monte 10 nam prototypus ille, vtpote à Deo in monte, & maiestate gloriæ ipsius exhibitus, figura etiam erat cœlestis taber-

10 dicit Dominus. Quia hoc est te-
stamentum quod disponam do-
mui Israel post dies illos, dicit
Dominus: dabo leges meas in
mentem eorum, & in corde eo-
rum superscribam eas: & ero eis
11 in Deum, & ipsi erunt mihi in po-
pulum, & non docebit vnusquis-
que proximũ suum, & vnusquis-
que fratrẽ suum, dicens: cogno-
sce Dominum: quoniam omnes
scient me à minore vsque ad ma-
12 iorem eorum: quia propitius ero
iniquitatibus eorum: & pecca-
torum eorum iam non memora-
13 bor. Dicendo autem nouum, ve-
terauit prius. Quod autem anti-
quatur, & senescit: prope interi-
tum est.

tabernaculi, & gloriæ. 11 *Nunc autem tempore legis euangelicæ, & gratiæ Christus Dominus tanto melius sortitus est ministerium, quanto melioris testamenti, nempe gratiæ mediator, & minister est,* 12 *quod melioribus promißionibus stabilitum est, & confirmatum. Ideo autem posterius hoc testamentum meliores habuit promißiones, quia potens non fuit vt culpam deleret hominum.* 13 *Nam si sub illo priori homines virtute eius à culpa emundarentur, necesse non fuisset posterius testamentum ordinatione diuina sanciri, quod melius esset, & vim haberet delendi peccata,* 14 *Deus autem promisit nouum aliud testamentum Hieremiæ 31. vbi exprobrans peccata Iudæorum, qui prioris testamenti leges non obseruabant, inquit, ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum, &c. vbi cum dixit nouum non solum aliud promisit, sed etiam denotauit prius illud aduentu noui,* 15 *antiquandum esse, quod autem* 16 *antiquandum est, senescit, & ad interitum vergit.* 17 *Ergo posterius testamentum meliores habuit promißiones.*

ANNOTATIONES.

1. Græce est κεφάλαιον, quod denotat summam, alij explicant præcipuum, illud autem, *super ea* Græcè est ἐπὶ τοῖς λεγομένοις ac si dicat, *ex dictis*, nam ἐπὶ, cum coniungitur datiuo, inter alia denotat idem, quod Latine *ex*.

2. Illud *consedit*, ita accipiendum est, non quasi Christus inceperit considere ad dexteram Dei postquam in cœlos ascendit, nam vt sępius diximus, ipsa vnione dicitur considere ad dexterã Dei, sed ita vt semper consederit, illud autem *in cælis*, vel appositum est, vt periphrasis diuinitatis, ad cuius dexteram sedit Christus, in hunc modum, *ad dexteram Dei, qui habitat in cælis*, vel ad denotandum, quomodo etiam nunc Christus habitet in cœlis secundum corpus.

3. Qui-

3. Quidam putant Christum dictum Sanctorum ministrum, quia beatis ministrat in cœlis, cum ipsi fruantur beatitudine, quam Christus illis promeruit iuxta parabolam Euangelij Lucę 12. *Et transiens ministrabit illis.* Alij per sancta intelligunt Sancta Sanctorum in cœlis, sicut erant in Templo materiali, melius tamen nos interpretati sumus ministrum sanctitatis, nam tanquam diuersa commemorat Paulus esse ministrum sanctorum, & esse ministrum tabernaculi cœlestis, in quo sunt verè Sancta Sanctorum.

4. Verba illius numeri addidimus, quorum sensum continet vox illa *minister*, quæ præcessit, qui enim ministrat in Templo pro aliquo ministrat, & offert, illis autem verbis additis rectè congruit causalis illa particula, quæ subsequitur.

5. Reddit causam ministerij Christi.

6. In illis *si ergo esset super terram*, suppleri debet *minister*, verbum autem *esset*, idem significat quod *diceretur esse*, iuxta illud ad Rom. 11. *Alioqui gratia non esset gratia*, hoc est quæ diceretur gratia, reuera non esset gratia.

7. Illud *super terram*, multi cum Græcis referunt ad ipsum Christum, vt sit sensus, si enim Christus adhuc maneret in terra, nec introiisset in tabernaculum cœleste, non esset sacerdos: alij referunt ad hostiam, vt Anselmus, neutro tamen modo contextus satis constat, ideò prædicta verba nos retulimus ad ministeriū, de quo paulò antea locutus fuerat Paulus, nō autem ad hostiam, de qua proximè sermo præcesserat, consonat autem hæc expositio cum antecedentibus vt constat, & cum sequentibus, sic enim vere probat Paulus Christum non fore Sacerdotem, si diceretur minister tabernaculi materialis, cum in eo solum possint esse Sacerdotes Leuitici generis, tum etiam quia templum Salomonis vocat vmbram cœlestis.

8. In Græco est ὑποδείγματι, pro eo quod vulgatus conuertit *exemplari*, porro vox Græca, & Latina significant interdum prototypum, cuius instar aliquid fit, tum etiam signum, seu figuram: & hoc loco pro signo accipitur, vt patet.

9. Vulgatus etiam hoc loco vsus est nomine exemplaris in alia significatione, nempe vt denotat primum exemplum, seu prototypum, cuius instar, aliquid fit, in Græco autem non est illa vox ὑπόδειγμα, sed vox τύπος, sicut etiam Actor. 7. vbi vulgatus transtulit, formam.

10. Aliqui putant Moysi in monte, non solum ostendisse formam tabernaculi materialis, sed etiam cœlestis, aperiens nimirum illi arcana cœlestia, & ideo ædificasse tabernaculum materiale, vt esset figura cœlestis tabernaculi, verum cum Moyses non viderit essentiam Dei, sed tantum splendorē lucis corporeæ, sub qua apparuit illi Deus, vt ostendimus 1. parte disput. 55. ideo dicendum est Moysem solum accepisse à

Digitized by Google

Domino formam,& prototypum templi materialis:addidimus autem verba num.10.vt ostenderemus vim testimonij, quod adducit Paulus ad comprobandum, id quod dixerat,nempe tabernaculum materiale solum fuisse vmbram cœlestis, cuius Christus minister est.

11. Particula *nunc*,non denotat tempus Christi postquam in cœlos ascendit,& introiuit in Sancta Sanctorum tabernaculi veri, nempe cœli, vt quidam volunt, sed tempus gratiæ, quod opponit tempori antiquæ legis,sub qua Leuitici Sacerdotes ministrabant,vt exponit Anselmus, quia toto tempore etiam mortalis vitæ sortitus est Christus melius illud ministerium.

12. Non ideo dicit nouum Testamentum habuisse meliores promissiones, quasi Lex vetus non promiserit ipsam obseruantibus vitam æternam; nam etiam Patribus antiquis promissio facta est vitæ æternæ, sed quia antiqua lex non poterat eam ex se ipsa promittere, cum ipsa non posset ex se præbere vires ad sui obseruationem,sed sola lex gratiæ illas subministrauerit, ac proinde sola lex gratiæ ex se potuit sponsionem habere vitæ æternæ, hæc autem lex quæ est spiritus gratiæ, toto tempore etiam legis scriptæ virtute passionis Christi viguit,vt 1.2.disp. 183 cap.2. diximus.

13. Illud *culpa vacasset*, non debet referri ad ipsum vetus Testamentum,sed ad homines, qui sub eo viuebant, qui virtute ipsius non potuerunt vacare culpa. Præterea causalis, *nam*, reddit causam eius, quod dixerat Paulus, posterius testamentum habuisse meliores promissiones.

14. Vt rectè colligat ratio Pauli suppleuimus pauca illa verba, quæ vim habent,vt logici loquuntur,destruendi consequens conditionalis illationis, vt ita probet posterius testamentum meliores habuisse promissiones.

15. Verbum *veterauit*, quod est præteriti,sumitur pro futuro,refertur enim ad prophetiam Hieremiæ, quæ de futuro erat.

16. Eodem modo,& ob eandem rationem capitur verbum *antiquatur*, his autem verbis rectè conueniunt verba illa *senescit, & prope interitum est*,quibus verbum præteriti *veterauit*, non conueniret; nam quod quis veterauit,& antiquauit,non senescit, nec interitui proximum, sed iam omnino absolutum est, quod enim senescit, & interitui proximum est,adhuc viuit neque destructum est, quem sensum paucis indicat Anselmus.

17. Hæc conclusio plane infertur ex præcedétibus, est enim id quod antea dixerat Paulus, & deinde confirmauit.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAPITIS IX.

PRosequitur Paulus, quod præcedenti capite proposuerat, nempe nouum Testamentum meliores habuisse promissiones, quam vetus, vt inde probet Christum fuisse ministrum melioris testamenti.

CAPVT IX.

1 HAbuit quidem, & prius, iustificationes culturæ, & san-
2 ctum seculare. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mēsa, & propositio panum, quæ dicitur San-
3 cta. Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod di-
4 citur Sancta Sāctorum: Aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti:
5 superque eam Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium, de quibus non est modo dicendum
6 per singula. His verò ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorū officia consumman-
7 tes: in secundo autem, semel in anno solus Pontifex: non sine sanguine, quem offerret pro sua &

PARAPHRASIS.

HAbuit quidem prius testamentum 1 præcepta colendi Deum ad ritum, & cæremonias pertinentia,
2 & locum designatum ad cultū Dei
3 nempe ædem sanctam mundanam, post hanc enim interius factum erat primum tabernaculum, in quo erat candelabrum septem ramorum, & mensa, & propositio panum, quod dicitur sancta, 4 & à prima æde velamento quodam diuidebatur, post velamentum autem 5 secundum erat aliud tabernaculū, nempe secundum, quod dicitur Sancta Sanctorum, habebat autem thuribulum aureum, & arcam testamenti tectā ex omni parte auro, in qua erat vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, superque ipsam arcam erant Cherubin gloriam, & maiestatem Domini ostendentes; & reliqua, quæ sigillatim enarrare non est necesse. His verò ita dispositis in prius quidem tabernaculum,

Digitized by Google

8 & populi ignorantia: hoc ſignifi-
cante Spiritu ſancto, nondum
propalatã eſſe ſanctorum viam,
adhuc priore tabernaculo habẽ
9 te ſtatum. Quæ parabola eſt tem-
poris inſtantis: iuxta quam mu-
10 nera, & hodie offeruntur: quæ
non poſſunt iuxta conſcientiam
perfectum facere ſeruientem, ſo-
lum modo in cibis, & in potibus,
& in variis baptiſmatibus, & iu-
ſtitiis carnis, vſq; ad tempus cor-
11 rectionis impoſitis. Chriſtus au-
tem aſſiſtens Pontifex futurorum
bonorum, per amplius, & perfe-
ctius tabernaculum non manu-
factum, id eſt, non huius creatio-
12 nis: neque per ſanguinem hirco-
rum aut vitulorum, ſed per pro
prium ſanguinem introiuit ſe-
mel in Sancta, æterna redemptio-
13 ne inuenta. Si enim ſanguis hir-
corum, & taurorum, & cinis vi-
tulæ aſperſus, inquinatos ſancti-
ficat ad emundationem carnis:
14 Quantò magis ſanguis Chriſti,
qui per Spiritum ſanctum ſemet-
ipſum obtulit immaculatũ Deo,
emũdabit conſcientiam noſtram
ab operibus mortuis, ad ſeruien-
15 dum Deo viuenti? Et ideò noui
Teſtamenti mediator eſt, vt mor-
te intercedente, in redemptio-
nem earum prævaricationũ, quæ
erant ſub priori teſtamento, re-
promiſſionem accipiant qui vo-
16 cati ſunt, æternæ hæreditatis. Vbi
enim teſtamentum eſt: mors ne-
ceſſe

culum, quod dicitur ſancta, ſacerdotes quicunque ſemper introibant, vt ſacrificia peragerent, in poſterius autem tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorũ 6 ſolum Pontifex ſummus ſemel quotannis ingrediebatur non ſine ſanguine, quem offerret domino pro ſuis, & totius populi peccatis, 7 eo autem quod præcluſa eſſet via cæteris ſacerdotibus ingrediendi in Sancta Sanctorum, ſignificare volebat nobis dominus, eo tempore quo perſeuerabat prius illud Templũ cum lege veteri, & cæremoniis eius nondum patere aditum in verum tabernaculum cœli, quod 8 Sancta Sanctorum merito dicitur, 9 quæ quidem figura eſt, & ſimilitudo reſpiciens tempus hoc noſtrum legis Euangelicæ, 10 vt inferius dicemus, iuxta quam figuram munera & ſacrificia offerebantur, quæ non habebant vim perficiendi, & ſpiritualiter ſanctificandi offerentem, & obſeruantem ſolummodo cæremonias illas, quæ in eſu ciborum, & in variis ablutionibus, & aliis emundationibus carnis conſtitutæ erant vſque ad tempus Chriſti, qui eas 11 aboliturus, & in meliorẽ ſtatum commutaturus erat. 12 Quemadmodum igitur ſummus Pontifex ſolus ſemel in anno introibat in Sancta Sanctorum, quæ erat figura reſpiciens tempus Euangelij, ita Chriſtus ſummus Pontifex aſſiſtens, & conſtitutus à Deo pro cœleſti gloria, & gratia nobis à Deo obtinen-

17 ceſſe eſt intercedat teſtatoris. Te-
ſtamētum enim in mortuis con-
firmatum eſt: alioquin nondum
valet, dum viuit qui teſtatus eſt.
18 Vnde nec primum quidem ſine
19 ſanguine dedicatum eſt: lecto e-
nim omni mandato legis à Moy-
ſe vniuerſo populo: accipiēs ſan-
guinem vitulorum, & hircorum
cum aqua, & lana coccinea, &
hyſſopo, ipſum quoque librum,
& omnem populum aſperſit, di-
20 cens: Hic ſanguis teſtamēti, quod
21 mandauit ad vos Deus. Etiam ta-
bernaculum, & omnia vaſa mi-
niſterij, ſanguine ſimiliter aſper-
22 ſit. Et omnia penè in ſanguine
ſecundum legem mundantur: &
ſine ſanguinis effuſione non fit
23 remiſſio. Neceſſe eſt ergo exem-
plaria quidē cœleſtium his mun-
dari: ipſa autem cœleſtia, meliori-
24 bus hoſtiis, quàm iſtis. Non enim
manufacta ſancta Ieſus introiuit,
exemplaria verorū: ſed in ipſum
cœlum, vt appareat nunc vultui
25 Dei pro nobis. Neq; vt ſępe offe-
rat ſemetipſum, quemadmodum
Pontifex intrat in ſancta per ſin-
gulos annos in ſanguine alieno.
26 Alioquin oportebat eū frequen-
ter pati ab origine mundi: nunc
autem ſemel in conſummationē
ſeculorū, ad deſtitutionem pec-
cati, per hoſtiam ſuam apparuit.
27 Et quemadmodum ſtatutum eſt
hominibus ſemel mori, poſt hoc
28 autem iudicium: ſic & Chriſtus
ſemel

*tinenda perfectius, & amplius 13 ta-
bernaculum non manu hominum fa-
ctum, neque huius terreſtris habita-
tionis, ſed à Deo expanſum, & fixum,
nempe cælum; neque cum ſanguine
hircorum, aut vitulorum, ſed cum
proprio ſanguine, quem pro nobis ef-
fudit, introiuit 14 ſemel in ſancta, &
æternam nobis obtinuit redemptio-
nem: ſi enim ſanguis hircorum, &
taurorum, & cinis vitulæ concre-
matæ in holocauſtum emundare po-
tuit carnem à contaminatione corpo-
rali, qua quis cenſebatur pollutus ad
ſacra peragenda, quanto potiori ra-
tione ſanguis Chriſti, qui cum eſſet
Pontifex ſemetipſum obtulit Deo per
Spiritum ſanctum in ſacrificium, e-
mundabit conſcientias noſtras à pec-
catis, quæ ſunt opera mortua, vt ita
emundati, & renouati ſeruiamus Deo
viuenti? 15 Cum igitur ſanguis eius
emundare poßit conſcientias noſtras
à peccatis, quod antiquarum victi-
marum ſanguis efficere non potuit,
16 ideo Chriſtus noui Teſtamēti gra-
tiæ 17 autor exiſtens mediator eſt
inter nos, & Deum, vt morte ipſius
intercedente in pretium; & redem-
ptionem peccatorum, 18 quæ virtu-
te antiquæ legis, & teſtamenti deleri
non potuerunt, repromißionem acci-
piāt æternæ beatitudinis, qui ad eam
fidem vocati ſunt; ideo autem inter-
cedere debuit mors Chriſti, qui autor
fuit noui Teſtamenti, quia vbi Teſta-
mentum conditum fuerit, vt vim ha-*

semel oblatus est ad multorum
exhaurienda peccata: secundò si-
ne peccato apparebit omnibus
expectantibus se, in salutem.

beat, mori debet testator. 19 Christus
autem testator est, & autor noui Te-
stamenti, mori ergo debuit, 20 Te-
stamentum enim eorum, qui mori-
untur, morte confirmatur: alioquin si testator non moriatur, nondum firmum
est testamentum, quandiu testator viuit, 21 vnde in huius rei figuram etiam
prius, & vetus Testamentum non sine sanguine dedicatum fuit, & receptum
à filiis Israël: lecto enim omni mandato à Moyse vniuerso populo; Moyses ipse
accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua, & lana coccinea, &
hyssopo ipsum quoque librum, & omnem populum adspersit dicens: Hic san-
guis testamenti, quod præcepit vobis Deus: tabernaculum etiam, & omnia va-
sa ministerij sanguine similiter adspersit, & omnia bene secundum legem san-
guine emundantur, & sine sanguinis effusione non fit remißio, & mundatio
vlla corporalis maculæ. 22 Si ergo in templo terrestri, & in lege veteri, quæ
fuerunt typus, & figura cœlestis templi, & noui Testamenti, necesse fuit, vt
omnis emundatio fieret sanguine aliquo, 23 ea quæ pertinent ad cœleste tem-
plum, & spirituale, quæ in prioribus figurata fuere, nempe conscientiæ nostræ,
pretiosioris hostiæ sanguine emundari debuerant: 24 ideò autem ea cœlestia
appellaui, hoc est pertinentia ad cœleste templum, 25 quia Iesus non introiuit
pro nostra redemptione in Sancta Sanctorum terrestris templi, manibus homi-
num facti, quæ erant typus, & figura 26 veri tabernaculi, quod Sancta San-
ctorum verè nuncupatur, sed in ipsum cœlum, quod est verum tabernaculum
non ab homine, sed à Deo fixum, vt ibi Deo 27 appareat interpellans pro no-
bis, non tamen ita vt sæpe repetat oblationem cruentam sui pro nobis, sicut
Pontifex summus Leuiticus intrabat semel quotannis, vt offerret sanguinem
alienum 28 alioquin si opus esset, vt sæpe se offerret Christus, neq; vna mors
illius sufficiens esset ad delenda peccata omnium, debuisset ipse frequenter mo-
ri ab origine mundi, siquidem & his, qui ipsum præcesserunt, ab initio mundi
sacerdos & hostia esse debuit pro peccatis, atqui in fine temporum, & ætate
postrema ad 29 destruendum omnium etiam antiquorum peccatum, per ho-
stiam sui ipsius semel tantum apparuit coram Deo, introiens in Sancta Sancto-
rum cœli, & quemadmodum omnibus hominibus statutum est, vt semel tan-
tum moriantur, & post mortem subeant iudicium, vt consequantur statum,
in quo in æternum eodem modo permaneant, sic etiam Christus semel per mor-
tem oblatus est, vt omnium consumeret peccata, deinde verò post hanc mor-
tem sine 30 hostia pro peccato apparebit omnibus ex viua fide, & spe expe-
ctantibus ipsum, vt eis in vltimo indicio salutem æternam retribuat.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. Præcepta colendi Deum dicuntur iustificationes, sicut etiam in Psalmis, quæcunque præcepta ita appellantur, quod obseruantes illa iustificarentur, tametsi obseruatio eorum non ex vi ipsius literę, sed ex vi spiritus gratiæ esse deberet, vt notaui 1.2.disp.183. cap.2.

2. Addidimus hunc numerũ claritatis gratia, cum deinde sigillatim ostendat Paulus tres partes Templi, & loci designati ad cultum Dei.

3. In tres partes diuidit locum Templi ad sacrificium designatum; prima pars erat atrium subdio, & dicebatur ædes mundana; quam ideò vocat Paulus sanctum sęculare, quia illuc etiam Gentiles, & Ethnici ingrediebantur, & in hoc erat æneum altare sacrificiorum, secundo erat tabernaculum prius de quo inquit Paulus; *Tabernaculum enim factum est primum*, in eo autem non mactabantur, nec immolabantur victimæ, quid autem in eo esset, dicit Paulus in textu, dicebatur autem sancta. Tertio erat tabernaculum posterius, quod dicebatur Sancta Sanctorũ, ita notat Oecumenius in hunc locum, & ex ipsa Scriptura veteri constat, hunc triplicem locum in templo dixit Paulus, vt patet in textu.

4. Totum hunc numerum suppleuimus claritatis gratia, cum enim dicat deinde Paulus post secundum velamentum fuisse tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, nempe posterius tabernaculum, planè indicat fuisse aliud primum velamentum.

5. Vocem *secundum* quidam referunt ad tabernaculum, vt sensus sit post velamentum erat tabernaculum secundum. Verum cum in Grę-co illa vox *secundum* sit neutrius generis, & velamentum similiter, at verò vox *tabernaculum* sit fœminini generis, non potest vllo modo vox *secundum* ad *tabernaculum*, sed ad *velamentum* referri. Adde, quod in Grę-co ad literam sic est, *post secundum velamentum tabernaculum*, & ita vox *secundum* non potest referri ad *tabernaculum*, cum autem Paulus appellat secundum velamentum, indicat, fuisse etiam primum, vt suppleuimus in numero præcedenti: tabernaculum porrò, quod dicitur fuisse post secundum velamentum, & vocabatur Sancta Sanctorum, reuera erat secundum tabernaculum, siquidem ante posuerat Paulus primum.

6. Quo pacto solus summus Pontifex ingrederetur, in posterius tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, constat ex cap.30. Exodi, & Leuitici 16. mactabat autem hostias exterius, & cum sanguine earum ingrediebatur, & adspergebat septies digito contra propitiatorium, & reliqua, quæ ibi fusius dicuntur.

7. Ideò ante aduentum Christi dicebatur nondum patere aditus ad regnum cœlorum, vel quia etiam iusti post mortem illud non ingre-

dicebantur, donec Christus corpore & anima intraret, vel quia licet reuera tunc essent iusti propter merita Christi, qui haberent ius ad regnum cœlorum, tamen cum nondum esset solutum pretium nostræ redemptionis, nondum dicebatur diabolus victus vt 3. parte, disp. 77. cap. 6. vberius dictum est, quamuis enim meritum Christi in spe effectum habuerit ab initio mundi, tamen tunc dicitur facta redemptio, cum Christus pretium actu persoluit.

8. Sanctorum via eo loco non denotat viam virorum Sanctorum, sed viam cœli, quod dicitur à Paulo Sancta Sanctorum in hoc capite.

9. Quidam ita exponunt, quæ parabola, vel similitudo vsq; ad tempus præsens durauit, eo quod in Græco dicatur *εἰς τὸν καιρὸν ἐνεστηκότα*, illud autem *εἰς*, Latine reddunt, *vsque ad*, ego verò existimo illud *εἰς*, sumi in propria significatione pro *in*, vt sit sensus, quem sequuti sumus in paraphrasi, ac si ad literam diceremus, quæ parabola est in tempus instans, & hoc modo retinemus lectionem vulgatam, idem enim est esse parabolam huius temporis, & in hoc tempus, vel respiciens hoc tempus.

10. Parabola in eo est, quod inferius dicit Paulus de ingressu Christi in cœlos post effusum sanguinem suum.

11. Tempus correctionis erat tempus Christi, qui illas cæremonias correcturus erat.

12. Hic applicat parabolam, & figuram summi Sacerdotis ingredientis in Sancta Sanctorum semel in anno.

13. Per tabernaculum non manufactum intelligunt alij corpus conceptum sine ope viri ex visceribus virginis, multo tamen melius quadrat cum principio capitis, & cum toto contextu, vt intelligamus cœlum, de quo dixerat in principio Paulus, quod fixit Deus, & nō homo.

14. Pro *semel in anno*, quod dixit de summo Sacerdote Aaronico, Christus semel tantum ingressus est, eo quod semel tantum ingrediens inuenit, & peregit redemptionem, quam Sacerdos summus Leuiticus perficere nō poterat, vt inferius dicit Paulus, quomodo autem ingressus sit cum proprio sanguine inferius dicetur num. 27.

15. Suppleuimus totum hunc numerum, vt clarius congrueret causalis *ideo*, quæ est in sequenti.

16. Indicat causam præcedentem, ob quam Christus fuit mediator noui Testamenti.

17. Christus non solum mediator noui Testamenti inter nos, & Deum, sed etiam autor fuit, quia autor fuit gratiæ, per quam inter nos, & Deum inimicitias composuit, & ideo addidimus illud *mediator existens*, neque est præter mentem Pauli, nam inferius appellat Christum testatorem, testator autem autor est testamenti.

Digitized by Google

18 Fuisse prævaricationes sub priori testamento idem est, quod adhuc cum illo permansisse, hoc est virtute illius non fuisse deletas, licet virtute Christi sub priori testamento; hoc est, ante aduentum Christi multi consecuti fuerint remisionem peccatorum, iuxta id, quod dicitur ad Rom. 5. *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo, &c.* vt nos ibidem exposuimus.

19. Suppleuimus hunc numerum claritatis gratia, & vt rationem Pauli integram conficeremus.

20. Repetit rationem ob quam Christus mori debuit.

21. Ostendit in promulgatione veteris Testamenti veluti in figura etiam mortem intercessisse, quamuis non ipsius testatoris, quod pro figura noui Testamenti satis fuit.

22. Suppleuimus hunc numerum per repetitionem, vt ostenderemus vim rationis Pauli, & particulæ illationis *ergo*.

23. Cœlestia vocat hîc non cœlum ipsum, neq; Angelos, hi namque non erant emundandi sanguine Christi; sed conscientias nostras, & spiritus, quorum emundatio pertinebat non ad templum huius habitationis, in quod Leuitici Sacerdotes ingrediebantur, sed ad cœleste, in quod solus Christus cum sanguine victimæ pretiosæ ingressurus erat.

24. Suppleuimus hunc numerum, vt clarius appareret connexio causalis *enim*, quæ est in sequenti numero.

25. Causalis *enim*, rationem reddit, ob quam vocauerit cœlestia conscientias nostras in num. 23.

26. Illud *verorum*, conuenit cum *Sanctorum*; quod suppleri debet, vox autem *sanctorum*, sumitur hoc loco sicut supra num. 7. pro tabernaculo, quod dicitur Sancta Sanctorū, cui si adiungas *verorum*, denotat cœleste tabernaculum, cuius vmbra, & figura erat terrestre: alludit autem ad id, quod dixerat initio capitis, & nos in paraphrasi expresimus, nempe quod fixit Deus, & non homo.

27. Christus ingrediens in cœlum non sacrificat, neque denuo orat, sed tantum apparet, & antiquam oblationem sui factam in hoc mundo continuo sine nouis precibus præsentat patri, & hoc solum sensu dicitur introiisse in tabernaculum cœleste in proprio sanguine, non quod illum effundat iterum in cœlo, sed quod eum præsentet, cur autem denuo non oret in cœlo, fusius ostendimus 3. part. disp. 82. cap. 2. verè autem cœlum comparatur tabernaculo templi terrestris, nam sicut Sacerdos mactabat hostiam in atrio exteriori templi subdito, & cum sanguine victimæ ingrediebatur tabernaculum secundum, ita Christus se obtulit in hoc mundo, sed post mortem se ipsum conspectui patris in cœlo præsentauit, discrimen autem est, quod sacerdos ef-

 fundebat

quæ ponitur num. 17. in ea tamen veritas dignitatis Christi figurabatur.

14. Hęc est secunda ratio, qua ostendit digniorem fuisse Sacerdotem Melchisedec Sacerdotibus Leuiticis.

15. Abrahamus benedictionem accepit à Melchisedec, Genes. 14. iam vero Genes. 12. acceperat à Deo repromissionem, quod in ipso benedicendæ essent omnes gentes.

16. Pro controuersia Græcè est ἀντιλογίας, quam vocem in hoc capite interpretatur vulgatus contradictionem, in præcedenti autem interpretatus est, controuersiam.

17. Hæc est tertia ratio, qua ostendit digniorem Sacerdotem fuisse Melchisedec Leuiticis Sacerdotibus: dignitas autem non est in re ipsa, quasi verè mortuus non fuerit Melchisedec, sed secundum apparentiam, quia Scriptura non narrat mortem obiisse: hæc autem vmbra solum est immortalitatis, qua figurabatur vera in Christo vnio inseparabilis, & perpetuum Sacerdotium illius in vita immortali permansurum.

18. In hoc numero, quem suppleuimus, continetur conclusio prædictarum rationum, quæ ad hoc proximè tendunt, vt ostendant Melchisedec præstantiorem Sacerdotem fuisse Leuiticis, ac proinde etiam Christum; probauit igitur hactenus dignitatem figurati Christi ex figuræ dignitate.

19. Hæc est noua ratio ad probandum Christum digniorem fuisse Sacerdotem Leuiticis; suppleuimus autem pro discursu Pauli omnia illius numeri, vsque ad illa verba, *si ergo*, quia alias illatiua illa particula *ergo*, non videtur connexionem habere cum præcedentibus.

20. Omnia illius numeri suppleuimus pro discursu Pauli; & vt illa causalis *enim*, quæ est in numero sequenti veram redderet causam.

21. Aliqui putant particulam *enim*, poni pro *autem*, eo quod non videant cuius rationem reddere possit. Verum quamuis Paulus aliquandò vtatur particula γὰρ, Latinè *enim* pro particula δὲ, Latinè *autem*: tamen, cum hæc particula verè potest reddere sensum causalem addito aliquo iuxta ratiocinationem Pauli, & ipsius textus, multo melius est eam in sensu causali interpretari.

22. Totum hunc numerum suppleuimus in paraphrasi, vt causalis *enim*, numeri sequentis rectè constaret in sua vi cum reliquis.

23. Causalis *enim*, in hoc loco vere reddit sensum causalem non eius, quod in textu præcessit, sed eius quod suppleuimus: id autem implicitum erat in ipso textu; nam cum dicat Paulus vnum Sacerdotium in aliud fuisse translatum, consequenter sentit diuersum fuisse illud, in quod prius commutatum fuit.

24. Illud

24. Illud *praestò esse*, idem est quod constanter stare more ministrantium, vt cap. 10. num. 13. videbimus.

25. Hæc ratio non affertur ad probandum Christum fuisse excellentiorem Sacerdotem Leuiticis, sed ad probandum idem, quod antea probauerat, nempe diuersum esse Sacerdotium Christi à Sacerdotio Leuitico.

26. Probat qua de causa prior lex fuerit abrogata, & commutata, non quod non profuisset seruare illam, sicut quæcunque obseruatio legis, & opus virtutis; sed quod inutilis esset ad sanctificationem, hoc est, in ea non fuerit pretium nostræ redemptionis, sicut notaui, tom. 1. 3. part. disp. 84. cap. 1. & disp. 85. cap. 2.

27. Ibi non probat Christum fuisse excellentiorem Sacerdotem Leuiticis, sed cum ostenderit antiquam legem in nouam, & meliorem fuisse cōmutatam; & Christum fuisse Sacerdotem nouæ, incipit ostendere Christum fuisse factum fideiussorem melioris promissionis, & legis, non quia in antiqua lege non continenetur promissiones æternæ, sed quia lex illa non poterat tanquam ex se implendum id promittere, lex autem noua, quæ est gratiæ, ita promittit æternam illam vitam, vt ex se illam etiam tribuat, Christus autem factus est sponsor, seu fideiussor talis promissionis, quia virtute meritorum eius confert nobis Deus gratiam suam; rationes autem, quæ sequuntur, ad hoc tendunt, vt ostendant Christum fuisse fideiussorem melioris legis, & promissionis.

28. Particula *quantum est*, posita est pro eo, quod dici solet *in quantum* Græcè καθ' ὅσον, quod attice perinde est, atque quatenus.

29. Pro *in tantum*, Græcè est κατὰ τοσοῦτον, quod nos exposuimus *eatenus*, vt responderet aduerbio *quatenus* posito in numero præcedenti, eadem autem significatio vtriusque est.

30. Hæc est secunda ratio non ad probandum Christum fuisse meliorem, & digniorem sacerdotem; sed sponsorem, & fideiussorem melioris promissionis.

31. Quomodo multi sacerdotes Euangelici, qui Christo viuente nomine ipsius offerunt, non dicantur in sacerdotio illi succedere ostendimus contra Lutherum 3. tom. 3. part. in tractatu de sacrificio Missæ, quia succedere solum est in locum mortui, aut depositi, aut translati subrogari.

32. Cum supradixisset Christum esse sponsorem, hoc est, fideiussorem melioris promissionis, eodem modo concedere debet Leuiticos sacerdotes fuisse etiam sponsores veteris testamenti; cumque vnus manere non posset, lege statutum à Deo est, vt alius cum eodem onere succederet; apud homines quidem filius, qui succedit patri, non suc-

 cedit.

cedit in fideiussione, qua pro alio se obligauit, nisi res, quas à patre acceperit, obligatæ maneant; neque enim lex humana potest successorem ad hoc obligare; lex autem diuina statuit, vt filij succederent in munere sacerdotali parentibus, & ita in obligatione fideiussionis; vt sicut fideiussor sollicitat animum debitoris ad soluendum, sic etiam sacerdotes intercedant apud Deum, vt compleat promissa sua; multo autem melior sponsor, & fideiussor est Christus, quia idemmet semper manet sacerdos.

33. Quo pacto Christus interpellare dicatur semper pro nobis, non noua oratione, sed antiqua, quæ semper manet in conspectu Dei diximus 3. part. disp. 82. cap. 4.

34. Per cœlos intelligit spiritus cœlestes.

35. Cum dicit Paulus de Christo, hoc enim semel effecit, non debet ita intelligi, vt semel etiam pro se ipso obtulerit sacrificium, quia nunquam ipsi profuit mors sua per modum sacrificij, sed per modum meriti, vt late ex mente S. Thom. explicaui 3. part. disp. 84. cap. 2. sed intelligitur de sacrificio, quod semel pro nobis obtulit. Itaque negat quidem Paulus Christum indiguisse quotidiano sacrificio pro se, & pro populo sicut sacerdotes Leuitici indigebant, solum autem affirmat semel obtulisse pro aliis, non autem pro se.

ARGVMENTVM
CAPITIS VIII.

DIgnitatem Sacerdotij Christi in hoc capite commendat Paulus ex ministerio, & templo, cui ministrat, eo quod alij fuerunt sacerdotes templi corruptibilis, quod construxit homo; Christus verò templi cœlestis, quod solus Deus formauit, in quod quidem intrans sedit ad dexteram magnitudinis Dei in excelsis.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

1 CApitulum autem super ea,
quæ dicuntur: Talem habe-
mus Pontificem, qui consedit in
dextera sedis magnitudinis in
2 cœlis: sanctorũ minister, & taber-
naculi veri, quod fixit Deus, &
3 non homo. Omnis enim Ponti-
fex, ad offerendum munera, &
hostias constituitur: vnde neces-
se est & hunc habere aliquid quod
4 offerat. Si ergo esset super terram
nec esset sacerdos: cùm essent qui
offerrent secundum legem mu-
5 nera: Qui exemplari, & vmbræ
deseruiunt cœlestium: sicut re-
sponsum est Moysi, cum consum-
maret tabernaculum: vide, in-
quit; omnia facito secundum ex-
emplar quod tibi ostensum est in
6 monte. Nunc autem melius sor-
titus est ministerium, quanto &
melioris testamenti mediator est,
quod in melioribus repromissio-
7 nibus sancitum est. Nam si il-
lud prius culpa vacasset: non vti-
que secundi locus inquireretur.
8 Vituperans enim eos dicit, ecce
dies venient, dicit Dominus, &
consummabo super domum Is-
rael, & super domum Iuda testa-
mentum nouum, non secun-
9 dum testamentum, quod feci pa-
tribus eorum, in die qua appre-
hendi manum eorũ, vt educerem
illos de terra Ægypti, quoniam
ipsi non permanserunt in testa-
mento meo: & ego neglexi eos,
dicit

PARAPHRASIS.

SVmma 1 autem eorum, quæ de sacerdotio Christi dicta sunt, huiusmodi est: Pontifex, quem habemus, & cuius intercessione nixi sperare debemus, is est, qui 2 consedit in dextera maiestatis Dei in cœlis, qui minister, & autor est veræ sanctitatis 3 in tabernaculo vero, quod Deus construxit, & tetendit, & non homo. 4 Quare & pro nobis offert, & ministrat: 5 omnis enim Pontifex ad offerendum Deo munera, & sacrificia pro populo constituitur. Quocirca oportet & hunc nostrum sacerdotem habere aliquod munus, aut hostiam, quam pro nobis offerat. Ipsum itaque esse constitutum ministrum tabernaculi cœlestis, quod fixit Deus, & non homo, inde constat; quia 6 si diceremus esse ministrum tabernaculi, quod est 7 super terram, nempe à Salomone constructi, non esset verè sacerdos, eo quod non ipsi, sed alij essent, quibus ex lege cõueniret offerre munera, & hostias, nempe oriūdis ex genere Leuitico, qui deseruiunt templo materiali, quod est 8 signum, & vmbra cœlestis tabernaculi; id enim significauit Deus, quando Moysi consummanti iam tabernaculũ dixit Exo. 25. omnia facito 9 secundum prototypum, qui tibi ostensus est in monte 10 nam prototypus ille, vtpote à Deo in monte, & maiestate gloriæ ipsius exhibitus, figura etiam erat cœlestis taber-

10 dicit Dominus. Quia hoc est te-
stamentum quod disponam do-
mui Israel post dies illos, dicit
Dominus: dabo leges meas in
mentem eorum, & in corde eo-
rum superscribam eas:& ero eis
11 inDeum,&ipsi erunt mihi in po-
pulum,& non docebit vnusquis-
que proximũ suum, & vnusquis-
que fratrẽ suum, dicens: cogno-
sce Dominum: quoniam omnes
scient me à minore vsque ad ma-
12 iorem eorum: quia propitius ero
iniquitatibus eorum : & pecca-
torum eorum iam non memora-
13 bor. Dicendo autem nouum, ve-
terauit prius. Quod autem anti-
quatur, & senescit: prope interi-
tum est.

tabernaculi, & gloriæ. 11 *Nunc autem tempore legis euangelicæ, & gratiæ Christus Dominus tanto melius sortitus est ministerium, quanto melioris testamenti, nempe gratiæ mediator, & minister est.* 12 *quod melioribus promissionibus stabilitum est, & confirmatum. Ideo autem posterius hoc testamentum meliores habuit promissiones, quia potens non fuit vt culpam deleret hominum.* 13 *Nam si sub illo priori homines virtute eius à culpa emundarentur, necesse non fuisset posterius testamentum ordinatione diuina sanciri, quod melius esset, & vim haberet delendi peccata,* 14 *Deus autem promisit nouum aliud testamentum Hieremiæ 31. vbi exprobrans peccata Iudæorum, qui prioris testamenti leges non obseruabant, inquit, ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum, &c. vbi cum dixit nouum non solum aliud promisit, sed etiam denotauit prius illud aduentu noui,* 15 *antiquandum esse, quod autem* 16 *antiquandum est, senescit, & ad interitum vergit.* 17 *Ergo posterius testamentum meliores habuit promissiones.*

ANNOTATIONES.

1. Græce est κεφάλαιον, quod denotat summam, alij explicant præcipuum, illud autem, *super ea* Græcè est ἐπὶ τοῖς λεγομένοις ac si dicat, *ex dictis*, nam ἐπὶ, cum coniungitur datiuo, inter alia denotat idem, quod Latine *ex*.

2. Illud *consedit*, ita accipiendum est, non quasi Christus inceperit considere ad dexteram Dei postquam in cœlos ascendit, nam vt sępius diximus, ipsa vnione dicitur considere ad dexterã Dei, sed ita vt semper consederit, illud autem *in cœlis*, vel appositum est, vt periphrasis diuinitatis, ad cuius dexteram sedit Christus, in hunc modum, *ad dexteram Dei, qui habitat in cœlis*, vel ad denotandum, quomodo etiam nunc Christus habitet in cœlis secundum corpus.

3. Qui-

3. Quidam putant Christum dictum Sanctorum ministrum, quia beatis ministrat in cœlis, cum ipsi fruantur beatitudine, quam Christus illis promeruit iuxta parabolam Euangelij Lucę 12. *Et transiens ministrabit illis.* Alij per sancta intelligunt Sancta Sanctorum in cœlis, sicut erant in Templo materiali, melius tamen nos interpretati sumus ministrum sanctitatis, nam tanquam diuersa commemorat Paulus esse ministrum sanctorum, & esse ministrum tabernaculi cœlestis, in quo sunt verè Sancta Sanctorum.

4. Verba illius numeri addidimus, quorum sensum continet vox illa *minister*, quæ præcessit, qui enim ministrat in Templo pro aliquo ministrat, & offert, illis autem verbis additis rectè congruit causalis illa particula, quæ subsequitur.

5. Reddit causam ministerij Christi.

6. In illis *si ergo esset super terram*, suppleri debet *minister*, verbum autem *esset*, idem significat quod *diceretur esse*, iuxta illud ad Rom. 11. *Alioqui gratia non esset gratia*, hoc est quæ diceretur gratia, reuera non esset gratia.

7. Illud *super terram*, multi cum Græcis referunt ad ipsum Christum, vt sit sensus, si enim Christus adhuc maneret in terra, nec introiisset in tabernaculum cœleste, non esset sacerdos: alij referunt ad hostiam, vt Anselmus, neutro tamen modo contextus satis constat, ideò prædicta verba nos retulimus ad ministeriũ, de quo paulò antea locutus fuerat Paulus, nõ autem ad hostiam, de qua proximè sermo præcesserat, consonat autem hæc expositio cum antecedentibus vt constat, & cum sequentibus, sic enim vere probat Paulus Christum non fore Sacerdotem, si diceretur minister tabernaculi materialis, cum in eo solum possint esse Sacerdotes Leuitici generis, tum etiam quia templum Salomonis vocat vmbram cœlestis.

8. In Græco est ὑποδείγματι, pro eo quod vulgatus conuertit *exemplari*, porro vox Græca, & Latina significant interdum prototypum, cuius instar aliquid fit, tum etiam signum, seu figuram; & hoc loco pro signo accipitur, vt patet.

9. Vulgatus etiam hoc loco vsus est nomine exemplaris in alia significatione, nempe vt denotat primum exemplum, seu prototypum, cuius instar, aliquid fit, in Græco autem non est illa vox ὑπόδειγμα, sed vox τύπος, sicut etiam Actor. 7. vbi vulgatus transtulit, formam.

10. Aliqui putant Moysi in monte, non solum ostendisse formam tabernaculi materialis, sed etiam cœlestis, aperiens nimirum illi arcana cœlestia, & ideo ædificasse tabernaculum materiale, vt esset figura cœlestis tabernaculi, verum cum Moyses non viderit essentiam Dei, sed tantum splendorẽ lucis corporeæ, sub qua apparuit illi Deus, vt ostendimus 1. parte disput. 55. ideo dicendum est Moysem solum accepisse à

Domino formam, & prototypum templi materialis: addidimus autem verba num. 10. vt ostenderemus vim testimonij, quod adducit Paulus ad comprobandum, id quod dixerat, nempe tabernaculum materiale solum fuisse vmbram cœlestis, cuius Christus minister est.

11. Particula *nunc*, non denotat tempus Christi postquam in cœlos ascendit, & introiuit in Sancta Sanctorum tabernaculi veri, nempe cœli, vt quidam volunt, sed tempus gratiæ, quod opponit tempori antiquæ legis, sub qua Leuitici Sacerdotes ministrabant, vt exponit Anselmus, quia toto tempore etiam mortalis vitæ sortitus est Christus melius illud ministerium.

12. Non ideo dicit nouum Testamentum habuisse meliores promissiones, quasi Lex vetus non promiserit ipsam obseruantibus vitam æternam; nam etiam Patribus antiquis promissio facta est vitæ æternæ, sed quia antiqua lex non poterat eam ex se ipsa promittere, cum ipsa non posset ex se præbere vires ad sui obseruationem, sed sola lex gratiæ illas subministrauerit, ac proinde sola lex gratiæ ex se potuit sponsionem habere vitæ æternæ, hæc autem lex quæ est spiritus gratiæ, toto tempore etiam legis scriptæ virtute passionis Christi viguit, vt 1. 2. disp. 183 cap. 2. diximus.

13. Illud *culpa vacasset*, non debet referri ad ipsum vetus Testamentum, sed ad homines, qui sub eo viuebant, qui virtute ipsius non potuerunt vacare culpa. Præterea causalis, *nam*, reddit causam eius, quod dixerat Paulus, posterius testamentum habuisse meliores promissiones.

14. Vt rectè colligat ratio Pauli suppleuimus pauca illa verba, quæ vim habent, vt logici loquuntur, destruendi consequens conditionalis illationis, vt ita probet posterius testamentum meliores habuisse promissiones.

15. Verbum *veterauit*, quod est præteriti, sumitur pro futuro, refertur enim ad prophetiam Hieremiæ, quæ de futuro erat.

16. Eodem modo, & ob eandem rationem capitur verbum *antiquatur*, his autem verbis rectè conueniunt verba illa *senescit, & prope interitum est*, quibus verbum præteriti *veterauit*, non conueniret; nam quod quis veterauit, & antiquauit, non senescit, nec interitui proximum, sed iam omnino absolutum est, quod enim senescit, & interitui proximum est, adhuc viuit neque destructum est, quem sensum paucis indicat Anselmus.

17. Hæc conclusio plane infertur ex præcedétibus, est enim id quod antea dixerat Paulus, & deinde confirmauit.

ARGV-

ARGVMENTVM
CAPITIS IX.

PRosequitur Paulus, quod præcedenti capite proposuerat, nempe nouum Testamentum meliores habuisse promissiones, quam vetus, vt inde probet Christum fuisse ministrum melioris testamenti.

CAPVT IX.

1 HAbuit quidem, & prius, iu-
stificationes culturæ, & san-
2 ctum seculare. Tabernaculum e-
nim factum est primum, in quo
erant candelabra, & mēsa, & pro-
positio panum, quæ dicitur San-
3 cta. Post velamentum autem se-
cundum tabernaculum, quod di-
4 citur Sancta Sāctorum: Aureum
habens thuribulum, & arcam te-
stamenti circumtectam ex omni
parte auro, in qua vrna aurea ha-
bens manna, & virga Aaron quæ
fronduerat, & tabulæ testamenti:
5 superque eam Cherubim gloriæ
obumbrantia propitiatorium, de
quibus non est modo dicendum
6 per singula. His verò ita compo-
sitis, in priori quidem tabernacu-
lo semper introibant sacerdotes,
sacrificiorū officia consumman-
7 tes: in secundo autem, semel in
anno solus Pontifex: non sine
sanguine, quem offerret pro sua
&

PARAPHRASIS.

*HAbuit quidem prius testamen-
tum 1 præcepta colendi Deum
ad ritum, & cæremonias pertinentia,
2 & locum designatum ad cultū Dei
3 nempe ædem sanctam mundanam,
post hanc enim interius factum erat
primum tabernaculum, in quo erat
candelabrum septem ramorum, &
mensa, & propositio panum, quod
dicitur sancta, 4 & à prima æde ve-
lamento quodam diuidebatur, post
velamentum autem 5 secundum erat
aliud tabernaculū, nempe secundum,
quod dicitur Sancta Sanctorum, ha-
bebat autem thuribulum aureum, &
arcam testamenti tectā ex omni parte
auro, in qua erat vrna aurea habens
manna, & virga Aaron, quæ fron-
duerat, & tabulæ testamenti, super-
que ipsam arcam erant Cherubin glo-
riam, & maiestatem Domini osten-
dentes; & reliqua, quæ sigillatim e-
narrare non est necesse. His verò ita
dispositis in prius quidem taberna-
culum,*

Digitized by Google

8 & populi ignorantia: hoc signifi-
cante Spiritu sancto, nondum
propalatā esse sanctorum viam,
adhuc priore tabernaculo habē
9 te statum. Quæ parabola est tem-
poris instantis: iuxta quam mu-
10 nera, & hodie offeruntur: quæ
non possunt iuxta conscientiam
perfectum facere seruientem, so-
lum modo in cibis, & in potibus,
& in variis baptismatibus, & iu-
stitiis carnis, vsq; ad tempus cor-
11 rectionis impositis. Christus au-
tem assistens Pontifex futurorum
bonorum, per amplius, & perfe-
ctius tabernaculum non manu-
factum, id est, non huius creatio-
12 nis: neque per sanguinem hirco-
rum aut vitulorum, sed per pro
prium sanguinem introiuit se-
mel in Sancta, æterna redemptio-
13 ne inuenta. Si enim sanguis hir-
corum, & taurorum, & cinis vi-
tulæ aspersus, inquinatos sancti-
ficat ad emundationem carnis:
14 Quantò magis sanguis Christi,
qui per Spiritum sanctum semet-
ipsum obtulit immaculatū Deo,
emūdabit conscientiam nostram
ab operibus mortuis, ad seruien-
15 dum Deo viuenti? Et ideò noui
Testamenti mediator est, vt mor-
te intercedente, in redemptio-
nem earum præuaricationū, quæ
erant sub priori testamento, re-
promissionem accipiant qui vo-
cati sunt, æternæ hæreditatis. Vbi
16 enim testamentum est: mors ne-
cesse

*culum, quod dicitur sancta, sacerdo-
tes quicunque semper introibant, vt
sacrificia peragerent, in posterius au-
tem tabernaculum, quod dicitur San-
cta Sanctorū 6 solum Pontifex sum-
mus semel quotannis ingrediebatur
non sine sanguine, quem offerret do-
mino pro suis, & totius populi pecca-
tis, 7 eo autem quod præclusa esset
via cæteris sacerdotibus ingrediendi
in Sancta Sanctorum, significare vo-
lebat nobis dominus, eo tempore quo
perseuerabat prius illud Templū cum
lege veteri, & cæremoniis eius non-
dum patere aditum in verum taber-
naculum cœli, quod 8 Sancta San-
ctorum merito dicitur, 9 quæ qui-
dem figura est, & similitudo respici-
ens tempus hoc nostrum legis Euan-
gelicæ, 10 vt inferius dicemus, iux-
ta quam figuram munera & sacrifi-
cia offerebantur, quæ non habebant
vim perficiendi, & spiritualiter san-
ctificandi offerentem, & obseruan-
tem solummodo cæremonias illas, quæ
in esu ciborum, & in variis ablutio-
nibus, & aliis emundationibus car-
nis constitutæ erant vsque ad tempus
Christi, qui eas 11 aboliturus, & in
meliorē statum commutaturus erat.
12 Quemadmodum igitur summus
Pontifex solus semel in anno introi-
bat in Sancta Sanctorum, quæ erat
figura respiciens tempus Euangelij,
ita Christus summus Pontifex aßi-
stens, & constitutus à Deo pro cœle-
sti gloria, & gratia nobis à Deo ob-
tinen-*

Digitized by Google

17 ceſſe eſt intercedat teſtatoris. Te-
ſtamẽtum enim in mortuis con-
firmatum eſt: alioquin nondum
valet, dum viuit qui teſtatus eſt.
18 Vnde nec primum quidem ſine
19 ſanguine dedicatum eſt: lecto e-
nim omni mandato legis à Moy-
ſe vniuerſo populo: accipiẽs ſan-
guinem vitulorum, & hircorum
cum aqua, & lana coccinea, &
hyſſopo, ipſum quoque librum,
& omnem populum aſperſit, di-
20 cens: Hic ſanguis teſtamẽti, quod
21 mandauit ad vos Deus. Etiam ta-
bernaculum, & omnia vaſa mi-
niſterij, ſanguine ſimiliter aſper-
22 ſit. Et omnia penè in ſanguine
ſecundum legem mundantur: &
ſine ſanguinis effuſione non fit
23 remiſſio. Neceſſe eſt ergo exem-
plaria quidẽ cœleſtium his mun-
dari: ipſa autem cœleſtia, meliori-
24 bus hoſtiis, quàm iſtis. Non enim
manufacta ſancta Ieſus introiuit,
exemplaria verorũ: ſed in ipſum
cœlum, vt appareat nunc vultui
25 Dei pro nobis. Neq; vt ſępe offe-
rat ſemetipſum, quemadmodum
Pontifex intrat in ſancta per ſin-
gulos annos in ſanguine alieno.
26 Alioquin oportebat eũ frequen-
ter pati ab origine mundi: nunc
autem ſemel in conſummationẽ
ſeculorũ, ad deſtitutionem pec-
cati, per hoſtiam ſuam apparuit.
27 Et quemadmodum ſtatutum eſt
hominibus ſemel mori, poſt hoc
28 autem iudicium: ſic & Chriſtus
ſemel

*tinenda perfectius, & amplius 13 ta-
bernaculum non manu hominum fa-
ctum, neque huius terreſtris habita-
tionis, ſed à Deo expanſum, & fixum,
nempe cœlum; neque cum ſanguine
hircorum, aut vitulorum, ſed cum
proprio ſanguine, quem pro nobis ef-
fudit, introiuit 14 ſemel in ſancta, &
æternam nobis obtinuit redemptio-
nem: ſi enim ſanguis hircorum, &
taurorum, & cinis vitulæ concre-
matæ in holocauſtum emundare po-
tuit carnem à contaminatione corpo-
rali, qua quis cenſebatur pollutus ad
ſacra peragenda, quanto potiori ra-
tione ſanguis Chriſti, qui cum eſſet
Pontifex ſemetipſum obtulit Deo per
Spiritum ſanctum in ſacrificium, e-
mundabit conſcientias noſtras à pec-
catis, quæ ſunt opera mortua, vt ita
emundati, & renouati ſeruiamus Deo
viuenti? 15 Cum igitur ſanguis eius
emundare poſſit conſcientias noſtras
à peccatis, quod antiquarum victi-
marum ſanguis efficere non potuit,
16 ideo Chriſtus noui Teſtamẽti gra-
tiæ 17 autor exiſtens mediator eſt
inter nos, & Deum, vt morte ipſius
intercedente in pretium; & redem-
ptionem peccatorum, 18 quæ virtu-
te antiquæ legis, & teſtamenti deleri
non potuerunt, repromiſſionem acci-
piãt æternæ beatitudinis, qui ad eam
fidem vocati ſunt; ideo autem inter-
cedere debuit mors Chriſti, qui autor
fuit noui Teſtamenti, quia vbi Teſta-
mentum conditum fuerit, vt vim ha-*

 beat,

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

1. Præcepta colendi Deum dicuntur iustificationes, ficut etiam in Psalmis, quæcunque præcepta ita appellantur, quod obseruantes illa iustificarentur, tametsi obseruatio eorum non ex vi ipsius literę, sed ex vi spiritus gratiæ esse deberet, vt notaui 1.2.disp.183. cap.2.

2. Addidimus hunc numerũ claritatis gratia, cum deinde sigillatim ostendat Paulus tres partes Templi, & loci designati ad cultum Dei.

3. In tres partes diuidit locum Templi ad sacrificium designatum; prima pars erat atrium subdio, & dicebatur ædes mundana; quam ideò vocat Paulus sanctum sęculare, quia illuc etiam Gentiles, & Ethnici ingrediebantur, & in hoc erat æneum altare sacrificiorum, secundo erat tabernaculum prius de quo inquit Paulus; *Tabernaculum enim factum est primum*, in eo autem non mactabantur, nec immolabantur victimæ, quid autem in eo esset, dicit Paulus in textu, dicebatur autem sancta. Tertio erat tabernaculum posterius, quod dicebatur Sancta Sanctorũ, ita notat Oecumenius in hunc locum, & ex ipsa Scriptura veteri constat, hunc triplicem locum in templo dixit Paulus, vt patet in textu.

4. Totum hunc numerum suppleuimus claritatis gratia, cum enim dicat deinde Paulus post secundum velamentum fuisse tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, nempe posterius tabernaculum, planè indicat fuisse aliud primum velamentum.

5. Vocem *secundum* quidam referunt ad tabernaculum, vt sensus sit post velamentum erat tabernaculum secundum. Verum cum in Gręco illa vox *secundum* sit neutrius generis, & velamentum similiter, at verò vox *tabernaculum* sit fœminini generis, non potest vllo modo vox *secundum* ad *tabernaculum*, sed ad *velamentum* referri. Adde, quod in Gręco ad literam sic est, *post secundum velamentum tabernaculum*, & ita vox *secundum* non potest referri ad *tabernaculum*, cum autem Paulus appellat secundum velamentum, indicat, fuisse etiam primum, vt suppleuimus in numero præcedenti: tabernaculum porrò, quod dicitur fuisse post secundum velamentum, & vocabatur Sancta Sanctorum, reuera erat secundum tabernaculum, siquidem ante posuerat Paulus primum.

6. Quo pacto solus summus Pontifex ingrederetur, in posterius tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, constat ex cap.30. Exodi, & Leuitici 16. mactabat autem hostias exterius, & cum sanguine earum ingrediebatur, & adspergebat septies digito contra propitiatorium, & reliqua, quæ ibi fusius dicuntur.

7. Ideò ante aduentum Christi dicebatur nondum patere aditus ad regnum cœlorum, vel quia etiam iusti post mortem illud non ingre-

Digitized by Google

diebantur, donec Christus corpore & anima intraret, vel quia licet reuera tunc essent iusti propter merita Christi, qui haberent ius ad regnum cœlorum, tamen cum nondum esset solutum pretium nostræ redemptionis, nondum dicebatur diabolus victus vt 3. parte, disp. 77. cap. 6. vberius dictum est, quamuis enim meritum Christi in spe effectum habuerit ab initio mundi, tamen tunc dicitur facta redemptio, cum Christus pretium actu persoluit.

8. Sanctorum via eo loco non denotat viam virorum Sanctorum, sed viam cœli, quod dicitur à Paulo Sancta Sanctorum in hoc capite.

9. Quidam ita exponunt, quæ parabola, vel similitudo vsq; ad tempus præsens durauit, eo quod in Græco dicatur εἰς τὸν καιρὸν ἐνεστηκότα, illud autem εἰς, Latine reddunt, *vsque ad*, ego verò existimo illud εἰς, sumi in propria significatione pro *in*, vt sit sensus, quem sequuti sumus in paraphrasi, ac si ad literam diceremus, quæ parabola est in tempus instans, & hoc modo retinemus lectionem vulgatam, idem enim est esse parabolam huius temporis, & in hoc tempus, vel respiciens hoc tempus.

10. Parabola in eo est, quod inferius dicit Paulus de ingressu Christi in cœlos post effusum sanguinem suum.

11. Tempus correctionis erat tempus Christi, qui illas cæremonias correcturus erat.

12. Hic applicat parabolam, & figuram summi Sacerdotis ingredientis in Sancta Sanctorum semel in anno.

13. Per tabernaculum non manufactum intelligunt alij corpus conceptum sine ope viri ex visceribus virginis, multo tamen melius quadrat cum principio capitis, & cum toto contextu, vt intelligamus cœlum, de quo dixerat in principio Paulus, quod fixit Deus, & nō homo.

14. Pro *semel in anno*, quod dixit de summo Sacerdote Aaronico, Christus semel tantum ingressus est, eo quod semel tantum ingrediens inuenit, & peregit redemptionem, quam Sacerdos summus Leuiticus perficere nō poterat, vt inferius dicit Paulus, quomodo autem ingressus sit cum proprio sanguine inferius dicetur num. 27.

15. Suppleuimus totum hunc numerum, vt clarius congrueret causalis *ideo*, quæ est in sequenti.

16. Indicat causam præcedentem, ob quam Christus fuit mediator noui Testamenti.

17. Christus non solum mediator noui Testamenti inter nos, & Deum, sed etiam autor fuit, quia autor fuit gratiæ, per quam inter nos, & Deum inimicitias composuit, & ideo addidimus illud *mediator existens*, neque est præter mentem Pauli, nam inferius appellat Christum testatorem, testator autem autor est testamenti.

 18. Fuis-

18 Fuisse prænaricationes sub priori testamento idem est, quod adhuc cum illo permansisse, hoc est virtute illius non fuisse deletas, licet virtute Christi sub priori testamento, hoc est, ante aduentum Christi multi consecuti fuerint remissionem peccatorum, iuxta id, quod dicitur ad Rom, 5. *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo, &c.* vt nos ibidem exposuimus.

19. Suppleuimus hunc numerum claritatis gratia, & vt rationem Pauli integram conficeremus.

20. Repetit rationem ob quam Christus mori debuit.

21. Ostendit in promulgatione veteris Testamenti veluti in figura etiam mortem intercessisse, quamuis non ipsius testatoris, quod pro figura noui Testamenti satis fuit.

22. Suppleuimus hunc numerum per repetitionem, vt ostenderemus vim rationis Pauli, & particulæ illationis *ergo*.

23. Cœlestia vocat hic non cœlum ipsum, neq; Angelos, hi namque non erant emundandi sanguine Christi; sed conscientias nostras, & spiritus, quorum emundatio pertinebat non ad templum huius habitationis, in quod Leuitici Sacerdotes ingrediebantur, sed ad cœleste, in quod solus Christus cum sanguine victimæ pretiosæ ingressurus erat.

24. Suppleuimus hunc numerum, vt clarius appareret connexio causalis *enim*, quæ est in sequenti numero.

25. Causalis *enim*, rationem reddit, ob quam vocauerit cœlestia conscientias nostras in num. 23.

26. Illud *Verorum*, conuenit cum *Sanctorum*; quod suppleri debet, vox autem *Sanctorum*, sumitur hoc loco sicut supra num. 7. pro tabernaculo, quod dicitur Sancta Sanctorũ, cui si adiungas *Verorum*, denotat cœleste tabernaculum, cuius vmbra, & figura erat terrestre: alludit autem ad id, quod dixerat initio capitis, & nos in paraphrasi expresśimus, nempe quod fixit Deus, & non homo.

27. Christus ingrediens in cœlum non sacrificat, neque denuo orat, sed tantum apparet, & antiquam oblationem sui factam in hoc mundo continuo fine nouis precibus præsentat patri, & hoc solum sensu dicitur introiisse in tabernaculum cœleste in proprio sanguine, non quod illum effundat iterum in cœlo, sed quod eum præsentet, cur autem denuo non oret in cœlo, fusius ostendimus 3. part. disp. 82. cap. 2. verè autem cœlum comparatur tabernaculo templi terrestris, nam sicut Sacerdos mactabat hostiam in atrio exteriori templi subdito, & cum sanguine victimæ ingrediebatur tabernaculum secundum, ita Christus se obtulit in hoc mundo, sed post mortem se ipsum conspectui patris in cœlo præsentauit, discrimen autem est, quod sacerdos ef-

Digitized by Google

28. Rectè probat sufficientem fuisse vnam Christi oblationem, nec debuisse eam iterari, nam si vna satis fuit pro omnibus antiquis, nec repetita fuit ab origine, sufficiens etiam erit pro futuris post ipsam, nec iterari debebit.

29. Ad destructionem Græcè est εἰς ἀθέτησιν, quod idem est atque Latinè ad extinctionem, vel improbationem seu abrogationem, deriuatur autem à verbo Græco ἀθετέω, quod est abrogatione irritum facere, opponitur autem ἀθετέω τῷ τιθέναι, hoc est, ponere, & statuere, & ideo transtulit vulgatus destitutionem peccati, quasi contrarium ei, quod est statuere peccatum, hoc autem est destruere ipsum. Anselmus exposuit sic, ad hoc, vt deorsum statueret peccatum, ne supra nos, sed subter nos esset, sed vim vocabuli Græci non videtur attendisse, tametsi sensus eòdem recidat.

30. Peccatum hoc loco est hostia pro peccato, sicut etiam 2 ad Cor. 5.

31. Expectantes hic appellat iustos, hi enim expectant aduentum Christi recepturi ab eo mercedem, iniqui verò non expectant, sed potius timent, noluit autem hoc loco facere mentionem Paulus malorum, & pœnæ, quæ ipsos manet, sed tantum bonorum, & retributionis quia suo instituto sufficiebat bonorum meminisse.

ARGVMENTVM
CAPITIS X.

IN hoc capite duo agit Paulus. Primum reddit rationem ob quam hostiæ antiquæ etiam oblatæ à summo Sacerdote toties repeterentur, vna autē Christi oblatio sufficiens fuerit pro omnibus, sicut dixerat capite præcedenti, vt inde etiam ostendat dignitatem sacerdotis Christi, qua antiquis sacerdotibus, & Pontificibus antecellit. Deinde redit ad id,

quod

Digitized by Google

quod proposuerat capite 3. & 4. & iterum exhortatur, vt considerata dignitate tanti sacerdotis Christi teneant spei, quam sunt professi, confessionem, & cum fiducia ad Deum accedant, reliqua enim capita insumpsit Paulus, vt dignitatem sacerdotij Christi Hebraeis demonstraret, ne forte allecti dignitate sacerdotij Leuitici retrocederent.

Caput X.

1 VMbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: per singulos annos eisdē ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos face-
2 re: alioquin cessassent offerri, ideò quod nullam haberent vltra conscietiam peccati, cultores se-
3 mel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per singu-
4 los annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum
5 auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem a-
6 ptasti mihi. Holocautomata, & pro peccato, non tibi placuerunt.
7 Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam
8 Deus voluntatem tuam. Superius dicens: Quia hostias, & oblationes, & holocautomata pro pecca-

Paraphrasis.

IDeo autem antiqua sacrificia toties repetebantur, 1 quia cum lex illa 2 vmbram, & figuram solum haberet futurorum bonorum, nempe gratiae, & non contineret ipsam veritatem, nunquam 3 potuit perficere, & emundare conscientias hominum eisdem hostiis, quas per singulos annos incessanter offerebant sacerdotes, 4 alioquin si vna hostia semel in anno oblata sufficiens fuisset ad conscientias emundandas, nulla amplius denuò offerretur, eo quod offerentes illam 5 nullum iam sentirent in se peccatum, quod nouo remedio indigeret. Atqui virtute ipsorum sacrificiorum, quae quotannis repetebantur, nō remittebantur peccata, sed in ipsis profitebantur homines se peccasse, & redemptore indigere, 6 impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum tanquam suffi-

peccato noluisti, nec placita sunt
tibi, quæ secundum legem offe-
9 runtur, tunc dixi: Ecce venio vt
faciam Deus voluntatem tuam:
aufert primum, vt sequens sta-
10 tuat. In qua voluntate sanctificati
sumus, per oblationem corporis
11 Iesu Christi semel. Et omnis qui-
dem sacerdos præsto est quotidie
ministrans, & easdem sæpe offe-
rens hostias, quæ non possunt
12 auferre peccata: hic autem vnam
pro peccatis offerens hostiam, in
sempiternum sedet in dextera
13 Dei, de cætero expectans, donec
ponantur inimici eius scabellum
14 pedum eius. Vna enim oblatio-
ne, consummauit in sempiternũ
15 sanctificatos. Contestatur autem
16 nos, & Spiritus Sanctus. Post-
quam enim dixit: Hoc autem te-
stamentum, quod testabor ad il
los post dies illos, dicit Dominus,
Dabo leges meas in cordibus eo-
rum, & in mentibus eorum in-
17 scribam eas: & peccatorum, & i-
niquitatum eorum iam non re-
18 cordabor amplius. Vbi autem ho-
rum remissio: iam non est obla-
19 tio pro peccato. Habentes itaque
fratres fiduciam in introitu San-
20 ctorum in sanguine Christi: quã
initiauit nobis viam nouam,
21 & viuentem per velamen, id est,
carnem suam, & Sacerdotem ma-
22 gnum super domum Dei; acceda-
mus cum vero corde in plenitu-
dine fidei, aspersi corda à consci-
entia

sufficienti pretio gratiam obtineri, vt purgentur peccata. 7 *Quia igitur nullum antiquum sacrificium vim habuit redimendi ac liberandi nos, qui captiui tenebamur, & redemit à seruitute peccati.* 8 *Ideò Christus simul atque ingressus est in mundum, ad Deum dixit illud Psalm.* 39. Hostiam & oblationem noluisti, 9 *nempe brutorum animantiũ pro pretio redemptionis humani generis,* corpus autem, *humanitatis meæ* adaptasti mihi, *in sacrificium dignum tanta redemptione,* holocautomata, & pro peccato non tibi placuerunt, *nempe vt mererentur hominum redemptionem,* tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. *Cum dicit primum noluisse Deum holocautomata pro peccato, nec placita illi fuisse, quæ offerebantur secundum legem, & deinde addit,* ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam, *apertè excludit prius illud sacrificium tanquam minus sufficiens ad hominum redemptionem, & posterius sacrificium videlicet corporis sui tanquam dignum nostra redemptione confirmat,* 10 *in ea verò voluntate Dei, quam vt Christus faceret venit, redemptionis, & sanctificationis* 11 *gratia præparata est nobis per oblationem corporis Iesu Christi semel tantum exhibitam.* 12 *& quidem cum antiqua sacrificia toties repeterentur, omnis sacerdos*

entia mala, & abluti corpus aqua
23 munda, teneamus spei nostræ
confessionem indeclinabilem (fi-
24 delis enim est qui repromisit,) &
consideremus inuicem in prouo-
cationem charitatis, & bonorum
25 operum: non deserentes colle-
ctionem nostram, sicut consue-
tudinis est quibusdam, sed con-
solantes, & tanto magis quanto
videritis appropinquantem diem.
26 Voluntariè enim peccantibus
nobis post acceptam notitiam
veritatis, iam non relinquitur
27 pro peccatis hostia, terribilis au-
tem quædam expectatio iudicij
& ignis æmulatio, quæ consum-
28 ptura est aduersarios. Irritam quis
faciens legem Moysis: sine vlla
miseratione, duobus vel tribus
29 testibus moritur. Quanto magis
putatis deteriora mereri suppli-
cia, qui Filium Dei conculcaue-
rit, & sanguinem testamenti pol-
lutum duxerit, in quo sanctifica-
tus est, & Spiritui gratiæ contu-
30 meliam fecerit? Scimus enim
eum qui dixit: Mihi vindictam,
& ego retribuam. Et iterum: Iu-
dicabit Dominus populum su-
31 um. Horrendum est incidere in
32 manus Dei viuentis. Rememo-
ramini autem pristinos dies: in
quibus illuminati, magnum cer-
33 tamen sustinuistis passionum: &
in altero quidem opprobriis, &
tribulationibus spectaculum fa-
cti: in altero autem socij taliter
con-

sacerdos Leuiticus constanter 13
stabat, vt quotidie ministraret, &
easdem hostias sæpius offerret, quæ
non poterant auferre peccata, hic
autem noster sacerdos Christus post-
quam vnam hostiam obtulit, in sem-
piternum sedet iam ad dexteram Dei,
neque stat more ministri, sed solum
sedens expectat, donec ponantur ini-
mici eius scabellum pedum suorum,
vna enim sola oblatione cruenta am-
plius cruentè non repetenda consum-
mauit sanctificationem, & redem-
ptionem nostram, & ideo non stat
more ministrantis, sed sedet. 14 *Por-*
rò autem abolenda fuisse peccata no-
stra hac vna oblatione, contestatur
Spiritus sanctus Hieremiæ 31. post-
quam enim dixit, hoc autem testa-
mentum, quod testabor ad illos: Post
dies illos, dicit Dominus, dabo
leges meas in cordibus eorum,
& in mentibus eorum superscri-
bam eas, & peccatorum, & ini-
quitatum eorum iam non re-
cordabor amplius. *Promisit ergo*
Deus veram peccatorum remissio-
nem in testamento nouo, vbi autem
peccatorum remissio obtinetur, iam
non est necessaria noua oblatio, &
sacrificium 15 *pro merito redem-*
ptionis peccatorum. 16 *Haben-*
tes itaque fratres fiduciam salutis
nostræ, quam collocatam habemus
in introitu, quo Christus ingressus
in Sancta 17 *Sanctorum cæli cum*
proprio sanguine 18 *per velamen,*
Cc hoc

Digitized by Google

34 conuersantium effecti. Nam,&
vinctis compassi estis: & rapinam
bonorum vestrorum cum gau-
dio suscepistis, cognoscentes vos
habere meliorem, & manentem
35 substantiam. Nolite itaque amit-
tere confidentiam vestram, quæ
magnam habet remuneratiōnē.
36 Patientia enim vobis necessaria
est: vt voluntatem Dei facientes,
37 reportetis promissionem. Adhuc
enim modicum aliquantulum-
que, qui venturus est veniet, &
38 non tardabit: iustus autem meus,
ex fide viuit: quòd si subtraxerit
39 se, non placebit animæ meæ. Nos
autem non sumus subtractionis
filij in perditionem, sed fidei in
acquisitionem animæ.

hoc est, per carnem suam primus viam nobis aperuit nouam, 19 *& viuentem: habentes quoque sacerdotem nostrum magnum Iesum Christum domui* 20 *Dei præpositum, accedamus cum vero corde, & plena fide, à conscientia iniqua aspersam mentem, & corda habentes, & abluti corpore aqua munda Baptismi, spei nostræ confeßionem constantem, & minimè nutantem retineamus. Fidelis enim est Deus, qui repromisit præmium,* 21 *& consideremus nos inuicem, quod vnius sacerdotis populus simus, vt ad mutua charitatis officia, & bona opera prouocemur, non deserentes Societatem, & communicationem nostram, tum corporum, tum animorum, sicut aliqui consueuerunt facere, consolantes nos inuicem, & eo magis, quod viderimus propinquiorem esse diem iudicij, & rationis, quam Deo reddere debemus: iis enim qui postquam à peccatis iustificati, & postquam notitiam veritatis consecuti sunt, voluntariè iterum peccant, quod superest non est* 22 *noua oblatio Christi cruenta, sed terribilis iudicij* 23 *timor, & ignis, qui quasi* 24 *Zelo vindictæ accensus consumet aduersarios Christi, nempe peccatores.* 25 *Quod si transgressor legis datæ per Moysen absque vlla miseratione, & remisione conuicitus duobus, aut tribus testibus morte corporis damnatur, quanto magis existimare debetis maiora mereri supplicia* 26 *eum, qui filium Dei pro nobis mortuum contempserit, & sanguinem noui testamenti, quem pro nobis effudit, & cuius virtute sanctificati sumus* 27 *communem, & vilem esse sicut aliorum animalium existimauerit, & spiritui gratiæ, quem Christus nobis meruit hanc contumeliam fecerit? scimus enim eum, qui dixit:* 28 Mihi vindictam, & ego retribuam. *Deuter.* 32. 29 *non esse hominem, sed Deum: & iterum,* iudicabit Dominus populum suum: *horrendum est incidere in manus Dei viuentis, vt vlciscatur peccata in se commissa, maltò magis, quam incidere in manus hominum, qui vlciscantur legis transgreßionem pœna etiam mortis corporalis.* 30 *Vt autem*

in

in meliorem spem animus vester erigatur, rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati fide Baptismi magnum certamen sustinuistis tribulationum, 31 *partim quidem opprobriis, & tribulationibus expositi, ita vt spectaculum omnibus essetis in derisum, & contemptum; partim verò eorum, qui in similibus versabantur socij effecti, siquidem,* 32 *& vinctis compaßi estis, & bonorum vestrorum* 33 *proscriptionem alacri animo tolerastis, credentes vos habere repositas in cœlo meliores, & incorruptibiles diuitias, nolite itaque amittere confidentiam vestram, cui magna remuneratio parata est, licet tardare vobis videatur: patientia enim vobis necessaria est, vt interim dum differtur remuneratio, voluntatem Dei facientes, suo tempore promissum præmium consequamini, adhuc enim modicum, aliquantulumque superest temporis, post quod Christus, qui venturus est, ad iudicandum veniet, & non tardabit:* 34 *iustus autem, vt dicitur Abacuc 2. interim spiritu fidei, & spei alitur, & viuit.* 35 *Quod si se ab hac expectatione, & fide subtraxerit, non placebit mihi, dicit Dominus, nos autem non sumus* 36 *filij incredulitatis, quæ in perditionem ducit, sed fidei, vt animas nostras Deo acquiramus.*

ANNOTATIONES.

1. Causalis *enim* indicat causam, ob quam repeterentur sacrificia antiqua per singulos annos, vt superiori capite dixerat Paulus, quæ vt melius intelligeretur, suppleuimus pauca illa verba præcedentia, quę continent sententiam præcedentis capitis, ad quam prædicta particula refertur.

2. Vmbram accipit Gregorius Nazianzenus pro figura ænigmatica, quæ remotè repræsentat, imaginem verò pro similitudine, quæ propinquius rem exprimit, futura autem bona inquit esse gaudia æterna cœlestis patriæ, inquit ergo legem antiquam fuisse vmbram horum bonorum, legem autem Euangelicam, & gratiæ fuisse imaginem. Verùm hoc modo non videtur rectè assignata causa, ob quam repeterentur in antiqua lege sacrificia, in noua verò non item. Expositio verò, quam secuti sumus in paraphrasi, est Chrysost. & aliorum Græcorum in eum locum, iuxta quam rectè per futura bona intelligitur gratia, quam solùm figurabat lex vetus, & antiqua sacrificia, lex autem noua, & sacramenta ipsius re ipsa continent. Vsurpat autem Paulus imaginem Græcè εἰκών, pro ipso prototypo, & veritate, sicut ὑπόδειγμα, Latinè exemplar, aliquando sumit vno, aliquando alio modo, vt diximus cap. 8. num. 8.

Digitized by Google

3. Perficere hoc loco idem est, quod iustificare, vt dici solet in schola, quoad sufficientia, hoc est, mereri gratiam, qua quis si velit iustificari possit.

4. Iuxta sensum expositum rectè infert Paulus non fore repetendam eandem hostiam, si illa sufficiens esset, nempe si sufficienter mereretur nobis gratiam, qua à peccatis emundari possemus.

5. Nullam habere conscientiam peccati hoc loco non est idem, quod actu emundatum esse aliquem à peccato; sed idem, quod habere sufficiens pretium pro obtinenda gratia ad remissionem peccati, quod in schola dici solet, remissum esse peccatum quoad sufficientiam, alioqui ratio Pauli vim non haberet; quia reuera sacerdotes Leuitici aliquando verè putabant remissa esse peccata in illis sacrificiis. Hic tamen obseruandum est alio modo repeti in lege Euangelica sacramenta, & sacrificium Christi incruentum, hæc enim non sunt causa vniuersalis, quæ mereatur nostram redemptionem, sed sunt particulares causæ, quibus meritum vniuersale passionis Christi nobis denuo applicatur pro nouis peccatis, quare si antiqua sacrificia vim haberent vniuersalis meriti ad redemptionem, non repeterentur, de hac tamen re fusius diximus 3. part. disp. 84. cap. 1. & in tractatu de sacrificio Missæ dicemus. Mutauimus autem tempus præsens in præteritum in his, quæ dicuntur de lege antiqua, vt clarius constet sensus Pauli, qui sæpe vnum tempus pro alio ponit.

6. Cum sacrificia veteris legis essent opera virtutis ex gratia Christi, & in hominibus iustis, si rectè fierent, essent meritoria vitæ æternæ, erat sine dubio in illis iustitia operum, qua iusti magis sanctificabantur, & hoc illis non negat Paulus, sed negat illis vim meriti vniuersalis pro impetranda prima gratia pro toto genere humano, & pro quolibet illorum, & ita eis negat meritum redemptionis nostræ, illudq; tribuit merito Christi.

7. Suppleuimus, & repetiuimus numerum illum, vt clarius appareret vis causalis particulæ *ideo*, quæ in sequenti numero ponitur.

8. Particula *ideo* reddit causam, ob quam Christus se obtulerit in sacrificium, & ad patrem dixerit verba illa Psalmi 39.

9. Omnia sacrificia tanquam bona opera Deo placent, & hac ratione non dicitur nolle illa Deus, duobus autem modis dicitur in Scriptura Deus illa nolle, vel quia malè fiant, sicut testatur Isaias cap. 1. vel quia minus sufficientia ad pretium redemptionis generis humani, vt in his locis citatis à Paulo in hoc capite.

10. Per illud *qua voluntate*, aliqui recentiores Theologi intelligunt voluntatem Christi, qua se Patri obtulit, vt probent in primo instanti redem-

redemptionem nobis meruisse, Græci tamen, Anselmus & S. Thomas intelligunt de voluntate Dei, de qua dixerat in Psalm. *Vt facerem voluntatem tuam*, hæc autem est voluntas sanctificationis nostræ, vt dicitur 1. ad Thess. 4. & 6.

11. Cum dicit nos fuisse sanctificatos per eam voluntatem, intelligit, vt sæpe aliâs in hoc capite, quoad sufficientiam redemptionis, de hac enim agit Paulus in hoc capite, tametsi eadem etiam voluntate efficaciter iustificentur, quicunque iustificantur.

12. Ex discrimine sacrificiorum antiquorum, & Christi colligit discrimen inter Sacerdotes antiquos, & Christum, quod attinet ad ministerium.

13. Græcè est ἕστηκε, quod significat constãter stare, & ideo rectè transtulit vulgatus *præsto esse* est autem proprium ministrantis, vel parati ad ministrandum, nam qui ministerio iam functus est, incipit sedere: & ita opponit Christum Sacerdotibus Leuiticis, quod illi semper essent parati ad repetenda sacrificia, & ita stantes, Christus autem iam sedeat functus ministerio sacrificij cruenti, quod non est iterandum eo modo, quo semel exhibitum fuit, nempe cruentè: eodem modo loquitur Paulus supra cap. 7. num. 24.

14. Probat id quod de sacrificio Christi, & Testamento nouo dixerat, nempe habuisse virtutem delendi verè peccata, testimonio Ieremiæ.

15. Non negat repeti idẽ sacrificium Christi in altari incruento modo: illud enim exhibitum modo incruento, non est meritum redemptionis nostræ, sed causa quædam particularis per quam applicatur vniuersale meritum cruenti sacrificij, sicut sunt Sacramenta, cruento autem modo oblatum fuit vniuersale meritum nostræ redemptionis, & gratiæ per causas particulares nobis conferendæ, ideo addidimus in paraphrasi illud, *Pro merito redemptionis peccatorum*. De hoc loco latè egimus 3. part. disp. 84. cap. 1.

16. Redit ad id quod cap. 3. & 4. proposuerat, nempe pergit exhortari eos ad perseuerantiam ex eo, quod talem habeant Pontificem, qui in Sancta Sanctorum cœli introiuit, & viam nobis præparauit.

17. *Sanctorum*, ibi non significat sanctos viros, qui ingressi sunt cœlum, sed Sancta Sanctorum, & ibi solum loquitur de introitu Christi in Sancta Sanctorum cœli.

18. Comparat carnem Christi velamini, quo Sancta Sanctorum diuidebantur à priori tabernaculo, & per quod ingrediebatur Sacerdos, nam ratione illius, Christus solus erat in hoc mundo extra cœlum, & ab eo diuisus, & postea cum illa ingressus est in Sancta Sanctorum cœli & ideo dicit per illam ingressum fuisse Christum.

Digitized by Google

19. Per viam viuentem intelligit planam, & nunquam abolendam.

20. *Super domum*, dixit quasi præpositum, quia iam non erat in statu ministrandi, sed sedens ad dexteram Patris præsidebat in cœlo.

21. Ita exponunt Græcanica scholia.

22. Per nouam oblationem aliqui intelligunt baptismum, per quem homines commoriuntur pro Christo, vt ostendat Hebræis non posse eos amplius per baptismum renouari, verum cum illis post peccatum voluntarium superesset Sacramentum absolutionis, argumentum Pauli parum haberet momenti ad exhortandum Iudæos, vt non peccarent, ex eo quod non superesset alius baptismus, solum igitur ostendere illis voluit Christum iam consummasse opus redemptionis vnica cruenta oblatione sui, & ita non superesse nouam victimam, sed solum iudicium, quod ipse sedens ad dexteram patris expectat, donec ponantur inimici eius, qui peccauerunt, sub scabello pedum suorum, vt dixerat numero decimo quarto, & ita causalis *enim*, reddit causam ob quam exhortetur D. Paulus Hebræos, vt in sua confessione perseuerent.

23. Expectationem, quæ pertinet ad spem, posuit pro timore, sicut etiam spes aliquando ponitur, nam spes communiter est boni, timor autem mali futuri.

24. Æmulationem ignis vocat metaphoricè, quia quasi zelo iustitiæ vindictam sumet de peccatoribus.

25. Quamuis transgressor legis Moysis mereretur æternam pœnam à Deo infligendam, sicut quicunque peccator, hic tamen solum comparat pœnæ corporali, quę transgressoribus infligebatur, pœnam æternam, quam meretur ille, qui contra Christum delinquit.

26. Hic non loquitur de quouis peccato mortali, quo peccator communi quadam ratione dicitur contemnere Christum, & sanguinem illius conculcare, sed de peccato à quo Paulus Hebræos deterrere conabatur, nempe infidelitatis, ne putarent Christi sanguinem inutilem, & communem fuisse, siquidem in tota epistola exhortatur eos, vt teneant spei suæ confessionem, quam semel professi sunt.

27. Pro *polluto* Græcè est *κοινὸν*, Latinè communis, communia autem Hebræis eadem erant, atque immunda, qua ratione Petrus, Actor. 10. dixit, *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum*, & sæpius hæc duo coniungit in eodem capite, in Græco autē pro communi est *κοινὸν*, pro immundo autem est *ἀκάθαρτον*.

28. Vulgatus legit, *mea est vltio, & ego retribuam*.

29. Suppleuimus illud, *non esse hominem sed Deum*, quod ipse contextus postulare videbatur, siquidem assignat discrimen Paulus inter vindictam, quam assumit homo, & quam sumit Deus de transgressoribus legis.

30. In

30. In meliorem eos spem erigit ex memoria bonorum operum, quæ fecerunt.

31. Cum ostendat duo genera certaminum, quæ sustinuerunt Hebræi, ideò dicit in altero, & in altero.

32. Græca exemplaria habent, *nam & meis vinculis compaßi estis*, ex quibus verbis colligit Valla huius epistolæ autorem fuisse Paulum, sensus tamen eòdem recidit.

33. Per rapinam intelligit proscriptionem bonorum.

34. Hoc testimonio vsus est Paulus ad Romanos 1. vt ostendat fidem esse initium vitæ spiritualis, hic etiam eodem sensu allegat illud, nisi quod hic loquitur de vita non quacunque, sed perseuerante vsque in finem. Eadem autem ratio est vtriusque vitæ spiritualis, nempe quæ aliquando durat, & quæ perseuerat vsque in finem, vtraque enim per fidem gignitur eo modo quo 1.2. disputatione 210. capite 6. & 7. fusius explicauimus, hic etiam cum fide coniungit spem; hæc enim fidem futurorum bonorum consequitur, exhortatur enim Hebręos, vt patienter sperent, eadem autem est ratio vtriusque quod attinet ad sustentandam vitam.

35. Verba sunt Dei, quem Paulus introducit loquentem.

36. *Filij subtractionis*, est Hebraismus, sicut etiam, *filij fidei*, & significat eos, qui se subtrahunt à fide, hoc est incredulos, & desperantes, sicut etiam filij fidei dicuntur fideles, & filij perditionis homines perditi.

ARGVMENTVM
CAPITIS XI.

POstquam de dignitate sacerdotis Iesu Christi, & nouo Testamento in præcedentibus Paulus fusè disputauit, vt ad perseuerantiã in Christianæ fidei confeßione Hebræos exhortaretur, in calce præcedẽtis capitis iuxta instituti sui rationẽ monet eos, vt aduersa, opprobria, & tribulationes patienter sustineant, expectantes abundantẽ remunerationis pro-

promißionem, siquidem iustus interim dum non habet id, quod promittitur, spiritu fidei alitur & sustentatur, ipsi autem sunt filij fidei, non autem subtractionis: in hoc igitur capite naturam, virtutem, & efficacitatem huius fidei, ad quam Hebraos fuerat exhortatus, & cuius filios esse dixerat, ex professo describit, agit autem in eo non solum de fide, quam vocant particularem, & miraculorum, vt volunt haeretici nostri temporis, sed etiam de fide Catholica, & historiali seu dogmatica, vt 1. 2. disputat. 210. ex hoc capite vberius ostendimus, & in ipso decursu epistola patebit, in ea porrò disput. & sequenti multa de fide vniuersali, & particulari, & quo pacto ei tribuatur iustificatio, & inter se differant, diximus.

Capvt XI.

1 Est autem fides, sperandarum
substantia rerum, argumen-
2 tum non apparentium. In hac e-
nim testimonium consecuti sunt
3 senes. Fide, intelligimus aptata
esse secula Verbo Dei: vt ex inui-
4 sibilibus visibilia fierent. Fide,
plurimam hostiam Abel, quàm
Cain, obtulit Deo: per quam te-
stimonium consecutus est esse
iustus, testimonium perhibente
mune-

Paraphrasis.

Est autem fides 1 ad quam vos exhortatus sum, & qua iustus viuit interim dum praemium differtur, 2 per quam res quas speramus à Deo, & nondum habemus, interim in nobis subsistunt, 3 ostensio quoque, & conuictio 4 eorum, quae non videntur, 5 haec inquam est fides per quam dixi iustos viuere, & placere Deo, veteres 6 enim patres hac fide bonum testimonium apud Deum consecuti

Digitized by Google

muneribus eius Deo, & per illam
5 defunctus adhuc loquitur. Fide,
Enoch translatus est ne videret
mortem, & non inueniebatur:
quia transtulit illum Deus, ante
trãslationem enim testimonium
6 habuit placuisse Deo. Sine fide
autẽ impossibile est placere Deo.
Credere enim oportet acceden-
tem ad Deum, quia est, & inqui-
7 rentibus se remunerator sit. Fide,
Noë responso accepto de iis quæ
adhuc non videbantur: metuens,
aptauit arcam in salutem domus
suæ, per quam damnauit mun-
dum: & iustitię, quę per fidem est,
8 hæres est institutus. Fide, qui vo-
catur Abraham, obediuit in lo-
cum exire, quem accepturus erat
in hæreditatem: & exiit: nesciens
9 quò iret. Fide demoratus est in
terra repromissionis, tanquam in
aliena, in casulis habitando cum
Isaac, & Iacob, cohæredibus re-
10 promissionis eiusdem. Expecta-
bat enim fundamenta habentem
ciuitatem, cuius artifex, & con-
11 ditor Deus. Fide, & ipsa Sara ste-
rilis virtutem in conceptione se-
minis accepit, etiam præter tem-
pus ætatis: quoniam fidelem cre-
didit esse eum qui repromiserat.
12 Propter quod & ab vno orti sunt,
(& hoc emortuo) tanquam syde-
ra cœli in multitudinem, & sicut
arena, quæ est ad oram maris in-
13 numerabilis. Iuxta fidem defun-
cti sunt omnes isti, non acceptis
repro-

secuti sunt, est igitur 7 conuictio eorum, quæ non videntur, 8 & hypostasis eorum, quæ speramus, per illam enim 9 aptata, & præparata fuisse 10 tempora, vt sub eis hæc rerum vniuersitas, quæ inuisibilis ante tempora erat 11 eo quod nihil omnino esset, deinde producta, & de non esse ad esse quasi de tenebris ad lucem vocata visibilis appareret. 12 Fide ductus Abel copiosiorem, & præstantiorem hostiam obtulit Deo, 13 quam Cain, per quam 14 fidem testimonium à Deo accepit iustitiæ suæ, dum videlicet Deus ostendit sibi ea munera placuisse, atque per illam victimam tali fide oblatam defunctus 15 etiam loquitur, postulãs nimirum vindictam à fratre suo, qui ipsum ex inuidia occidit, quod videret eum à Deo exauditum fuisse. Fide ductus Enoch ita placuit Deo ambulans coram eo, vt 16 meruerit absque morte transferri ab hac vita mortali in alium statum fœlicem. 17 Porrò ipsum placuisse Deo antequam transferretur, testatur Scriptura Genes. 5. Eccles. 44. sine fide autem impossibile est placere Deo, 18 siquidem is, qui Deum religiosè vt oportet, colit, eiusque obsequitur voluntati, credere debet, & quod Deus sit, & quod inquirentibus ipsum præmia æterna largiatur. Fide etiam excitante Noë postquam accepit 19 oraculum de diluuio futuro, quod nondum 20 viderat nec suspicari vllo modo poterat, timens illud,

 fabri-

repromissionibus: sed à longè eas
aspicientes, & salutantes, & con-
fitentes quia peregrini, & hospi-
14 tes sunt super terram. Qui enim
hæc dicunt, significant se patriam
15 inquirere. Et si quidē ipsius me-
minissent de qua exierunt: habe-
16 bant vtique tempus reuertendi:
nunc autem meliorem appetunt,
id est cœlestem. Ideo non con-
funditur Deus vocari Deus eo-
rum: parauit enim illis ciuitatem.
17 Fide, obtulit Abraham Isaac, cum
tentaretur, & vnigenitum offere-
bat in quo susceperat repromis-
18 siones, (Ad quem dictum est: In
Isaac vocabitur tibi semen.) Ar-
19 bitrans quia, & à mortuis suscita-
re potens est Deus: vnde eum &
20 in parabolam accepit. Fide & de
futuris, benedixit Isaac Iacob &
21 Esau. Fide, Iacob moriens, singu-
los filiorum Ioseph benedixit: &
adorauit fastigium virgæ eius. Fi-
22 de, Ioseph moriens, de professio-
ne filiorum Israël memoratus est:
& de ossibus suis mandauit. Fide
23 Moyses natus occultatus est mē-
sibus tribus à parentibus suis; eò
quòd vidissent elegantem infan-
tem, & non timuerunt regis edi-
24 ctum. Fide, Moyses grandis fa-
ctus, negauit se esse filium filiæ
25 Pharaonis: magis eligens affligi
cum populo Dei, quàm tempo-
ralis peccati habere iucūditatem.
26 Maiores diuitias æstimās thesau-
ro Ægyptiorum improperium
Chri-

fabricatus est arcam, atque per illam
fidem 21 *cæteras gentes incredulas,*
& minimè pœnitentes, quæ ipsum ir-
ridebant, omni damnatione dignas
ostendit, & iustitiæ veræ antiquo-
rum suorum parentum, 22 *quæ non*
ex propria virtute hominis, sed ex
gratia fidei oritur 23 *solus hæres cō-*
stitutus est, reliquis omnibus genti-
bus exhæredatis, ac prætermissis. A-
braham quoque dum à Domino vo-
caretur, vt exiret de patria sua in lo-
cum, quem illi destinauerat in hære-
ditatem, fide impulsus obediuit, &
ita exiit ignorans 24 *quo iret; eadem*
etiam fide ductus commoratus est in
terra sibi, & generationibus suis pro-
missa, 25 *tanquam peregrinus in*
terra aliena, siquidem in casulis, seu
in tentoriis habitauit more viatorū,
& peregrinorum simul cum Isaac, &
Iacob, qui etiam illius terræ hæredes
à Deo constituti erant, neq; enim vl-
lam domum à fundamentis extruxit,
nam expectātes aliam ciuitatem per-
manentem, & firmissimè à funda-
mentis ædificatam, cuius artifex, &
conditor est Deus, nempe cœlum, se
peregrinos esse in hoc mundo osten-
dere volebant. 26 *Fide etiam & ipsa*
Sara naturâ sterilis meruit vim acci-
pere in ipsam seminis constitutionem,
cum id etiam præter tempus ætatis i-
psius esset, eo quod fidelem credidit
esse Deum, qui ei generationem pro-
miserat; propter quam fidem, & ab
27 *vno Abraham sene, & ita emor-*
tuo,

Digitized by Google

Chriſti,aſpiciebat enim in remu-
27 nerationem. Fide reliquit Ægy-
ptum,non veritus animoſitatem
regis:inuiſibilem enim tanquam
28 videns ſuſtinuit.Fide,celebrauit
Paſcha, & ſanguinis effuſionem:
ne qui vaſtabat primitiua, tange-
29 rent eos. Fide, tranſierunt Mare
rubrum tanquam per aridam ter-
ram: quod experti Ægyptij, de-
30 uorati ſunt. Fide, muri Iericho
corruerunt circuitu dierum ſe-
31 ptem. Fide, Raab meretrix non
periit cum incredulis, excipiens
32 exploratores cum pace. Et quid
adhuc dicam? deficit enim me
tempus enarrantem de Gedeon,
Barac, Samſon, Iephthe, Dauid,
33 Samuel,& Prophetis. Qui per fi-
dem vicerunt regna,operati ſunt
iuſtitiam, adepti ſunt repromiſ-
ſiones, obturauerũt ora leonum.
34 Extinxerunt impetum ignis, ef-
fugerunt aciem gladij,conualue-
runt de infirmitate, fortes facti
ſunt in bello,caſtra verterunt ex-
35 terorum: Acceperunt mulieres
de reſurrectione mortuos ſuos.
36 Alij autem diſtenti ſunt, non ſu-
ſcipientes redemptionem,vt me-
liorem inuenirent reſurrectio-
nem,alij verò ludibria,& verbera
experti,inſuper & vincula,& car-
37 ceres: Lapidati ſunt, ſecti ſunt,
tentati ſunt, in occiſione gladij
mortui ſunt: circumierũt in me-
38 lotis, in pellibus caprinis, egen-
tes, anguſtiati, afflicti: quibus
dignus

tuo, vt ad generandum omnino ineptus eſſet, orti ſunt 28 poſteri pene innumerabiles, veluti ſtellæ cœli, & arenæ, quæ ſunt in litore maris. Nec ſolum 29 hi omnes, nempe Abraham, Iſaac, & Iacob 30 dum vixerunt ex fide promiſſionum mirabilia ſunt operati, ſed etiam eandem fidem conſtanter retinẽtes vita functi ſunt, nondum accepta terra promiſſa, 31 neque cœleſti patria, quæ in ea terra figurabatur, & in cuius fide operabantur, ſed à longe eam videntes, 32 & toto animo de illa gaudentes, quod aliquando ſe eam obtenturos firmiſſimè ſperarent, & ſimul profitentes ſe peregrinos, & hoſpites ſuper terram. 33 Ideo autem dixi eos mortuos fuiſſe non adepta patria cœleſti, quæ in terra illa figurabatur, 34 quia is qui profitetur ſe peregrinum, & hoſpitem in aliqua regione, abſq; dubio denotat ſe in patriam contendere, & in ea aliquando habitaturum, ſperare. Porro autem hos patres non meminiſſe terrenæ patriæ, ſed cœleſtis, dum ſe peregrinos profitebantur, inde conſtat, quia ſi patriæ terrenæ meminiſſent, videlicet Meſopotamiæ, de qua exierant, facile potuiſſent illuc reuerti, 35 & peregrinationi ſuæ, & deſiderio habitandi in patria finem imponere, 36 meliorem igitur aliam patriam, nempe cœleſtem gloriam appetierunt, dum ſe peregrinos vſque ad mortem profeſſi ſunt. 37 Ideoque horum ſolum trium, & non

dignus non erat mundus: in soli-
tudinibus errantes, in montibus
& speluncis, & in cauernis terræ.
39 Et hi omnes testimonio fidei ꝓ-
bati, non acceperunt repromis-
40 sionem, Deo pro nobis melius a-
liquid prouidente, vt non sine
nobis consummarentur.

aliorum se Deum in Scriptura appèllari non erubescit, quia his solùm legimus ipsum æternam fœlicitatem sub figura terrestris promisisse, & in fidem huius diuinæ promissionis multo tempore eos peregrinari fecisse, vt ciuitatem, & patriam terrestrem, & in ea præcipue cœlestem inquirerent.

38 *Fide etiam confisus Abraham, cum de eius fide Deus experimentum capere voluit,* 39 *obtulit* 40 *vnigenitum filium suum Isaac, in quo innumeram* 41 *posteritatem promiserat illi Deus* Genes. 18. *ad quem etiam dictum fuerat* Genes. 21. Jn Isaac vocabitur tibi semen, *obtulit autem nihil hæsitans de promissione, &* 42 *existimans quia etiam immolatum posset Deus eum à mortuis suscitare, & ita cum Deus perspectá fide ipsius non permisit eum, vt filium immolaret, recepit* 43 *ipsum incolumē* 44 *in prouerbium omnibus nationibus.* 45 *Fide etiam ductus Isaac filiis suis Iacob & Esau, futurorum bonorum, quæ fide ipsa prænidebat, non eandem largitus est benedictionem.* 46 *Fide etiam nixus Iacob cum oculi eius caligarent, nec clarè videre posset filios Ioseph, Ephraim, & Manasse benedixit, contra opinionem illius minorem filium ipsa manuum commutatione maiori præferens,* Genes. 48. *& maiora de illo prædicens,* 47 *& fide etiam summitatem sceptri eiusdem Iosephi, & in ea ipsum,* 48 *vt dominum totius Ægypti adorauit; Ioseph quoque dum morti propinquus esset* 49 *fide profectionem filiorum Israël de Ægypto,* 50 *in memoriam reuocauit,* 51 *& eadem fide nitens, quod eam profectionem tandem futuram crederet, præcepit eis, vt ossa eius secum asportarent.* 52 *Ex eâdem fide* Moyses, *cum primum natus esset, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis,* 53 *nam cum vidissent infantem pulchrum & elegantem, ad hanc fidem erga Deum excitati sunt, vt crederent diuina ope se posse eum à morte liberare,* 54 *& eadem fide effectum est, vt Regis edictum, & legem latam contra eos, qui pueros Hebræorum recens natos incolumes seruarent, non timerent,* 55 *fide etiam* Moyses *ipse cum iam adultæ esset ætatis,* 56 *negauit se esse filium filiæ Pharaonis,* 57 *à qua tanquam filius eunitritus, & adoptatus fuerat, eligens potius cum reliquis de populo Dei affligi, quam temporali peccati iucunditate.* 58 *quæ erat in delitiis aulæ regiæ, perfrui,* 59 *& improperium, quod causa iustitiæ, & veræ religionis sufferendum esse Christus postea verbo, & exemplo docuit, pluris faciens, quàm thesauros, & diuitias Ægyptiorum, quibus ipse,* 60 *vtpote adoptatus à filia Pharaonis, in aula regia potiri poterat,* 61 *eadem enim fide aspiciebat æternam remunerationem, quam*

Deus

Digitized by Google

Deus bene operantibus præparauit. 62 *Fide etiam nixus* 63 *eduxit populum Israel de Ægypto, vt duram captiuitatem, quam diu passus fuerat, fugeret, nullo modo timens* 64 *indignationem Pharaonis, quem sciebat audita fuga ipsius & Iudæorum, ira succensum, magnum exercitum conuocaturum, vt eos in antiquam seruitutem reduceret, in Deo enim,* 65 *quem non videbat, perinde ac si ipsum videret* 66 *ita sperauit, vt certò crederet se ope eius populum illum semel eductum de terra Ægypti contra Pharaonis potentiam incolumem seruaturum, fide quoq; ductus decima quarta Luna primi mensis ad vesperum* 67 *immolari fecit agnum paschalem,* 68 *& sanguine illius effuso aspergi superliminaria, & postes domorum filiorum Israel,* 69 *vt Angelus exterminator, qui occisurus erat primogenita Ægyptiorum, ipsos non interficeret, sed eo signo admonitus domos illorum intactas relinqueret:* 70 *fide adiuti filij Israel cum viderent mare rubrum diuisum, & terram, quæ subtus mare antea erat, apparere, permanentibus aquis ex vtraque parte in modum muri, nec ad locum suum naturalem reuersis, incolumes transierunt, quod quidem Ægyptij eodem modo sine fide facere volentes, eisdem aquis ad locum suum reuertentibus submersi sunt:* 71 *fide etiam filiorum Israel, muri Iericuntini corruerunt, septem diebus iuxta præscriptum domini conclamantes tubis, sine armis ciuitatem circumierunt.* 72 *Fide etiam Raab meretrix excipiens exploratores Iudæorum in domum suam, liberata est, nec simul cum incredulis Iericuntinis periit. Sed quid adhuc addam? deficiet enim me tempus, si enarrare voluero insignia exempla de* 73 *Gedeone, Barac, Samsone, Iephte, Samuele, & Prophetis, qui per fidem regna ab inimicis obtinuerunt, id quod erga Deum, & proximos* 74 *iustum est seruarunt, adepti sunt à Deo* 75 *promissiones,* 76 *obturauerunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis,* 77 *effugerunt aciem gladij,* 78 *& cum prius paruis viribus valerent, vt hostibus resisterent, eas recuperarunt, potentes in bello effecti sunt; & ordinem* 79 *castrorum alienigenarum gentium perturbarunt.* 80 *Acceperunt porrò per eandem fidem mulieres, quasi de manu resurrectionis mortuos suos. Alij autem fide etiam roborati* 81 *in tympano extensi, & fustibus percussi sunt, nolentes ab eo supplicio liberari,* 82 *vt melioris resurrectionis statum, quam qui à tyrannis in hac vita promittebatur, consequerentur.* 83 *Alij verò ludibria, & verbera in se ipsis experti fuêre, insuper alij vincula, & carceres, alij lapidati sunt, alij secti sunt, alij variis tormentorum generibus tentati sunt, alij gladio occisi sunt, alij certam, ac quietam mansionem non habentes huc, illucque vagati* 84 *pellibus ouium, aut caprarum induti vitam duxerunt, alij egentes, alij doloribus cru-*

 ciati

Digitized by Google

ciati ab aliis male affecti sunt, quibus dignus non erat mundus, cum eo multo honoratiores & praestantiores essent: 85 *alij in solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cauernis terrae, & hi omnes testimonio, quod apud Deum propter fidem consecuti sunt, ab eo in hac vita probati, & tamen functi, perfectae beatitudinis, nempe animae, & corporis praemium promissum nondum adepti sunt, Deo aliquid melius prouidente, ne sine nobis consummatam gloriam consequerentur.*

ANNOTATIONES.

1. Verba aliqua addidimus, vt connecteremus materiam huius capitis cum fine praecedentis.

2. In Graeco est hypostasis, Latini autem aliqui ex recentioribus, quos scholastici sequuntur, ita interpretantur, vt fides dicatur hypostasis rerum sperandarum, hoc est, fundamentum: nam sine illa spes non potest subsistere. Mihi placet Graecorum omnium expositio, quam in paraphrasi secutus sum, vt ideo fides dicatur ὑπόστασις hoc est, subsistentia rerum sperandarum, quia interim dum eas non habemus, & in nobis re ipsa nihil sunt, per fidem ita in nobis apprehenduntur, ac si subsisterent, & hoc esse in nobis solum habent, vt credantur.

3. Graecè est ἔλεγχος, hoc est, conuictio, seu argumentum, quo conuincimur ad assensum.

4. Illud *non apparentium*, & illud *rerum* coniungunt codices Graeci, noster vulgatus illud *rerum* coniunxit, cum *sperandarum*, sensus tamen vtrouis modo idem est.

5. Totum hunc numerum suppleuimus, vt ostenderemus, ad quid referretur causalis particula sequentis numeri, nempe ad finem praecedentis capitis, quem resumpsimus, vt flueret oratio, alioqui vix congrueret, si ad aliquid ex praecedentibus in hoc capite referretur.

6. Particula *enim*, refertur, vt dixi, ad finem praecedentis capitis, & maximè cum eo congruit, hoc autem familiare esse Paulo, vt particula causalis non referatur ad proximè, sed ad remote praecedentia, notaui saepe in aliis epistolis.

7. Repetiuimus in hoc numero, & sequenti quaedam verba ex praecedentibus, vt congrueret contextus: nam particula causalis *enim*, quae est in num. 8. ponitur vt exemplis ostendat Paulus vtrumque quod de fide dixerat, nimirum & quod sit conuictio non apparentium, & quod sit hypostasis, sed substantia eorum, quae speramus, mutauimus autem ordinem, quia primum exemplum, quod affert Paulus, non est rei ali-

cuius

Digitized by Google

culus sperandæ, sed solum rei non apparentis, pertinetq; ad fidem solùm historialem.

8. Alterum membrum est ex his, quæ posuit Paulus describens excellentiam fidei, quod repetiuimus nos, & inuerso ordine proposuimus, quia posterius adducit Paulus exemplum fidei earum rerum, quas sperabant sancti.

9. Hoc exemplum pertinet ad fidem historialem, vt confundantur heretici huius temporis de manifesto mendacio, quod docent asserentes Paulum hic solum loqui de fide particulari, non de historiali.

10. Per sæcula aliqui intelligunt ea omnia, quæ in mundo sunt, nos autem tempora, hoc est totam congeriem temporum interpretati sumus & sanè sæculum accipi pro tota temporum congerie ostendimus ex sententia Patrum 1. part. disp. 31. & 33. ideo autem hoc modo explicuimus Paulum, vt id, quod dicit statim, rectius congrueret, nempe, *Vt ex inuisibilibus, &c.* hoc enim non refertur ad rerum vniuersitatem, quæ in mundo, & sub cœlo est: si autem idem essent sæcula, & res, quæ in hoc vniuerso sunt, non rectè statim adderet Paulus, *Vt ex inuisibilibus, &c.* hæc enim verba denotant diuersum quid esse, aptata esse sæcula, & ex inuisibilibus visibilia facta esse; sensus igitur est, ideo aptasse Deum sæcula, hoc est, temporum congeriem, & durationem, vt sub ea fierent res omnes visibiles, & participium illud *aptata* apprime hoc demonstrat, fuêre enim sæcula ad hoc aptata, & veluti præparata, vt sub his res visibiles fierent.

11. Ideo dixit ea quæ facta sunt visibilia, antea fuisse inuisibilia, quia cum essent nihil, in ipso nihilo quasi in tenebris videbantur esse, ex quibus vocata etiam videntur ad lucem cum producta sunt, sicut etiam dixit 2. ad Corinthios 4. *Qui dixit de tenebris lucem splendescere.*

12. Exemplum Abel potest ad vtramque fidem referri, nempe ad catholicam, & ad particularem: ad catholicam, & historialem, qua credebat Deum esse omnium rerum autorem, cui deberentur omnia creata, & ad particularem, qua credebat se per illam historiam à Deo plura beneficia consecuturum: cùm autem dicit Paulus in hoc numero, & sequentibus, aliquem placuisse Deo per fidem, intelligitur non per solam fidem sine operibus, sed per illam tanquam per fundamentum benemerendi apud Deum, & ideo interpretati sumus *fide ductus, &c.* & in sequentibus eodem modo, quomodo autem Scriptura vocet fundamentum, & radicem nostræ iustificationis fidem, fusius explicauimus 1. 2. disp. 210. cap. 6. & 7.

13. *Plurimum*, in Græco est vox comparatiua πλείονα, ac si Latinè liceret dicere, plurem hostiam, quàm Cain: denotat autem vox illa copio-

copiosiorem,& præstantiorem: dicitur enim Genes. 4. Abelem obtulisse de primogenitis gregis, & de adipibus eorum, quæ sunt præstantiora ad offerendum: de Cain autem dicitur solum obtulisse de fructibus terræ.

14. Illud, *per quam*, referri potest ad victimam oblatam, & ad fidem offerentis illam, & eodem recidit; testimonium autem quod accepit Abel, habemus eodem capite Genesi 4. cum dicitur: *Respexit Dominus ad Abel,& ad munera eius,ad Cain autem,& ad munera eius non respexit.*

15. Illud *adhuc*, pro *etiam* vsurpatur, & denotat maximam efficaciam fidei, cuius meritum etiam post mortem postularit à Deo vindictam de Cain, iuxta illud Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*, ponitur autem tempus præsens *loquitur*, pro præterito, aut certè denotat adhuc postulare vindictam de Cain, quam consequetur in die iudicij. Græci exponunt de memoria hominum, in qua adhuc manet fides Abel.

16. Nugantur Hebræi Enoc mortuum non fuisse, quia vbi Genes. 5. vulgata legit, *& non apparuit, quia tulit eum Dominus*, Hebraicè ad literam legitur, & *non ipse*, pro eo quod est, *non apparuit*, quo modo loquendi denotari solet mors alicuius, vbi enim dicitur Genes. 42. secundum vulgatam, *Ioseph non est super*, hoc est, mortuus est, Hebraicè legitur, *& non ipse*: falluntur tamen Hebræi, primum quoniam Septuaginta, quorum translatione vtitur Paulus, apertè dicunt eum non fuisse mortuum: tum etiam, quia modus iste loquendi, *& non ipse*, non solum dicitur de mortuis, sed etiam de his, qui alio modo non apparent, nam vbi Genesis 42. vulgata legit, *Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis*, si verbum pro verbo ex Hebræo reddas, dicitur, *Ioseph non est ipse, Simeon non ipse.*

17. Probat id, quod assumpsit, nempe Enoc placuisse Deo, cùm autem dicit, *testimonium habuit*, non denotat idem, quod supra, nempe, *testimonium consecutus est*, sicut dictum fuerat de Abel, sed vt in paraphrasi, probat enim testimonio Scripturæ id quod proposuerat.

18. Ex eo quod placuit Deo, colligit fidem habuisse, idq; probat, quia sine fide impossibile est placere Deo, idq; statim colligit ex eo, quod oportet vt minimum duo illa credere, & sine illis impossibile est hominem Deo placere. Exemplum autem fidei Enoc ad vtramque fidem, & vniuersalem, & particularem referri potest, vtraque enim est principium placendi Deo.

19. Responsum hoc loco idem est, quod oraculum, dicitur autem responsum etiam nemine interrogante in sacra Scriptura, sicut Matth. 2. *Et responso accepto in somnis,&c.* Et Actor. 10. *Responsum accepit ab Angelo*: & alibi in Scriptura respondere accipitur pro eo, quod est loqui nemine inter-

interrogante, vt Matt. 21. *In illo tempore respondens Iesus ait.* Et ad Hebr. 9. *Sicut responsum est Moysi*, hoc est, dictum est Moysi.

20. Cum ait, *de his quæ non videbantur*, alludit ad id, quod dixerat de fide, *argumentum non apparentium*, vt ostenderet magnam fidem Noe, cum eo tempore nulla, vel minima esset suspicio diluuij.

21. Damnare idem est quod conuincere, & ostendere aliquem esse dignum pœna, sicut Matth. 12. dicitur, *& condemnabunt eum, &c.*

22. Cum dicit, *iustitia quæ per fidem est*, intelligit veram iustitiam, iuxta phrasin sibi satis familiarem, de qua multa in epist. ad Rom. tum etiam 1. 2. disput. 209. diximus, vbi explicuimus, quo pacto fides sit causa, & principium iustitiæ, & seruandi legem, lex autem hanc vim non habeat.

23. Cum dicit Noe fuisse heredem huius iustitiæ, duo ostendit, & quod eam habuerint maiores, & parentes ipsius, quibus in ea etiam successit, & quod ipse solus eam habuerit exhæredatis gentibus, quas diluuium consumpsit, heres enim solus est, qui accipit id quod relinquitur, vt hereditas: exemplum autem Noe ad fidem particularem pertinet, quamuis ea esset ex reuelatione ipsius Dei, quæ ipsi priuatim facta est, neque enim reuelatio illa diluuij erat circa mysterium aliquod, quod omnibus proponendum crederetur, quia tamen fuit ex peculiari reuelatione Dei, si non crederet Noe, fidem infusam amitteret.

24. Quod Paulus ait Abraham ignorasse, quo iret, quidam dicunt non esse ita intelligendum, quasi ignoraret se ex iussu Dei ire in terram Chanaam; cum Scriptura dicat Genes. 12. *Et egressi sunt, vt irent in terram Chanaam*, sed ideo dictum putant à Paulo, quia licet sciret Abraham se iussu Dei ire in terram Chanaam, nesciebat tamen in quam partem illius habitandam iret, eo quod terra illa vastissima esset: ego verò existimo etiam Abraham ignorasse se ire in terram Chanaam, nam licet terra vastissima esset, si sciret se ire in illam, licet nesciret in quam partem illius iret, non rectè diceretur nescire quo iret, veluti si quis duceretur in Italiã, non diceremus, nescit quo ducatur, licet ignoraret partem illius regionis, in quam ducebatur: adde quod multo magis commendatur fides Abrahæ, si ita obediuit voci Domini, vt ignoraret non solum partem regionis in quam iubebatur ire, sed etiam regionem ipsam, & ad hoc alludere videtur Paulus. Cum verò Genesis 12. dicitur. *Vt iret in terram Chanaam*, particula *vt* non denotat finem ex cuius expressa intentione Abraham egrederetur de terra sua, sed vt scholastici loquuntur, denotat finem materialiter, quia reuera iter Abrahæ illuc à Domino regebatur, sicut etiam agentia naturalia dicuntur propter finem operari.

Digitized by Google

25. Verbum Græcum *παρώκησεν*, putauit Erasmus idem significare hoc loco quod commigrare, fallitur tamen, quia quamuis verbum *παροικέω*, significet habitare tanquam peregrinum in aliquo loco, & ideo interdum significet etiam commigrare, seu peregrinari, quia peregrinus ita habitat in loco peregrinationis, vt inde sit commigraturus, tamen in præsenti verè significat habitare, tanquam peregrinum in terra Chanaã, siquidem addidit: *In terra repromissionis, tanquam in aliena in casulis habitando.* Fides autem Abrahæ, de qua loquitur Paulus, fuit particularis sicut etiam fides Noe, & eodem modo, quo Abraham habitauit in terra illa ex fide, ostendit se esse peregrinum in hoc mundo, & ciuitatis cœlestis habitationem se auidè expectare.

26. Fides Saræ fuit etiam particularis, sicut Fides Noe, & Abrahæ, quamuis autem Sara initio reuelationis dubitauerit, cum promittente domino semen risit, tamen postea timore perculsa credidit, vt patet ex Genes. 18. ideo autem dicitur vim accepisse in ipsa seminis conceptione, seu constitutione, quia cum esset nonagenaria, & ita impos concipiendi, attrahere, & retinere potuit semen. Pro conceptione Græcè est *καταβολὴν*, quæ vox significat initium, & fundamentum, quod in infimum iacitur: dicit igitur Saram vim accepisse in ipsa seminis constitutione, vt illud conciperet, veluti fundamentum generationis: alij explicant, vt & ipsa seminaret, sed vtroque modo sensus Pauli in idem recidit.

27. Aliqui illud *ab vno, & hoc emortuo*, interpretantur ab vno semine sterili, melius tamen ab vno patre Abraham, qui in Scriptura sæpius dicitur pater multarum gentium, vocat autem emortuum propter senectutem, sicut Sara dixerat Gen. 18. *Et dominus meus* (scilicet Abraham) *vetulus est.*

28. Quamuis ab vno Abraham vnus solum Isaac ortus fuerit, quia tamen ex illo penè innumerabilis posterorum multitudo propagata fuit, ideò dicuntur ab eo orti quam plures, per hyperbolem autem comparatur horum multitudo arenæ maris, vt dicunt Chrysostomus & Theophylactus, neque verò similitudine stellarum significata solum fuit multitudo bonorum, similitudine autem arenarum multitudo malorum, sed vtraque similitudine innumera multitudo posterorum, siue bonorum, siue malorum, promiscuè denotatur, vt frequens est in Scriptura Genes. 13. & 15. Isaiæ 10. nam quamuis stellæ, quæ certò discerni possunt à nobis, certo numero non magno comprehendantur, tamen stellæ, quæ confusè videntur, nec discerni possunt, in magno numero sunt.

29. Per hos omnes aliqui intelligunt non solùm Abraham, Isaac, & Iacob, sed etiam omnes, quos antea Paulus memorauerat præter Enoc, hic

Digitized by Google

hic enim teste eodem Paulo non fuit mortuus, sed translatus: probant autem, quia in hoc capite Paulus loquitur de promissione æternæ beatitudinis, quæ omnibus facta fuit, & non solum Abraham, Isaac, & Iacob; ita sentiunt Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius. Mihi placet sententia Sancti Thomæ, & Caietani, vt per hos omnes solùm intelligat Paulus Abraham, Isaac, & Iacob, quibus promissa fuit optima illa terra, & tamen in vita sua eam non sunt adepti, nam quamuis omnibus aliis fuerit æterna fœlicitas promissa, tamen his solum promissa fuit in figura illius terræ, ad quam peregrinantes contendebant, vt hac sua peregrinatione ostenderent, etiam se peregrinos esse à beatitudine, & nisi de his solùm intelligatur prædictus locus, verba illa sequentia: *Et confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram, &c.* connecti non possunt cum præcedentibus, hæc enim solùm in eos tres Abraham, Isaac, & Iacob conuenire possunt, cùm alij non fuerint peregrinati super terram, ostendentes ipsa peregrinatione se patriam cœlestem inquirere: idem colligitur ex illis verbis, *ideo non confunditur, &c.* nam in Scriptura hac de causa solùm dicitur Deus Abraham, Isaac, & Iacob, & non aliorum, qui (vt ait Paulus) illis ciuitatem parauit, cùm tamen non legamus aliis parasse, hoc est, terram promissam, & in ea cœlestem gloriam, nam quamuis aliis gloriam etiam præparauit, non tamen in figura terrestris ciuitatis, & peregrinationis.

30. Illud *defuncti sunt*, denotat id quod in paraphrasi expressimus, nempe eos tres non solum in vita mirabilia fuisse operatos, sicut & reliquos, sed etiam fidem promissionis nondum impletæ vsque ad mortem retinuisse.

31. Paulum loqui non solum de promissione terræ illius optimæ, sed etiam de æterna fœlicitate, indicant planè verba illa, quæ inferius sequuntur, *id est, cœlestem, &c.*

32. Participium *salutantes*, denotat non solum videntes rem à longè, sed etiam gaudentes de illa, sicut nautæ de longè videntes portum gaudere solent.

33. Hunc numerum suppleuimus, vt explicaremus id, cuius causam reddit particula *enim*, sequentis numeri.

34. Particula *enim* refertur ad illud, *non acceptis repromissionibus*, inde enim probat Paulus eos patres non accepisse repromissiones, quia profitebantur semper se peregrinos.

35. Hunc numerum suppleuimus, vt explicaremus quid significaret Paulus modo illo loquendi, *habebant tempus reuertendi*, nempe in patriam suam, quo cessarent à peregrinatione.

 36. Illud

19. Per viam viuentem intelligit planam, & nunquam abolendam.

20. *Super domum*, dixit quasi præpositum, quia iam non erat in statu ministrandi, sed sedens ad dexteram Patris præsidebat in cœlo.

21. Ita exponunt Græcanica scholia.

22. Per nouam oblationem aliqui intelligunt baptismum, per quem homines commoriuntur pro Christo, vt ostendat Hebræis non posse eos amplius per baptismum renouari, verum cum illis post peccatum voluntarium superesset Sacramentum absolutionis, argumentum Pauli parum haberet momenti ad exhortandum Iudæos, vt non peccarent, ex eo quod non superesset alius baptismus, solum igitur ostendere illis voluit Christum iam consummasse opus redemptionis vnica cruenta oblatione sui, & ita non superesse nouam victimam, sed solum iudicium, quod ipse sedens ad dexteram patris expectat, donec ponantur inimici eius, qui peccauerunt, sub scabello pedum suorum, vt dixerat numero decimo quarto, & ita causalis *enim*, reddit causam ob quam exhortetur D. Paulus Hebræos, vt in sua confessione perseuerent.

23. Expectationem, quæ pertinet ad spem, posuit pro timore, sicut etiam spes aliquando ponitur, nam spes communiter est boni, timor autem mali futuri.

24. Æmulationem ignis vocat metaphoricè, quia quasi zelo iustitiæ vindictam sumet de peccatoribus.

25. Quamuis transgressor legis Moysis mereretur æternam pœnam à Deo infligendam, sicut quicunque peccator, hic tamen solum comparat pœnæ corporali, quę transgressoribus infligebatur, pœnam æternam, quam meretur ille, qui contra Christum delinquit.

26. Hic non loquitur de quouis peccato mortali, quo peccator communi quadam ratione dicitur contemnere Christum, & sanguinem illius conculcare, sed de peccato à quo Paulus Hebræos deterrere conabatur, nempe infidelitatis, ne putarent Christi sanguinem inutilem, & communem fuisse, siquidem in tota epistola exhortatur eos, vt teneant spei suæ confessionem, quam semel professi sunt.

27. Pro *polluto* Græcè est κοινὸν, Latinè communis, communia autem Hebræis eadem erant, atque immunda, qua ratione Petrus, Actor. 10. dixit, *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum*, & sæpius hæc duo coniungit in eodem capite, in Græco autē pro communi est κοινὸν, pro immundo autem est ἀκάθαρτον.

28. Vulgatus legit, *mea est vltio, & ego retribuam.*

29. Suppleuimus illud, *non esse hominem sed Deum*, quod ipse contextus postulare videbatur, siquidem assignat discrimen Paulus inter vindictam, quam assumit homo, & quam sumit Deus de transgressoribus legis.

30. In

Digitized by Google

30. In meliorem eos spem erigit ex memoria bonorum operum, quæ fecerunt.
31. Cum ostendat duo genera certaminum, quæ sustinuerunt Hebræi, ideò dicit in altero, & in altero.
32. Græca exemplaria habent, *nam & meis vinculis compassi estis*, ex quibus verbis colligit Valla huius epistolæ autorem fuisse Paulum, sensus tamen eòdem recidit.
33. Per rapinam intelligit proscriptionem bonorum.
34. Hoc testimonio vsus est Paulus ad Romanos 1. vt ostendat fidem esse initium vitæ spiritualis, hic etiam eodem sensu allegat illud, nisi quod hic loquitur de vita non quacunque, sed perseuerante vsque in finem. Eadem autem ratio est vtriusque vitæ spiritualis, nempe quæ aliquando durat, & quæ perseuerat vsque in finem, vtraque enim per fidem gignitur eo modo quo 1.2. disputatione 210. capite 6. & 7. fusius explicauimus, hic etiam cum fide coniungit spem; hæc enim fidem futurorum bonorum consequitur, exhortatur enim Hebręos, vt patienter sperent, eadem autem est ratio vtriusque quod attinet ad sustentandam vitam.
35. Verba sunt Dei, quem Paulus introducit loquentem.
36. *Filij subtractionis*, est Hebraismus, sicut etiam, *filij fidei*, & significat eos, qui se subtrahunt à fide, hoc est incredulos, & desperantes, sicut etiam filij fidei dicuntur fideles, & filij perditionis homines perditi.

ARGVMENTVM
CAPITIS XI.

POstquam de dignitate sacerdotis Iesu Christi, & nouo Testamento in præcedentibus Paulus fusè disputauit, vt ad perseuerantiã in Christianæ fidei confessione Hebræos exhortaretur, in calce præcedẽtis capitis iuxta instituti sui rationẽ monet eos, vt aduersa, opprobria, & tribulationes patienter sustineant, expectantes abundantẽ remunerationis pro-

promißionem, siquidem iustus interim dum non habet id, quod promittitur, spiritu fidei alitur & sustentatur, ipsi autem sunt filij fidei, non autem subtractionis: in hoc igitur capite naturam, virtutem, & efficacitatem huius fidei, ad quam Hebræos fuerat exhortatus, & cuius filios esse dixerat, ex professo describit, agit autem in eo non solum de fide, quam vocant particularem, & miraculorum, vt volunt hæretici nostri temporis, sed etiam de fide Catholica, & historiali seu dogmatica, vt 1. 2. disputat. 210. ex hoc capite vberius ostendimus, & in ipso decursu epistolæ patebit, in ea porrò disput. & sequenti multa de fide vniuersali, & particulari, & quo pacto ei tribuatur iustificatio, & inter se differant, diximus.

Capvt XI.

1 Est autem fides, sperandarum substantia rerum, argumen-
2 tum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt
3 senes. Fide, intelligimus aptata esse secula Verbo Dei: vt ex inui-
4 sibilibus visibilia fierent. Fide, plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo: per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente mune-

Paraphrasis.

Est autem fides 1 ad quam vos exhortatus sum, & qua iustus viuit interim dum præmium differtur, 2 per quam res quas speramus à Deo, & nondum habemus, interim in nobis subsistunt, 3 ostensio quoque, & conuictio 4 eorum, quæ non videntur, 5 hæc inquam est fides per quam dixi iustos viuere, & placere Deo, veteres 6 enim patres hac fide bonum testimonium apud Deum consecuti

muneribus eius Deo, & per illam
5 defunctus adhuc loquitur. Fide,
Enoch translatus est ne videret
mortem, & non inueniebatur:
quia transtulit illum Deus, ante
trãslationem enim testimonium
6 habuit placuisse Deo. Sine fide
autẽ impossibile est placere Deo.
Credere enim oportet acceden-
tem ad Deum, quia est, & inqui-
7 rentibus se remunerator sit. Fide,
Noë responso accepto de iis quæ
adhuc non videbantur: metuens,
aptauit arcam in salutem domus
suæ, per quam damnauit mun-
dum: & iustitię, quę per fidem est,
8 hæres est institutus. Fide, qui vo-
catur Abraham, obediuit in lo-
cum exire, quem accepturus erat
in hæreditatem: & exiit: nesciens
9 quò iret. Fide demoratus est in
terra repromissionis, tanquam in
aliena, in casulis habitando cum
Isaac, & Iacob, cohæredibus re-
10 promissionis eiusdem. Expecta-
bat enim fundamenta habentem
ciuitatem, cuius artifex, & con-
11 ditor Deus. Fide, & ipsa Sara ste-
rilis virtutem in conceptione se-
minis accepit, etiam præter tem-
pus ætatis: quoniam fidelem cre-
didit esse eum qui repromiserat.
12 Propter quod & ab vno orti sunt,
(& hoc emortuo) tanquam syde-
ra cœli in multitudinem, & sicut
arena, quæ est ad oram maris in-
13 numerabilis. Iuxta fidem defun-
cti sunt omnes isti, non acceptis
repro-

secuti sunt, est igitur 7 conuictio eorum, quæ non videntur, 8 & hypostasis eorum, quæ speramus, per illam enim 9 aptata, & præparata fuisse 10 tempora, vt sub eis hæc rerum vniuersitas, quæ inuisibilis ante tempora erat 11 eo quod nihil omnino esset, deinde producta, & de non esse ad esse quasi de tenebris ad lucem vocata visibilis appareret. 12 Fide ductus Abel copiosiorem, & præstantiorem hostiam obtulit Deo, 13 quam Cain, per quam 14 fidem testimonium à Deo accepit iustitiæ suæ, dum videlicet Deus ostendit sibi ea munera placuisse; atque per illam victimam tali fide oblatam defunctus 15 etiam loquitur, postulãs nimirum vindictam à fratre suo, qui ipsum ex inuidia occidit, quod videret eum à Deo exauditum fuisse. Fide ductus Enoch ita placuit Deo ambulans coram eo, vt 16 meruerit absque morte transferri ab hac vita mortali in alium statum fœlicem. 17 Porrò ipsum placuisse Deo antequam transferretur, testatur Scriptura Genes. 5. Eccles. 44. sine fide autem impoßibile est placere Deo, 18 siquidem is, qui Deum religiosè vt oportet, colit, eiusque obsequitur voluntati, credere debet, & quod Deus sit, & quod inquirentibus ipsum præmia æterna largiatur. Fide etiam extitante Noë postquam accepit 19 oraculum de diluuio futuro, quod nondum 20 viderat nec suspicari vllo modo poterat, timens illud,

 fabri-

Digitized by Google

repromissionibus: sed à longè eas
aspicientes, & salutantes, & con-
fitentes quia peregrini, & hospi-
14 tes sunt super terram. Qui enim
hæc dicunt, significant se patriam
15 inquirere. Et si quidē ipsius me-
minissent de qua exierunt: habe-
16 bant vtique tempus reuertendi:
nunc autem meliorem appetunt,
id est cœlestem. Ideo non con-
funditur Deus vocari Deus eo-
rum: parauit enim illis ciuitatem.
17 Fide, obtulit Abraham Isaac, cum
tentaretur, & vnigenitum offere-
bat in quo susceperat repromis-
18 siones, (Ad quem dictum est: In
Isaac vocabitur tibi semen.) Ar-
19 bitrans quia, & à mortuis suscita-
re potens est Deus: vnde eum &
20 in parabolam accepit. Fide & de
futuris, benedixit Isaac Iacob &
21 Esau. Fide, Iacob moriens, singu-
los filiorum Ioseph benedixit: &
adorauit fastigium virgæ eius. Fi-
22 de, Ioseph moriens, de profectio-
ne filiorum Israël memoratus est:
& de ossibus suis mandauit. Fide
23 Moyses natus occultatus est mē-
sibus tribus à parentibus suis; eò
quòd vidissent elegantem infan-
tem, & non timuerunt regis edi-
24 ctum. Fide, Moyses grandis fa-
ctus, negauit se esse filium filiæ
25 Pharaonis: magis eligens affligi
cum populo Dei, quàm tempo-
ralis peccati habere iucūditatem.
26 Maiores diuitias æstimās thesau-
ro Ægyptiorum improperium
Chri-

*fabricatus est arcam, atque per illam
fidem 21 cæteras gentes incredulas,
& minimè pœnitentes, quæ ipsum ir-
ridebant, omni damnatione dignas
ostendit, & iustitiæ veræ antiquo-
rum suorum parentum, 22 quæ non
ex propria virtute hominis, sed ex
gratia fidei oritur 23 solus hæres cō-
stitutus est, reliquis omnibus genti-
bus exhæredatis, ac prætermissis, A-
braham quoque dum à Domino vo-
caretur, vt exiret de patria sua in lo-
cum, quem illi destinauerat in hære-
ditatem, fide impulsus obediuit, &
ita exiit ignorans 24 quo iret: eadem
etiam fide ductus commoratus est in
terra sibi, & generationibus suis pro-
missa, 25 tanquam peregrinus in
terra aliena, siquidem in casulis, seu
in tentoriis habitauit more viatorū,
& peregrinorum simul cum Isaac, &
Iacob, qui etiam illius terræ hæredes
à Deo constituti erant, neq; enim vl-
lam domum à fundamentis extruxit,
nam expectātes aliam ciuitatem per-
manentem, & firmißimè à funda-
mentis ædificatam, cuius artifex, &
conditor est Deus, nempe cœlum, se
peregrinos esse in hoc mundo osten-
dere volebant. 26 Fide etiam & ipsa
Sara naturâ sterilis meruit vim acci-
pere in ipsam seminis constitutionem,
cum id etiam præter tempus ætatis i-
psius esset, eo quod fidelem credidit
esse Deum, qui ei generationem pro-
miserat; propter quam fidem, & ab
27 vno Abraham sene, & ita emor-
tuo,*

Digitized by Google

Christi, aspiciebat enim in remu-
27 nerationem. Fide reliquit Ægy-
ptum, non veritus animositatem
regis: inuisibilem enim tanquam
28 videns sustinuit. Fide, celebrauit
Pascha, & sanguinis effusionem:
ne qui vastabat primitiua, tange-
29 ret eos. Fide, transierunt Mare
rubrum tanquam per aridam ter-
ram: quod experti Ægyptij, de-
30 uorati sunt. Fide, muri Iericho
corruerunt circuitu dierum se-
31 ptem. Fide, Raab meretrix non
periit cum incredulis, excipiens
32 exploratores cum pace. Et quid
adhuc dicam? deficit enim me
tempus enarrantem de Gedeon,
Barac, Samson, Iephthe, Dauid,
33 Samuel, & Prophetis. Qui per fi-
dem vicerunt regna, operati sunt
iustitiam, adepti sunt repromis-
siones, obturauerũt ora leonum.
34 Extinxerunt impetum ignis, ef-
fugerunt aciem gladij, conualue-
runt de infirmitate, fortes facti
sunt in bello, castra verterunt ex-
35 terorum: Acceperunt mulieres
de resurrectione mortuos suos.
36 Alij autem distenti sunt, non su-
scipientes redemptionem, vt me-
liorem inuenirent resurrectio-
nem, alij verò ludibria, & verbera
experti, insuper & vincula, & car-
37 ceres: Lapidati sunt, secti sunt,
tentati sunt, in occisione gladij
mortui sunt: circumierũt in me-
38 lotis, in pellibus caprinis, egen-
tes, angustiati, afflicti: quibus
dignus

tuo, vt ad generandum omnino ineptus esset, orti sunt 28 posteri pene innumerabiles, veluti stellæ cœli, & arenæ, quæ sunt in litore maris. Nec solum 29 hi omnes, nempe Abraham, Isaac, & Iacob 30 dum vixerunt ex fide promißionum mirabilia sunt operati, sed etiam eandem fidem constanter retinẽtes vita functi sunt, nondum accepta terra promissa, 31 neque cœlesti patria, quæ in ea terra figurabatur, & in cuius fide operabantur, sed à longe eam videntes, 32 & toto animo de illa gaudentes, quod aliquando se eam obtenturos firmissimè sperarent, & simul profitentes se peregrinos, & hospites super terram. 33 Ideo autem dixi eos mortuos fuisse non adepta patria cœlesti, quæ in terra illa figurabatur, 34 quia is qui profitetur se peregrinum, & hospitem in aliqua regione, absq; dubio denotat se in patriam contendere, & in ea aliquando habitaturum, sperare. Porro autem hos patres non meminisse terrenæ patriæ, sed cœlestis, dum se peregrinos profitebantur, inde constat, quia si patriæ terrenæ meminissent, videlicet Mesopotamiæ, de qua exierant, facile potuissent illuc reuerti, 35 & peregrinationi suæ, & desiderio habitandi in patria finem imponere, 36 meliorem igitur aliam patriam, nempe cœlestem gloriam appetierunt, dum se peregrinos vsque ad mortem professi sunt. 37 Ideoque horum solum trium, & non

dignus non erat mundus: in soli-
tudinibus errantes, in montibus
& speluncis, & in cauernis terræ.
39 Et hi omnes testimonio fidei ꝓ-
bati, non acceperunt repromis-
40 sionem, Deo pro nobis melius a-
liquid prouidente, vt non sine
nobis consummarentur.

aliorum se Deum in Scriptura appellari non erubescit, quia his solùm legimus ipsum æternam fœlicitatem sub figura terrestris promisisse, & in fidem huius diuinæ promißionis multo tempore eos peregrinari fecisse, vt ciuitatem, & patriam terrestrem, & in ea præcipue cœlestem inquirerent.

38 *Fide etiam confisus Abraham, cum de eius fide Deus experimentum capere voluit,* 39 *obtulit* 40 *vnigenitum filium suum Isaac, in quo innumeram* 41 *posteritatem promiserat illi Deus Genes.* 18. *ad quem etiam dictum fuerat Genes.* 21. Jn Isaac vocabitur tibi semen, *obtulit autem nihil hæsitans de promißione, &* 42 *existimans quia etiam immolatum posset Deus eum à mortuis suscitare, & ita cum Deus perspecta fide ipsius non permisit eum, vt filium immolaret, recepit* 43 *ipsum incolumẽ* 44 *in prouerbium omnibus nationibus.* 45 *Fide etiam ductus Isaac filiis suis Iacob & Esau, futurorum bonorum, quæ fide ipsa præuidebat, non eandem largitus est benedictionem.* 46 *Fide etiam nixus Iacob cum oculi eius caligarent, nec clarè videre posset filios Ioseph, Ephraim, & Manaße benedixit, contra opinionem illius minorem filium ipsa manuum commutatione maiori præferens, Genes.* 48. *& maiora de illo prædicens,* 47 *& fide etiam summitatem sceptri eiusdem Iosephi, & in ea ipsum,* 48 *vt dominum totius Ægypti adorauit; Ioseph quoque dum morti propinquus esset* 49 *fide profectionem filiorum Israël de Ægypto,* 50 *in memoriam reuocauit,* 51 *& eadem fide nitens, quod eam profectionem tandem futuram crederet, præcepit eis, vt ossa eius secum asportarent.* 52 *Ex eâdem fide Moyses, cum primum natus esset, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis,* 53 *nam cum vidissent infantem pulchrum & elegantem, ad hanc fidem erga Deum excitati sunt, vt crederent diuina ope se posse eum à morte liberare,* 54 *& eadem fide effectum est, vt Regis edictum, & legem latam contra eos, qui pueros Hebræorum recens natos incolumes seruarent, non timerent,* 55 *fide etiam Moyses ipse cum iam adultæ esset ætatis,* 56 *negauit se esse filium filiæ Pharaonis,* 57 *à qua tanquam filius eiutritus, & adoptatus fuerat, eligens potius cum reliquis de populo Dei affligi, quam temporali peccati iucunditate,* 58 *quæ erat in delitiis aulæ regiæ, perfrui,* 59 *& improperium, quod causa iustitiæ, & veræ religionis sufferendum esse Christus postea verbo, & exemplo docuit, pluris faciens, quàm thesauros, & diuitias Ægyptiorum, quibus ipse,* 60 *vtpote adoptatus à filia Pharaonis, in aula regia potiri poterat,* 61 *eadem enim fide aspiciebat æternam remunerationem, quam*

Deus bene operantibus præparauit. 62 Fide etiam nixus 63 eduxit populum Israel de Ægypto, vt duram captiuitatem, quam diu passus fuerat, fugeret, nullo modo timens 64 indignationem Pharaonis, quem sciebat audita fuga ipsius & Iudæorum, ira succensum, magnum exercitum conuocaturum, vt eos in antiquam seruitutem reduceret, in Deo enim, 65 quem non videbat, perinde ac si ipsum videret 66 ita sperauit, vt certò crederet se ope eius populum illum semel eductum de terra Ægypti contra Pharaonis potentiam incolumem seruaturum, fide quoq; ductus decima quarta Luna primi mensis ad vesperum 67 immolari fecit agnum paschalem, 68 & sanguine illius effuso aspergi superliminaria, & postes domorum filiorum Israel, 69 vt Angelus exterminator, qui occisurus erat primogenita Ægyptiorum, ipsos non interficeret, sed eo signo admonitus domos illorum intactas relinqueret: 70 fide adiuti filij Israel cum viderent mare rubrum diuisum, & terram, quæ subtus mare antea erat, apparere, permanentibus aquis ex vtraque parte in modum muri, nec ad locum suum naturalem reuersis, incolumes transierunt, quod quidem Ægyptij eodem modo sine fide facere volentes, eisdem aquis ad locum suum reuertentibus submersi sunt: 71 fide etiam filiorum Israel, muri Iericuntini corruerunt, septem diebus iuxta præscriptum domini conclamantes tubis, sine armis ciuitatem circumierunt. 72 Fide etiam Raab meretrix excipiens exploratores Iudæorum in domum suam, liberata est, nec simul cum incredulis Iericuntinis periit. Sed quid adhuc addam? deficiet enim me tempus, si enarrare voluero insignia exempla de 73 Gedeone, Barac, Samsone, Iephte, Samuele, & Prophetis, qui per fidem regna ab inimicis obtinuerunt, id quod erga Deum, & proximos 74 iustum est seruarunt, adepti sunt à Deo 75 promißiones, 76 obturauerunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis, 77 effugerunt aciem gladij, 78 & cum prius paruis viribus valerent, vt hostibus resisterent, eas recuperarunt, potentes in bello effecti sunt; & ordinem 79 castrorum alienigenarum gentium perturbarunt. 80 Acceperunt porrò per eandem fidem mulieres, quasi de manu resurrectionis mortuos suos. Alij autem fide etiam roborati 81 in tympano extensi, & fustibus percußi sunt, nolentes ab eo supplicio liberari, 82 vt melioris resurrectionis statum, quam qui à tyrannis in hac vita promittebatur, consequerentur. 83 Alij verò ludibria, & verbera in se ipsis experti fuêre, insuper alij vincula, & carceres, alij lapidati sunt, alij secti sunt, alij variis tormentorum generibus tentati sunt, alij gladio occisi sunt, alij certam, ac quietam mansionem non habentes huc, illucque vagati 84 pellibus ouium, aut caprarum induti vitam duxerunt. alij egentes, alij doloribus cruciati

ciati ab aliis male affecti sunt, quibus dignus non erat mundus, cum eo multo honoratiores & præstantiores essent: 85 alij in solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ, & hi omnes testimonio, quod apud Deum propter fidem consecuti sunt, ab eo in hac vita probati, & iam ea functi, perfectæ beatitudinis, nempe animæ, & corporis præmium promissum nondum adepti sunt, Deo aliquid melius prouidente, ne sine nobis consummatam gloriam consequerentur.

ANNOTATIONES.

1. Verba aliqua addidimus, vt connecteremus materiam huius capitis cum fine præcedentis.
2. In Græco est hypostasis, Latini autem aliqui ex recentioribus, quos scholastici sequuntur, ita interpretantur, vt fides dicatur hypostasis rerum sperandarum, hoc est, fundamentum; nam sine illa spes non potest subsistere. Mihi placet Græcorum omnium expositio, quam in paraphrasi secutus sum, vt ideo fides dicatur ὑπόστασις hoc est, subsistentia rerum sperandarum, quia interim dum eas non habemus, & in nobis re ipsa nihil sunt, per fidem ita in nobis apprehenduntur, ac si subsisterent, & hoc esse in nobis solum habent, vt credantur.
3. Græcè est ἔλεγχος, hoc est, conuictio, seu argumentum, quo conuincimur ad assensum.
4. Illud *non apparentium*, & illud *rerum* coniungunt codices Græci, noster vulgatus illud *rerum* coniunxit, cum *sperandarum*, sensus tamen vtrouis modo idem est.
5. Totum hunc numerum suppleuimus, vt ostenderemus, ad quid referretur causalis particula sequentis numeri, nempe ad finem præcedentis capitis, quem resumpsimus, vt flueret oratio, alioqui vix congrueret, si ad aliquid ex præcedentibus in hoc capite referretur.
6. Particula *enim*, refertur, vt dixi, ad finem præcedentis capitis, & maximè cum eo congruit, hoc autem familiare esse Paulo, vt particula causalis non referatur ad proximè, sed ad remote præcedentia, notaui sæpe in aliis epistolis.
7. Repetiuimus in hoc numero, & sequenti quædam verba ex præcedentibus, vt congrueret contextus: nam particula causalis *enim*, quæ est in num. 8. ponitur vt exemplis ostendat Paulus vtrumque quod de fide dixerat, nimirum & quod fit conuictio non apparentium, & quod fit hypostasis, sed substantia eorum, quæ speramus, mutauimus autem ordinem, quia primum exemplum, quod affert Paulus, non est rei alicuius

cuius sperandæ, sed solum rei non apparentis, pertinetq́ ad fidem solùm historialem.

8. Alterum membrum est ex his, quæ posuit Paulus describens excellentiam fidei, quod repetiuimus nos, & inuerso ordine proposuimus, quia posterius adducit Paulus exemplum fidei earum rerum, quas sperabant sancti.

9. Hoc exemplum pertinet ad fidem historialem, vt confundantur heretici huius temporis de manifesto mendacio, quod docent asserentes Paulum hic solum loqui de fide particulari, non de historiali.

10. Per sæcula aliqui intelligunt ea omnia, quæ in mundo sunt, nos autem tempora, hoc est totam congeriem temporum interpretati sumus & sanè sæculum accipi pro tota temporum congerie ostendimus ex sententia Patrum 1. part. disp. 31. & 33. ideo autem hoc modo explicuimus Paulum, vt id, quod dicit statim, rectius congrueret, nempe, *Vt ex inuisibilibus, &c.* hoc enim non refertur ad rerum vniuersitatem, quæ in mundo, & sub cœlo est: si autem idem essent sæcula, & res, quæ in hoc vniuerso sunt, non rectè statim adderet Paulus, *Vt ex inuisibilibus, &c.* hæc enim verba denotant diuersum quid esse, aptata esse sæcula, & ex inuisibilibus visibilia facta esse; sensus igitur est, ideo aptasse Deum sæcula, hoc est, temporum congeriem, & durationem, vt sub ea fierent res omnes visibiles, & participium illud *aptata* apprime hoc demonstrat, fuêre enim sæcula ad hoc aptata, & veluti præparata, vt sub his res visibiles fierent.

11. Ideo dixit ea quæ facta sunt visibilia, antea fuisse inuisibilia, quia cum essent nihil, in ipso nihilo quasi in tenebris videbantur esse, ex quibus vocata etiam videntur ad lucem cum producta sunt, sicut etiam dixit 2. ad Corinthios 4. *Qui dixit de tenebris lucem splendescere.*

12. Exemplum Abel potest ad vtramque fidem referri, nempe ad catholicam, & ad particularem: ad catholicam, & historialem, qua credebat Deum esse omnium rerum autorem, cui deberentur omnia creata, & ad particularem, qua credebat se per illam historiam à Deo plura beneficia consecuturum: cùm autem dicit Paulus in hoc numero, & sequentibus, aliquem placuisse Deo per fidem, intelligitur non per solam fidem sine operibus, sed per illam tanquam per fundamentum benemerendi apud Deum, & ideo interpretati sumus *fide ductus, &c.* & in sequentibus eodem modo, quomodo autem Scriptura vocet fundamentum, & radicem nostræ iustificationis fidem, fusius explicauimus 1. 2. disp. 210. cap. 6. & 7.

13. *Plurimum*, in Græco est vox comparatiua πλείονα, ac si Latinè liceret dicere, plurem hostiam, quàm Cain: denotat autem vox illa copio-

Digitized by Google

copiosiorem,& præstantiorem; dicitur enim Genes. 4. Abelem obtulisse de primogenitis gregis, & de adipibus eorum, quæ sunt præstantiora ad offerendum: de Cain autem dicitur solum obtulisse de fructibus terræ.

14. Illud, *per quam*, referri potest ad victimam oblatam, & ad fidem offerentis illam, & eodem recidit; testimonium autem quod accepit Abel, habemus eodem capite Genes. 4. cum dicitur: *Respexit Dominus ad Abel,& ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.*

15. Illud *adhuc*, pro *etiam* vsurpatur, & denotat maximam efficaciam fidei, cuius meritum etiam post mortem postularit à Deo vindictam de Cain, iuxta illud Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*, ponitur autem tempus præsens *loquitur*, pro præterito, aut certè denotat adhuc postulare vindictam de Cain, quam consequetur in die iudicij. Græci exponunt de memoria hominum, in qua adhuc manet fides Abel.

16. Negantur Hebræi Enoc mortuum non fuisse, quia vbi Genes. 5. vulgata legit, *& non apparuit, quia tulit eum Dominus*, Hebraicè ad literam legitur, & *non ipse*, pro eo quod est, *non apparuit*, quo modo loquendi denotari solet mors alicuius, vbi enim dicitur Genes. 42. secundum vulgatam, *Ioseph non est super*, hoc est, mortuus est, Hebraicè legitur, *& non ipse*: falluntur tamen Hebræi, primum quoniam Septuaginta, quorum translatione vtitur Paulus, apertè dicunt eum non fuisse mortuum: tum etiam, quia modus ille loquendi, *& non ipse*, non solum dicitur de mortuis, sed etiam de his, qui alio modo non apparent, nam vbi Genesis 42. vulgata legit. *Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis*, si verbum pro verbo ex Hebræo reddas, dicitur, *Ioseph non est ipse, Simeon non ipse.*

17. Probat id, quod assumpsit, nempe Enoc placuisse Deo, cùm autem dicit, *testimonium habuit*, non denotat idem, quod supra, nempe, *testimonium consecutus est*, sicut dictum fuerat de Abel, sed vt in paraphrasi, probat enim testimonio Scripturæ id quod proposuerat.

18. Ex eo quod placuit Deo, colligit fidem habuisse, idq; probat, quia sine fide impossibile est placere Deo, idq; statim colligit ex eo, quod oportet vt minimum duo illa credere, & sine illis impossibile est hominem Deo placere. Exemplum autem fidei Enoc ad vtramque fidem, & vniuersalem, & particularem referri potest, vtraque enim est principium placendi Deo.

19. Responsum hoc loco idem est, quod oraculum, dicitur autem responsum etiam nemine interrogante in sacra Scriptura, sicut Matth. 2. *Et responso accepto in somnis, &c.* Et Actor. 10. *Responsum accepit ab Angelo*: & alibi in Scriptura respondere accipitur pro eo, quod est loqui nemine inter-

interrogante, vt Matt. 21. *In illo tempore respondens Iesus ait.* Et ad Hebr. 9. *Sicut responsum est Moysi*, hoc est, dictum est Moysi.

20. Cum ait, *de his quæ non videbantur*, alludit ad id, quod dixerat de fide, *argumentum non apparentium*, vt ostenderet magnam fidem Noe, cum eo tempore nulla, vel minima esset suspicio diluuij.

21. Damnare idem est quod conuincere, & ostendere aliquem esse dignum pœna, sicut Matth. 12. dicitur, *& condemnabunt eum, &c.*

22. Cum dicit, *iustitia quæ per fidem est*, intelligit veram iustitiam, iuxta phrasin sibi satis familiarem, de qua multa in epist. ad Rom. tum etiam 1. 2. disput. 209. diximus, vbi explicuimus, quo pacto fides sit causa, & principium iustitiæ, & seruandi legem, lex autem hanc vim non habeat.

23. Cum dicit Noe fuisse heredem huius iustitiæ, duo ostendit, & quod eam habuerint maiores, & parentes ipsius, quibus in ea etiam successit; & quod ipse solus eam habuerit exhæredatis gentibus, quas diluuium consumpsit, heres enim solus est, qui accipit id quod relinquitur, vt hereditas: exemplum autem Noe ad fidem particularem pertinet, quamuis ea esset ex reuelatione ipsius Dei, quæ ipsi priuatim facta est, neque enim reuelatio illa diluuij erat circa mysterium aliquod, quod omnibus proponendum crederetur, quia tamen fuit ex peculiari reuelatione Dei, si non crederet Noe, fidem infusam amitteret.

24. Quod Paulus ait Abraham ignorasse, quo iret, quidam dicunt non esse ita intelligendum, quasi ignoraret se ex iussu Dei ire in terram Chanaam; cum Scriptura dicat Genes. 12. *Et egressi sunt, vt irent in terram Chanaam*, sed ideo dictum putant à Paulo, quia licet sciret Abraham se iussu Dei ire in terram Chanaam, nesciebat tamen in quam partem illius habitandam iret; eo quod terra illa vastissima esset: ego verò existimo etiam Abraham ignorasse se ire in terram Chanaam, nam licet terra vastissima esset, si sciret se ire in illam, licet nesciret in quam partem illius iret, non rectè diceretur nescire quo iret; veluti si quis duceretur in Italiã, non diceremus, nescit quo ducatur, licet ignoraret partem illius regionis, in quam ducebatur: adde quod multo magis commendatur fides Abrahæ, si ita obediuit voci Domini, vt ignoraret non solum partem regionis in quam iubebatur ire, sed etiam regionem ipsam, & ad hoc alludere videtur Paulus. Cum verò Genesis 12. dicitur. *Vt iret in terram Chanaam*, particula *vt* non denotat finem ex cuius expressa intentione Abraham egrederetur de terra sua, sed vt scholastici loquuntur, denotat finem materialiter, quia reuera iter Abrahæ illuc à Domino regebatur, sicut etiam agentia naturalia dicuntur propter finem operari.

 25. Ver-

hic enim teste eodem Paulo non fuit mortuus, sed translatus: probant autem, quia in hoc capite Paulus loquitur de promissione æternæ beatitudinis, quæ omnibus facta fuit, & non solum Abraham, Isaac, & Iacob; ita sentiunt Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius. Mihi placet sententia Sancti Thomæ, & Caietani, vt per hos omnes solùm intelligat Paulus Abraham, Isaac, & Iacob, quibus promissa fuit optima illa terra, & tamen in vita sua eam non sunt adepti, nam quamuis omnibus aliis fuerit æterna fœlicitas promissa, tamen his solum promissa fuit in figura illius terræ, ad quam peregrinantes contendebant, vt hac sua peregrinatione ostenderent, etiam se peregrinos esse à beatitudine, & nisi de his solùm intelligatur prædictus locus, verba illa sequentia: *& confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram, &c.* connecti non possunt cum præcedentibus, hæc enim solùm in eos tres Abraham, Isaac, & Iacob conuenire possunt, cùm alij non fuerint peregrinati super terram, ostendentes ipsa peregrinatione se patriam cœlestem inquirere: idem colligitur ex illis verbis, *ideo non confunditur, &c.* nam in Scriptura hac de causa solùm dicitur Deus Abraham, Isaac, & Iacob, & non aliorum, qui (vt ait Paulus) illis ciuitatem parauit, cùm tamen non legamus aliis parasse, hoc est, terram promissam, & in ea cœlestem gloriam, nam quamuis aliis gloriam etiam præparauit, non tamen in figura terrestris ciuitatis, & peregrinationis.

30. Illud *defuncti sunt*, denotat id quod in paraphrasi expressimus, nempe eos tres non solum in vita mirabilia fuisse operatos, sicut & reliquos, sed etiam fidem promissionis nondum impletæ vsque ad mortem retinuisse.

31. Paulum loqui non solum de promissione terræ illius optimæ, sed etiam de æterna fœlicitate, indicant planè verba illa, quæ inferius sequuntur, *id est cælestem, &c.*

32. Participium *salutantes*, denotat non solum videntes rem à longè, sed etiam gaudentes de illa, sicut nautæ de longè videntes portum gaudere solent.

33. Hunc numerum suppleuimus, vt explicaremus id, cuius causam reddit particula *enim*, sequentis numeri.

34. Particula *enim* refertur ad illud, *non acceptis repromissionibus*, inde enim probat Paulus eos patres non accepisse repromissiones, quia profitebantur semper se peregrinos.

35. Hunc numerum suppleuimus, vt explicaremus quid significaret Paulus modo illo loquendi, *habebant tempus reuertendi*, nempe in patriam suam, quo cessarent à peregrinatione.

36. Illud *nunc autem*, non est nota temporis, sed illationis ex supra dictis, sicut alibi etiam in Scriptura Psalm. 2. *& nunc reges intelligite.*

37. Aliqui putant cum Theophylacto Deum non erubuisse vocari Deum Abraham, Isaac, & Iacob propter eorum insignem fidem, ob quam illis parauit vitam æternam; verùm cùm aliis etiam ob eandem fidem gloriam præparauerit, & tamen Deus eorum non fuerit vocatus, hæc expositio mihi non probatur, sed causam huius appellationis existimo esse, quod Deus his tribus solùm, & eorum filiis promisit ciuitatem Hierusalem terrestrem, & terram illius, & in ea vt in figura cœlestem, atq; hac de causa fecit eos diu peregrinari extra patriam, inquirentes ciuitatem terrestrem, vt hac sua peregrinatione profiterentur, se peregrinos à cœlesti patria, quocirca, vt eos in hac peregrinatione consolaretur, vocari voluit Deus eorum, cuius virtute promissionem vtriusque Hierusalem consecuturi erant, & hac peculiari ratione Iacob Genesis 47. cum interrogaret eum Rex Ægypti, quot essent dies annorum vitæ eius, respondit: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt parui, & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* Cum tamen de nullo alio legamus dies vitæ eius, vocari dies peregrinationis, nam quamuis omnes fuerint peregrini à vita æterna, & patria cœlesti; tamen hi solum iussu Dei peregrini fuerunt à patria propria terrestri, ciuitatem etiam terrestrem, quam promisit eis Deus inquirentes, in cuius figura profiterentur etiam se peregrinos à patria cœlesti, vt diximus.

38. Hoc loco affert in exemplum fidem aliam Abrahæ distinctam ab ea, ob quam Deus ipse vocatus fuit Deus Abraham, quamq; hactenus explicuimus, hæc autem fides non fuit catholica, sed particularis, quia soli Abraham conueniebat, vt patet, fuit autem fides miraculorum profecta ex alia fide tum catholica, qua credebat Deum mentiri non posse, tum particulari, qua ex peculiari reuelatione credebat, ex Isaac futuram innumeram hominum generationem, & quamuis hæc fuerit insignis fides, tamen ob illam Deus non fuit dictus Deus Abraham, sed ob fidem, qua peregrinatus est in terra, vt supra notauimus, quare hic iam loquitur de fide, quam solus Abraham habuit, cum antea de communi fide trium Patriarcharum fuerit locutus.

39. Bis vtitur Paulus verbo offerendi per ταυτολογίαν, vt sæpe more Hebraico facere solet, nos autem repetitionem prætermisimus, vt melius flueret oratio.

40. Vocat Paulus Isaac vnigenitũ Abrahæ, licet ante habuerit Ismaelem, quia ex reuelatione accepit, Genesis 21. Isaac futurum caput totius generationis, quæ nomen familiæ retinere debebat, iuxta illud ad

Rom.

Rom. 9. *Neq; qui semen sunt Abrahæ omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Vbi citat Paulus idem testimonium Genes. 21.

41. Promissiones factæ Abrahamo in Isaac filio suo, non solum fuerant posteritatis filiorum secundum carnem, sed etiam secundum spiritum, Genes. enim 18. dictum illi fuerat: *Et benedicenda sunt in illo omnes nationes terræ, &c.*

42. Aliqui putant illud Genes. 22. *Expectate hic cum asino: ego autem & puer illuc vsque properantes postquam adorauerimus, reuertemur ad vos,* dictum fuisse ab Abrahamo, quod crederet se incolumem recepturum filium, vt hic inquit Paulus, & ideo dixisse *reuertemur, &c.* Ego verò existimo non putasse Abrahamum statim eodem die se recepturum filium, sed solùm in vniuersum credidisse, potuisse Deum prout ipsi placuisset eum à mortuis suscitare, vt ita suas promissiones veras efficeret; de tempore autem Abrahamum certum non fuisse. Et hoc modo multo magis commendatur fides, & fortitudo Abrahæ, quod immolare voluerit filium suum.

43. Theophylactus & Oecumenius *eum* referunt ad Abrahā, vt sensus sit: Deus suscepit Abraham in parabolam, hoc est in similitudinem, & typum; quasi Deus dicturus postea esset, si Abraham immolare voluit filium suum, & ego etiam filium meum libenti animo morti tradam, non tamen congruit expositio textui, cæteri referunt ad Isaac, vt sensus sit, quem in paraphrasi secuti sumus.

44. Parabolam hoc loco Chrysostomus, Theodoretus & Oecumenius interpretantur similitudinem, & typum, eamque variè explicant in Isaac, quod fuerit typus Christi, tum etiam vt in superiori numero vidimus, in Abrahamo: mihi tamen placet expositio paraphrasis, vt parabola idem sit quod prouerbium, seu id, quod in ore hominum passim versatur, & apud Hebræos idem vocabulum est, ita accipitur Hierem. 24. *in parabolam, & prouerbium,* & Psal. 68, *factus sum illis in parabolam* nam dum Abraham recepit filium suum incolumem, passim in ore hominum veluti prouerbium historia illius versabatur.

45. Fides hæc Isaac etiam fuit particularis, prophetica tamen ex reuelatione peculiari, qua nouit, quid futurum esset, illud autem fides hæc in Isaac effecit, vt non eandem benedictionem Iacob, & Esau largitus fuerit, sed contra communem opinionem benedictionem, quam Iacob furtim subripuerat, noluerit reuocare, nam nisi fide crederet eam esse Dei voluntatem, sine dubio eam reuocaret, facile enim videret benedictionem ex fraude obtentam ex se nullius virtutis esse.

46. Fides hæc Iacob fuit etiam particularis, licet prophetica ex peculiari reuelatione earum rerum, quæ futuræ erant.

47. Coniunctio, *&*, hoc loco ita coniungit sequentia cum præceden-

Digitized by Google

tibus, vt denotet fide etiam Iacob adorasse fastigium virgæ Ioseph, nempe vt in peculiari annotatione infrà dicemus, quia Iacob credidit ex peculiari Dei dispensatione factum fuisse vt Ioseph constitutus esset Dominus Ægypti, sicut in somno sibi reuelatum multò antea ipse intellexerat Gen. cap. 37. nam vt dixit septima synodus, non tam adorauit virgam, quam tenentem illam, nempe ipsum Ioseph.

48. Per dominum aliqui intelligunt Deum; verum vt in peculiari annotatione videbimus, non Deum, sed ipsum Ioseph tanquam dominum Ægypti intelligere debemus, & in Hebræo id non legimus, sed à vulgato additum est Gen. 47.

49. Hæc etiam fides Ioseph non fuit Catholica, & vniuersalis, sed peculiaris, non quidem illi soli, sed omnibus filiis Israël ex peculiari reuelatione illis facta, quam à parentibus acceperant.

50. Ideo dicitur Ioseph memoratus, non quia solùm ipse fide meminerit huius profectionis, sed quia etiam ex eadem fide illam aliis in memoriam reuocauit.

51. Præpositio, *&*, copulatiua ita coniungit sequentia cum præcedentibus, vt denotet Iosephum ex eadem fide præcepisse posteris, vt ossa ipsius secum deferrent, sicut in paraphrasi diximus.

52. Illud *fide* non debet coniungi cum illo *natus*, sed cum eo *occultatus est*, ideò addidimus particulam *cum*. hæc autem fides Amræ patris Moysis fuit particularis, non Catholica, & vniuersalis, vt statim dicemus.

53. Fides Amræ patris Moysis, aut fuit ex reuelatione peculiari facta illi in somnis, vt testatur Iosephus lib. 2. antiquitatum cap. 5. aut ex peculiari instinctu Spiritus sancti orto ex eleganti forma pueri, vt Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus & Oecumenius docent, & litera ipsa indicat illis verbis, *eo quod vidissent, &c.* vel ex vtroque simul, sensus tamen Chrysostomi mihi magis probatur: aliqui putant, idem esse quod dixit Paulus Actor. 7. de Moyse, *& fuit gratus Deo*, & quod dixit Paulus hoc loco, *videntes eum elegantem*, eo quod Septuaginta Exod. 2. & Græcus interpres Pauli eodem vocabulo, eo quod Latinè significat elegantem, & festiuum, vsi fuerint, & ita putant parentes Moysis aliquo signo à Deo intellexisse puerum illum, non tantùm sibi, sed etiam Deo festiuum, & gratum esse. Verùm quamuis idem sit nomen Græcum, tamen non est idem sensus vtrorumq; verborum, sed Paulus hoc loco solùm videtur significasse parentes in elegantia vultus infantis Spiritu sancto intus impulsos aliquid diuinum præsensisse.

54. Particula, *&*, ita coniungit sequentia præcedentibus, vt indicet in eadem fide id effectum fuisse, sicut in paraphrasi expressimus, mandatum Pharaonis habetur Exod. 1.

55. Fi-

Digitized by Google

55. Fides illa Moysis, qua nimirum affligi cum populo Dei prætulit diuitiis,& honori,fuit Catholica,qua nimirum credidit honores & diuitias esse corruptibiles, affligi autem cum populo Dei esse dignum æterna remuneratione, habuitque admixtam fidem particularem, qua etiam credidit se æternum præmium consecuturum,si relictis diuitiis, & honore domus Pharaonis eligeret affligi cum populo Dei.

56. Quod Moyses iam adultę ætatis negauerit se esse filium filię Pharaonis,vt ait Paulus, neque narrat Iosephus, neque expresse dicitur in Exodo: colligitur tamen ex illo Exod. 2. postquam creuerat Moyses egressus est ad fratres suos, idem dixit Stephanus Act.7. tunc enim videtur fugisse domum Pharaonis,& adoptionem filiæ illius reliquisse.

57. Moysem fuisse adoptatum à filia Pharaonis constat Exod. 2. & Act.7.dicebatur autem filia Pharaonis Thermutis,vt narrat Iosephus, qui etiam dicit Moysem fuisse ab ea adoptatum.

58. Chrysost.&Græci hoc peccatum interpretantur non collaborare cum Hebræis, & simul cum illis affligi,alij non curare de liberando populo Israël,ne relinquere cogeretur Moyses delitias aulę Regię. Verùm quamuis Moyses sciret se electum esse à Deo ad liberandum populum, atque adeò se peccaturum si nollet illum liberare,vt colligitur ex Actor.7. tamen peccatum, cuius iucunditate frui noluit, nihil aliud fuit, quàm ipsa vita aulæ Regiæ secundum se, quæ tota in delitiis, ac proinde in peccatis esse solet,dixit autem *temporalis*, quasi transitorij,ac momentanei.

59. Improperium Christi multi interpretantur,quod sustinuit Moyses à suis contribulibus, quorum redemptor futurus erat, sicut Christus à suis etiam, ad quos etiam redimendos venerat. Alij dicunt hæc sola ratione non potuisse dici improperium Christi, alioquin,& quiuis diceretur etiam improperium Christi sustinuisse, ideoque addunt, illud sustinuisse exemplo Christi, cuius aduentum, & passionem rectè nouerat. Mihi verò placet sensus paraphrasis,vt improperium Christi dicatur, quod ipse postea docuit causa iustitiæ, & religionis esse sustinendum, & hæc etiam dicitur crux Christi ad Galat.6.

60. Græca lectio habet: *maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium,&c.* Sensus tamen idem est: dicitur autem diuitias Ægyptiorum tanquam ad se pertinentes contempsisse, quia cum haberetur loco filij à filia Pharaonis, diuitias illius suas reputare poterat.

61. Illud dicit ad commendandam fidem Moysis,quę non solùm fuit Catholica,& vniuersalis de remuneratione à Deo præparata,sed etiam particularis, qua credebat se illam consecuturum.

62. Hæc fides fuit particularis, qua credidit ex peculiari Dei reuelatione se liberaturum populum suum à seruitute.

63. Ver-

63. Verbum *fugit*, non solam fugam Mosis denotat, sed liberationem totius populi, quem adiuuit tanquam dux vt fugeret de Ægypto, sicut in paraphrasi, quare hæc non fuit fuga illa, qua primum fugit in terram Madian, à qua postea reuersus est, vt arbitrantur Theodoretus, Chrysostomus, & alij Græci.

64. Pro animositate in Græco est θυμὸς, Latine indignatio, & ira: nam vt explicuimus in paraphrasi Pharao ira succensus aduersus Moysem, & Iudæos, conuocaturus statim erat exercitum.

65. *Inuisibilem*, interpretati sumus, quem non videbat, in quo excellentia fidei Moysis maximè resplenduit.

66. Suppleuimus aliquid in eo numero ad explicandum quidnam operaretur in corde Moysis fides in Deum inuisibilem, ac si ipsum videret, *sustinuit* autem interpretati sumus *sperauit*, qui enim sperat in aliquo, ipsum longanimitate sustinere videtur.

67. Illud *celebrauit* non solùm significat peculiarem actionem ipsius Moysis, sed totius populi, cui ex præscripto domini iussit, vt illud festum etiam celebraret.

68. Effusio sanguinis, qua celebrasse dicitur Moyses, fuit id, quod in paraphrasi diximus, sicut indicant verba sequentia, *ne qui vastabat, &c.*

69. Vastator primitiuorum fuit Angelus exterminator, vt in paraphrasi. Vide Exod. cap. 12.

70. Fides hæc fuit particularis, qua crediderunt promissis Dei, lege cap. 14. Exod.

71. Hæc etiam fides particularis fuit, quamuis etiam manifesta reuelatione Dei.

72. Fides Raab non solum fuit vniuersalis, & Catholica, quia credidit Deum Iudæorum esse verum Deum, sed etiam particularis, qua credidit fore, vt diuina ope Iudæi caperent Iericho, lege cap. 2. & 6. Iosue, quomodo iustificata dicatur ex fide, Iacobi 2. diximus 1. 2. disput. 21 0. cap. 8. cùm autem Paulus hic dicit de illa, *non periit cum incredulis*, intelligit non solùm morte corporis, sed etiam animæ, nam postea iustificata est.

73. De Gedeone lege Iudicum 6. & 7. de Barac, Iudic. 4. de Samsone, Iudic. 13. & 14. de Iepthe, Iudic 11. de Dauide, & Samuele multa habes in libris Regum, & de Prophetis suis in locis, in quibus recensendis Paulus non seruauit ordinem temporis, quia sui instituti ratio id non postulabat. Porrò non omnes hos fuisse sanctos, neq; hoc loco sanctitatem, sed eximiam fidem commendari putant Chrysost & Theoph. At S. Thomas oppositum censet probabile, & sine dubio ita asserẽdum est: cùm Paulus in fine capitis dicat, *Et hi omnes testimonio fidei probati, &c.* neq; obstat quod aliqui eorũ peccauerint aliquando, nam postea iustificari

Digitized by Google

ficari potuerunt; & de Raab meretrice constat Iacob.2. de Dauide autem manifestum est.

74. Per iustitiam intelligit omne genus virtutis tam erga homines, quàm erga Deum, vt in paraphrasi, ex quo etiam constat eos omnes sanctos fuisse.

75. Per promissiones non intelligit promissionem vitæ æternę, nam de hac dicit in fine capitis, *non acceperunt repromissionem*, quinimo de Abraham, Isaac, & Iacob suprà dixit num. 31. mortuos fuisse nondum accepta, non solùm vita æterna, sed etiam neque terra promissa, in qua æterna fœlicitas figurabatur, intelligit ergo alias peculiares promissiones, quas suprà enumerauit.

76. Hoc non omnibus conuenit, sed quibusdam (sicut etiam alia quę hic enumerat) nempe Dauidi 1. Reg. 17. Samsoni, Iudicum 14. & Danieli cap. 6. dicuntur autem obturasse ora leonum, quia leones ore suo ipsis nocere non potuerunt.

77. Plerique vulgati codices legebant antea *effugauerunt*, iam verò emendata Sixti legit *effugerunt*, & Græca habent ἔφυγον, quod est effugerunt, sensus autem est, effugerunt periculum inimicorum, & incolumes seruati sunt non quidem fugientes, sed fortiter resistentes illis: sicut dicere solemus hoc modo aliquem effugisse mortis periculum: per aciem verò non exercitus inimicorum, sed os gladij iuxta Græcam lectionem intelligere debemus.

78. Quidam cum Chrysostomo, & Theophylacto infirmitatem accipiunt pro captiuitate Babylonica, à qua liberati dicuntur de illa quasi de ægritudine conualuisse; alij intelligunt de vera salute, quam aliqui post ægritudinem acceperunt, vt Ezechias 4. Regum cap. 20. sicut etiam intelligunt idem Theophylactus, & Oecumenius, & ita hunc numerum non coniungunt cum illo; *fortes facti sunt in bello*. Mihi verò placet sensus paraphrasis, ita vt cum numero sequenti eundem sensum integrum reddat, id autem accidit Iosue cap. 8. nam cùm cap. 7. ipse & exercitus eius in fugam esset versus, admonitus à Domino conualuit, & ciues Hai deuicit. Multo autem magis hoc dici potest de ciuibus Bethulię, vt constat ex libro Iudith, qui primum valde infirmi erant contra aduersarios, deinde per Iudith in fidem, & meliorem spem erecti conualuerunt, vt ordinem castrorum aduersariorum facile perturbauerint, & eos in fugam conuerterint.

79. In Græco est vox παρεμβολή, quam vertit Erasmus incursionem inimicorum: verùm vt alij recentiores notarunt, potius significat tentoria ordine castrorum disposita, hic autem sensus maximè congruit cum exemplo ciuium Bethuliæ quod suprà adduximus.

80. Per mulieres aliqui scholastici in materia de matrimonio intelligunt vxores,quæ maritos suos mortuos suscitari meruerunt: verum vox *mulier* latiùs patet quàm vxor, & de mulieribus multis legimus filios suos suscitari meruisse; quod verò,ait, *de resurrectione*, est per prosopopœiam,nam de resurrectione quasi de persona quadam loquitur,ac si ipsa restituerit mulieribus mortuos suos, fides autem illarum fuit particularis.

81. Græci pro *distenti sunt*, legunt ἐτυμπανίσθησαν, quod significat distentos veluti corium tympani extendi solet,ex libro tamen 2.Machabæorum cap.6. colligitur fuisse genus quoddam supplicij, quod tympanum dicebatur, nam vbi legimus Latinè, *Voluntariè ibat ad supplicium*, Græcè est ἐπὶ τὸ τύμπανον,hoc est ad tympanum,& iterum eodem modo in eodem capite: licet autem genus supplicij ita vocaretur, non est dubiũ in eo veluti in equuleo homines ita cruciari solitos, vt ibi etiam decoriarentur. Horum autem fides fuit non solum Catholica,& vniuersalis, sed etiam particularis, vt patet.

82. Cùm melior resurrectio comparatè dicatur ad aliam resurrectionem,variè à Doctoribus hæc comparatio explicari solet. Quidam enim cum Chrysostomo dicunt eos expectasse resurrectionem meliorem,quàm esset ea,ad quam mortui corporaliter suscitati dicuntur supra illis verbis, *acceperunt mulieres,&c.* Theophylactus, & Oecumenius meliorem dicunt comparatione illius, ad quam homines peccatores resurgent, hi enim ad immortalem vitam non resurgent; alij referunt ad resurrectionem aliorum iustorum, vt sensus sit eos noluisse liberari à tormentis, vt maiorem gloriam quàm plures alij sancti consequerentur. Ego verò puto comparationem fieri resurrectionis ad vitam immortalẽ,quam sperabant sancti cum liberatione à tormentis,quam tyranni promittebãt, hanc autem tacitè vocat Paulus resurrectionem, eo quod sit quædam à morte proximè imminente liberatio, nam & cùm quis à mortis periculo liberatur vulgo dici solet hodie natus est, Hispanè, *oy sebuaneido*, hoc autem accidit Elcazaro Machabæorum libro 2. cap.6.

83. Verba illa, *ludibria, & verbera experti*, non sunt coniungenda cum sequentibus, quasi iidem postquam in se ipsis experti fuissent ludibria, & carceres, lapidati essent, secti essent, tentati essent, &c. primum quia in Græco prædicta verba plenum sensum habent hoc modo, *alij ludibria, & verbera experti fuere*: deinde quia si coniungenda essent cum sequentibus, vnus & idem homo omnia mala, quæ deinceps narrantur, sustinuisset, id quod de nullo affirmare possumus, propterea in sequẽtibus per singula tormentorum, & aduersitatum genera addidimus vocem *alij*, vt singula singulis assignaremus.

Digitized by Google

84. Μῆλον Græcè significat ouem, vnde, & μηλώτη, Latinè melota significat pellem ouis cum lana, ex qua aliqui sancti vestes faciebant, hoc autem genus indumenti familiare esse solet his, qui extra vrbes sub dio degunt, quo quidem vsos fuisse aliquos Sanctos testatur Paulus hoc loco, & sanè cùm melota etiam dici possit vestis ex quibusuis pellibus animantium, hoc etiam intelligi potest de Elia vt cõstat 4. Regum 1. & de Ioanne, Matth. 3. quod autem ait, *circumierunt*, explicari debet, vt in paraphrasi, quod nimirum certam sedem non habentes huc, illucq; peruagati fuerunt.

85. Illud quod dicitur ibi, in Machabæis locum habuit, vt constat ex 1. libri, cap. 1.

Annotatio peculiaris circa locum Genes. 48. quem citat Paulus in hoc capite.

Difficultas huius loci, quem citat Paulus, ex eo orta est, quod non eodem modo legatur in vulgata Genesis 48. & in Paulo, nam Paulus citat lectionem Septuaginta, quamuis autem pro voce lectuli, quod habet vulgata, & voce virgæ, vt habent Septuaginta, eadem Hebraica vox sit, si vocales excipias, hoc est eisdem omnino solisque consonantibus primum ab scriptore sacro scripta fuerit, tamen ratione diuersarum vocalium, quæ postea consonantibus subiectæ sunt, diuersi sensus exprimi videntur, est autẽ Hebraicè verbum *natah*, quod inter alia inclinare, seu reclinare denotat, à quo oritur vox, quæ sine punctis seu vocalibus scribitur hoc modo *m. t. h.* & ita primum à scriptore sacro Genesis 48. scripta fuit, eius autem consonantibus varia puncta, seu vocales subiectæ sunt. ex hac verò varietate variæ significationes ortæ fuere, scribitur enim hoc modo *mitah*, & ita lectum significat, & hanc lectionem secutus est vulgatus Genes. 48. & scribitur etiam *miteh*. & ita virgam, seu baculum denotat & hanc lectionem secuti sunt Septuaginta, & citat Paulus: dictio autem vtrouis genere vocalium rectè à verbo prædicto deriuatur, eo quod tam super lectum, quàm supra baculum, & virgam corpus inclinamus, seu reclinamus. Iam vero vtraque lectio in vulgata est, eo quod illa quæ Genesis 48. erat septuaginta, apud Paulum facta est vulgata, negare autem inprimis non possumus eam certam & inconcussam esse debere, ac proinde dubitare non licet Iacob summitatem, seu caput baculi quo nitebatur Ioseph, & in eo ipsum Ioseph tanquã Dominum totius Ægypti adorasse, sicut etiam Hester 5. c. in signum reuerentiæ, & summissionis osculata est summitatem virgæ, quam tenebat Assuerus in manu sua, quia lectio, quam citat Paulus de adoratione virgæ, hoc ipso quod ab eo citatur,

non poteſt non canonica eſſe; affectus autem adorationis non in virgam, ſed in eum, qui virgam tenebat, nempe in ipſum Ioſeph tanquam in terminum tendebat, ſicut explicuit Athanaſius quem 3. part. diſput. 108. cap. 5. citauimus, & allegatur à Damaſceno orat. 3. de imaginibus his verbis, *Quemadmodum igitur Iacob cùm eſſet è vita diſceſſurus faſtigium virga Ioſeph adorauit, non virgam ipſam honorans, ſed eum, qui virgam tenebat.* Et Leontius citatus etiam à nobis ibidem. Ideoque in paraphraſi addidimus verba illa, *in ea ipſum vt Dominum totius Ægypti adorauit.* Quocirca ſententia Hieronymi in traditionibus Hebraicis in Geneſim, Eugubini, & Honcalæ in prædictum locum Geneſis, qui tranſlationē Septuaginta quam ſequitur Paulus, reprehendunt, nulla ratione probanda nobis eſt. Quomodo autem hæc lectio conſtare poſsit cum alia, quam eadē vulgata habet Gen. 48. expoſitores variè explicare ſolent. Quidā putant verbum eſſe ambiguum, & ita ex intentione Spiritus ſancti eo vtrumq; ſignificari, nempe, & quod Iacob adorauerit Deum conuerſus ad lectuli caput, quia caput lectuli erat verſus Orientem, quo ſe vertere ſolent adorantes, qua etiam de cauſa Eccleſię communiter verſus Orientem ædificantur, aut quia terra promiſsionis erat verſus Orientem, quo caput lectuli reſpiciebat, & quod adorauerit caput, ſeu ſummitatem virgę & in ea filium ſuum Ioſeph, pręcipuè autem Deum, qui ipſi Ioſeph in ſomnis reuelauerat, ſe à fratribus, & patre in Ægypto adorandum eſſe, & ideo vulgatam Geneſ. 48. addidiſſe vocem *Dominum* quamuis in Hebræo non habeatur.

Horum tamen ſententia difficilis eſt, eo quòd non poteſt vnica dictio vocari, quæ licet eiſdem conſonantibus conſtet, diuerſas tamen vocales habet, alioquin *amens, & amans* eadem eſſet dictio, diuerſas autem vocales, & puncta ſubiici illis conſonantibus *m t h* iam ſuprà monſtratum eſt; vno modo prolatum ſignificare lectum, & alio modo virgam, reliqui omnes nunc docent. Verùm prædicti expoſitores reſpōdent non eſſe curandum de vocalibus, & punctis, quæ à Iudæis addita ſunt, quia illi in eorum aſsignatione ſæpe errarunt, & ita ipſi contendere non videntur, vocem hanc in prima ſui origine eiſdem vocalibus ſemper efferri conſueuiſſe, quamuis ad virgam, & lectum ſignificandum ambigua fuerit.

Alij cum Hieronymo contendunt vno tantum modo legendum eſſe, ſicut habet vulgatus Gen. 48. lectionem autem Septuaginta quam citat Paulus, reiiciunt. Horum tamen ſententia vt ſuprà monui, nullo modo probanda nobis eſt, quod concedant hunc locum à Paulo perperam citari, ac proinde deceptionem quam tribuunt Septuaginta interpretibus, non tantùm interpreti Pauli, ſed etiam ipſi Paulo eo ipſo tribuere debeant.

Alij

Alij denique admittunt esse sanè duo vocabula Hebraica, quæ eisdem consonantibus constent, diuersa tamen sint propter diuersas vocales, vtroque autem vocabulo scriptorem sacrum vti voluisse exprimendo tantùm easdem consonantes, & vtrasque vocales sub illis intelligendo, & ad vtramque significationem consonantes ipsas ambiguas data opera reliquisse, hoc tamen difficile est.

Alij denique putant alteram solùm harum lectionum esse de fide, nempe eam, quam secutus est Paulus: in altera verò vulgatum interpretem Genesis 48. non habuisse infallibilem Spiritus sancti directionem, quod vtrum defendi posit an non 2. 2, q. 1. art. 10. in tractat. de scriptura sacra dicemus.

Certè si Hebraicum nomen vnicum tantùm esset, vt nonnulli dixerunt, quorum sententiam suprà memorauimus, ita vt sub illis consonantibus vnum tantùm genus vocalium intelligeretur, & eo tam lectulus, quàm baculus secundum rationem communem reclinatorij significaretur, siquidem tam in lectulo, quam in baculo corpus reclinamus, & intelligeremus vulgatam Genesis 48. quæ habet *lectuli*, posuisse speciem pro genere, hoc est, lectulum pro reclinatorio, rectè omnia constarent; sic enim idem sensus vtrobique esset, nempe Iacob adorasse reclinatorium, hoc est, baculum Ioseph, & in eo Ioseph, qui erat Dominus Ægypti, vt impleretur prophetia, quam in somnis vidit, & fratribus narrauit. Porro autem cum vulgatus Genesis 48. legit *adorauit Dominum*, dicendum est per vocem Dominum, quæ non est in Hebræo, sed ipse addidit, non intellexisse Deum, sed dominum terræ Ægypti, nempe Ioseph, vt in paraphrasi diximus: & hæc in huius testimonij explanationem hic dixisse sufficiat, nam loco citato, de his, & aliis huiusmodi plura dicemus.

ARGVMENTVM
CAPITIS XII.

POstquam Paulus ostendit excellentiam, & virtutem fidei, cuius filios Hebræos esse capit. 10. in fine dixerat, & per quam contra opprobria, & tribulationes, remunerationem

nem patienter expectare deberent, multosque in exemplum adduxit, qui virtute huius fidei roborati mira operati sunt, multaque aduersa egregiè tolerarunt, ad exhortationem quam ex instituto cap. 10. in fine proposuerat, redit, & tandem ad pacem, concordiam, & sanctitatem, atque vt voci Christi obtemperent, eos hortatur.

CAPVT XII.

1 IDeoque & nos tantam haben-
tes impositam nubem testium:
deponentes omne pondus, &
circũstans nos peccatum, per pa-
tientiam curramus ad proposi-
tum nobis certamen, aspicientes
2 in autorem fidei, & consumma
torem Iesum, qui proposito sibi
gaudio sustinuit crucem, confu-
sione contempta, atq; in dextera
3 sedis Dei sedet. Recogitate enim
eum qui talem sustinuit à pecca-
torib' aduersum semetipsum cõ-
tradictionem: vt ne fatigemini,
4 animis vestris deficientes. Non-
dum enim vsque ad sanguinem
restitistis, aduersus peccatum re-
5 pugnantes: & obliti estis conso-
lationis, quæ vobis tanquam filijs
loquitur, dicens: Fili mi, noli
negligere disciplinam Domini:
neq; fatigeris dum ab eo argue-
6 ris. Quem enim diligit Domi-
nus

PARAPHRASIS.

HAc 1 igitur ratione, & nos, tanta 2 sanctorum multitudine, qui spiritu fidei roborati tot aduersa patienter tolerarunt 3 veluti nube quadam 4 vndique circumdati, deposito omni pondere 5 terrenarum rerum, negotiorum, & affectionum, quod quasi extrinsecè per solam cogitationem nobis inest, & peccato, 6 quod magis intrinsecè, & pertinaciter nobis inhæret, ac proinde maiori impedimento esse potest contra aduersa, 7 omni patientia roborati, & muniti curramus, & in 8 pericula certaminis præsentis vitæ, quod nobis propositum est, nos conijciamus, vt fortiter contra illa dimicemus 9 intendentes in eum, qui est autor fidei 10 donans nobis spiritum eius, quo muniti currere debemus, 11 & consummator tribuens opportunitatem, vt id, quod animo concepimus opere exequamur, nempe in

nus, castigat: flagellat autem o-
7 mnem filium quem recipit. In
disciplina perseuerate. Tanquam
filijs, vobis offert se Deus, quis
enim filius, quem non corripit
8 pater? Quòd si extra disciplinam
estis, cuius participes facti sunt o-
mnes: ergo adulteri: & non filij
9 estis. Deinde patres quidem car-
nis nostræ, eruditores habuimus,
& reuerebamur eos: num multò
magis obtẽperabimus Patri spi-
10 rituum, & viuemus? Et illi qui-
dem in tempore paucorum die-
rum, secundum voluntatẽ suam
erudiebant nos: hic autem ad id
quod vtile est in recipiendo san-
11 ctificationem eius. Omnis au-
tem disciplina in præsenti qui-
dem videtur non esse gaudij, sed
mœroris: postea autem fructum
pacatissimũ exercitatis per eam,
12 reddet iustitiæ. Propter quod re-
missas manus, & soluta genua e-
13 rigite: & gressus rectos facite pe-
dibus vestris: vt non claudicans
quis erret, magis autem sanetur.
14 Pacem sequimini cum omnibus,
& sanctimoniam: sine qua nemo
15 videbit Deũ: Contemplantes ne
quis desit gratię Dei: ne qua radix
amaritudinis sursũ germinãs im-
pediat, & per illã inquinẽtur mul-
16 ti. Ne quis fornicator, aut profa-
nus vt Esau: qui propter vnam e-
17 scam vendidit primitiua sua. Sci-
tote enim quoniam & postea cu-
piens hereditare benedictionem,
repro-

in Iesum, qui 12 cum posses frui delitiis æterni patris absque vlla mentis & corporis tristitia, & dolore, nec gustare mortem, elegit pro nobis pati, & in cruce mori, confusione, & ignominia, quæ erat in ipsa, contempta, 13 atq; ita propter tot labores, & mortem crucis, quam pro nobis passus est, in dextera Dei sedet, & æternis gaudiis absque vllo iam labore, non solum mente, sicut ante fruebatur, sed etiam corpore simul perfruitur, dixi, vt 14 & vos exemplo Christi patienter aduersa feratis, seriò 15 enim considerate eum, qui 16 cum innocẽs esset, tales (vt bene nostis) à peccatorib. in semetipsum illatas sustinuit iniurias, ne præ afflictione animi fatigati deficiatis in laboribus, 17 quæ vobis adhuc perferendi supersunt, nondum 18 enim vsque ad mortem 19 restitistis pugnantes, quasi in agone contra 20 peccatum, ad quod vos pertrahere contendunt, qui vos affligunt, atq; insectantur, 21 & recogitate, dico, eum, qui talẽ sustinuit aduersum se contradictionem, quia memoria non retinetis verba domini 22 consolationis plena, quibus vobis etiam sicut aliis loquitur dicens: Fili noli negligere disciplinam domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris, quẽ enim diligit dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. *Prou. 3. 23 Quæ quidem domini verba pro consolatione vestra memoria retinebitis, si enim*

reprobatus est: non enim inue-
nit pœnitētiæ locum, quanquam
cum lachrymis inquisisset eam.
18 Non enim accessistis ad tractabi-
lem montem, & accensibilem i-
gnem, & turbinem, & caliginem,
19 & procellam, & tubæ sonum, &
vocem verborum, quam qui au-
dierunt, excusauerunt se, ne eis
20 fieret verbum. (Non enim por-
tabant, quod dicebatur: Et si be-
stia tetigerit montem, lapidabi-
21 tur. Et ita terribile erat quod vi-
debatur, Moyses dixit: Exterritus
22 sum, & tremebundus.) Sed acces-
sistis ad Sion montem, & ciuita-
tem Dei viuentis, Ierusalem cœ-
lestem, & multorum millium An-
23 gelorum frequentiam & Eccle-
siam primitiuorum, qui conscri-
pti sunt in cœlis; & iudicem om-
nium Deum, & Spiritus iustorum
24 perfectorum, & testamenti noui
mediatorem Iesum, & sanguinis
aspersione melius loquentē quā
25 Abel. Videte ne recusetis loquē-
tem. Si enim illi non effugerunt,
recusantes eum qui super terram
loquebatur: multo magis nos qui
de cœlis loquentem nobis, auer-
26 timus. Cuius vox mouit terram
tunc, nunc autem repromittit,
dicens: Adhuc semel, & ego mo-
uebo non solum terram, sed &
27 cœlum. Quod autem, adhuc se-
mel dicit: declarat mobiliū trans-
lationem, tanquam factorum, vt
maneant ea quæ sunt immobilia:
Itaq;

si eum, quem dixi, recogitetis, cum in
ipso sicut in prædestinatis omnibus,
qui ei similes effecti sunt, sensus eo-
rum expressus videatur. Perseuerate
igitur alacri animo in perferendis
aduersis non spiritu seruorum, &
malefactorum 24 quasi in suppli-
ciis, & tormentis inuiti, sed tanquam
sub disciplina, & correptione patris,
in illis enim 25 se gerit Deus erga
vos sicut pater erga filios, cum eos
corripit, nam quis vnquam alicuius
filius fuit, quem pater non corripiat?
Quare si sub hac disciplinæ, & corre-
ptionis ferula, quam in tribulationi-
bus esse dixi 26 non essetis, sub qua
omnes filij, hoc est, sancti semper sunt
27 nothi quidem, & non legitimi fi-
lij Dei essetis. Deinde 28 si patres
carnales corporū nostrorum 29 ca-
stigatores nostri fuerunt, & nihilo-
minus eos reuerebamur, 30 nonne
multo magis Deo, qui est pater spiri-
tualis animarum nostrarum, casti-
ganti nos libenter acquiescemus. 31
nec vllo modo impatienter afflictio-
nes ab ipso immissas sustinentes ei re-
luctabimur? 32 & illi quidem 33
vt in rebus ad hanc vitam mortalem
pertinentibus nos instruerent, prout
ipsis placebat, & videbatur, castiga-
bant nos. Deus autem castigat &
erudit, vt id dicamus, & faciamus,
quod ad obtinendam iustificationem
nostram vtile est: 34 quamuis au-
tem omnis correptio, & castigatio,
quod ad præsentem vitam attinet,
nihil

Digitized by Google

28 Itaque regnum immobile susci-
pientes, habemus gratiam: per
quam seruiamus placentes Deo,
29 cum metu & reuerentia. Etenim
Deus noster, ignis consumẽs est.

nihil gaudij, sed mœroris afferat, postea 35 tamen in alia vita 36 castigatis, & eruditis per eam reddit fructum iustitiæ pace, & gaudio plenissimum, 37 qui est æterna beatitudo, 38 Quapropter remissas animi manus, & soluta mentis genua roborate, hoc est, ne in rebus aduersis animum despondeatis, nec pigri sitis, & desides, vt per aduersa omnia 39 rectè incedatis, ne claudicantes præ animi desperatione à via virtutis quis vestrûm aberret, 40 sed potius ab huiusmodi morbo claudicationis saluetur, & liber sit. Pacem totis viribus persequimini, vt eam seruetis cum 41 omnibus, & cum his qui vobis aduersi sunt: 42 tum etiam omne genus sanctitatis, sine qua nemo videbit Deum, attentè considerantes, 43 ne deficiatis gratiæ Dei vocantis, quæ vos ad pacem, & omne genus sanctitatis excitat, ne qua etiam radix 44 alicuius peccati germinans gratiæ fructum in vobis impediat, & occasione illius alij etiam multi malo vestro exemplo inquinentur, & in similia prolabantur. Ne quis fornicator in vobis sit, 45 aut gastrimargus, hoc est, gulæ deditus, & spiritualia repellens 46 qualis fuit Esau, qui pro lenticulæ edulio vendidit fratri suo Iacob ius suæ primogenituræ, & sacerdotij: 47 recogitate enim quo pacto postea cupiens à patre suo benedictionem primogeniti hereditate obtinere, reprobatus est ab eo, & à sua postulatione reiectus, non enim à patre obtinere potuit, vt facti ipsum 48 pœniteret, 49 & sibi benedictionem primogeniti concederet, reuocata priori, quam Iacob dederat, etiamsi cum lachrymis eam postulasset. 50 Quare & vos timere debetis, ne si profani fueritis sicut Esau, & gratiam Dei contempseritis, iterum eam non recuperetis. 51 Ideò autem exhortatus sum, vt remissas animi manus, & soluta mentis genua roboretis, hoc est, ne in aduersis animum despondeatis, quia si hæc omnia pro Christo non sustinueritis, sed fidem eius reliqueritis, multò minus excusabiles eritis, quàm illi antiqui Iudæi, qui Deum in caligine loquentem audire recusarunt, neque enim vos sicut illi accessistis ad montem Sina 52 palpabilem, & sensibilem, 53 ad ignem accensum, caliginem, & procellam, tubæ sonum, & vocem verborum ibi sonantem, quam qui audierunt 54 deprecati sunt, ne Deus è monte illo, & turbine ad ipsos eo modo loqueretur, quod vocem Dei ita loquentis difficulter ferre possent, cùm non solum ipsis hominibus Deus se terribilem exhiberet, sed etiam bestiis, si quidem præceperat, vt bestia, quæ montem attigisset, lapidaretur, qua de causa aspectus illius montis, & modus quo Deus in eo loquebatur, terribilis apparebat. 55 Quin & Moyses ipse

 præ

præ timore dixit: Exterritus sum, & tremebundus: 56 *sed enim primum fidem Christi suscepistis, accessistis ad Sion montem spiritualem, & ad ciuitatem Dei viuentis, nimirum ad cœlestem Hierusalem, ad multorum* 57 *millium Angelorum societatem, qui illius ciuitatis ciues sunt, facti conciues, & consortes illorum; ad Ecclesiam, & congregationem* 58 *primogenitorum noui testamenti, qui in terris adhuc manentes, in cœlis vt ciues conscripti sunt,* 59 *ad Deum, qui omnium iudex est,* 60 *ad animas patrum legis naturæ, & veteris testamenti, qui iam ipsa beatitudine fruentes perfecti sunt, ad Iesum mediatorem noui testamenti, ad sanguinis ipsius aspersionem,* 61 *qua nouum testamentum confirmauit,* 62 *& multo melius per illam loquitur postulans à Deo misericordiam pro nobis, quàm Abel per sanguinem suum clamauit postulans à Deo vindictam. Videte itaque ne* 63 *Christo loquenti, & præcipienti obedire recusetis, si enim illi* 64 *vindictam Dei non effugerunt, eo quòd restiterunt Moysi, qui terrenus cum esset, ipsis loquebatur, & legem proponebat: multò magis nos Dei vindictam non effugiemus,* 65 *qui Christo de cœlo cœlestia præcipienti non obedimus, cuius vox antiqua illo tempore mouit terram in monte Sina, cum legem antiquam populo Israel tradidit:* 66 *pro hoc autem tempore prædicationis Euangelij per Prophetam Aggæum c. 2. promittit se adhuc semel non terram, sed etiam cœlum commoturum, cum autem dixit,* adhuc semel, *eo ipso ostendit adhuc illi superesse aliud tempus, in quo aliam legem ferat, nempe mouendo cœlum, & terram, sicut mouit terram, cum priorem tulit, ac proinde priorem vsque ad illud tempus solùm latam, & ita mobilem esse, ostendit igitur mobilium præceptorum illius legis* 67 *præterito solum tempore latorum abrogationem, vt deinceps* 68 *ea solùm permaneant, quæ* 69 *nunquam abroganda sunt. Ergo Euangelij legem nunquam mutandam suscipientes præsto habemus gratiam, per quam seruiamus Deo cum metu, & reuerentia ipsum timentes.* 70 *Etenim Deus noster velut ignis deuorans est aduersus eos, qui legem eius non seruant.*

ANNOTATIONES.

1. Particula *ideo* causæ, & illationis notionem habet, vt ex dictis in præcedenti capite Apostolus inferat id quod Hebræis suadere contendit.

2. Testes appellat sanctos, quorum exemplo Hebræos ad labores, & aduersitates patienter tolerandas prouocat.

3. Chrysostomus, & Theophylactus putant Paulum vsum fuisse exemplo nubis, eo quod positi in æstu tribulationis, & laborum, eorum memoria

memoria quasi nube recreantur: melius tamen Theodoretus putat multitudinem sanctorum comparari nubi, eo quòd tanta sit, vt quasi densitate sua nubem exæquet.

4. Pro *impositam* Græcè est περικείμενον, Latinè *circumpositam*. Syriaca quoque lectio ita habet, quam Græci, cum Chrysostomo sequuntur, sensus tamen vtroque modo idem est.

5. Ea verba addidimus ad explicandum quid per pondus Apostolus intelligat, nempe id quod extrinsecum nobis, sicut etiam qui in stadio currunt, omne pondus cuiusque rei extrinsecæ prius deponunt.

6. Peccatum est aliud genus impedimenti magis intrinsecum, idq; denotauit vox illa *circumstans*, Græcè εὐπερίστατον, quã vocem Doctores variè exponunt. Chrysostomus & Theophylactus ita interpretantur: *Quod nos facile circumueniat, siue quod circumueniri, & vinci à nobis facile possit.* Præterea Theophylactus etiam exponit, propter quod facile in pericula ruamus, Theod. quod facile contrahitur, & gignitur, alij verò quo quasi neruo quodam impedimur, ne viam mandatorum Dei curramus; periti tamen linguæ Græcæ cum Erasmo putant, hanc vocem significare, quod pertinaciter inhæret, quorum expositio mihi magis probatur, vt ita crescat oratio Pauli, & postquam exhortatus est, vt abiiciamus extrinseca pondera, & impedimenta, suadeat etiam vt deponamus intrinseca, quæ sunt peccata, & quæ multo magis possint cursum impedire.

7. Patientiæ ad cursum mentionem facit, eo quod ad superandas ipsius cursus difficultates necessaria sit.

8. In Græco non est, *Ad propositum nobis certamen*, sed, propositum nobis certamen, & putant aliqui mendosam esse lectionem cum præpositione *ad*, tum quia in Græco no nest, neq; patres Græci ita legunt, tum quia non rectè dicantur currere ad certamen, sed ad brauium, cumque ipse cursus sit certamen, dicamur currere certamen. Verũ cum vulgata Sixti cum præpositione legat, non est cur mendum in priori lectione agnoscamus. Adde quod non minus propriè dicimur currere ad certamen, conijcientes nos in pericula illius, vt dimicemus, quàm ad brauium. Syriaca autem legit etiam, ad certamen.

9. Nonnulli dicunt Apostolum exhortari Hebræos, vt in Christum tanquam in magistrum mentis oculos intendant, & ab eo discant currere. Ego verò puto Paulum eos exhortari, vt in Christo spem suam collocent, eo quod eius gratia nixi facile currere, & pericula omnia superare possint.

10. Christus dicitur autor fidei, non solum quia docuit nos ea, quæ credere debemus, sed etiam quia præbuit nobis per spiritum gratiæ, vt ea crederemus, per fidem verò intelligit Paulus tam particula-

G 2 rem,

Digitized by Google

rem, quam vniuersalem, quia capite præcedente de vtraque fuerat locutus, & vtraque ad vincenda pericula, & aduersa hujus vitæ maximè iuuat.

11. Nonnulli putant dici Christum consummatorem fidei, quia ea quæ credenda in hac vita docuit, postea in alia videnda exhibebit. Mihi videtur consummationem fidei hoc loco pertinere ad gratiam subsequentem, quæ vt diximus 1. part. disp. 88. cap. 11. consistit in opportunitate opere exequendi, quæ per gratiam cooperantem facere decreuimus, iuxta illud ad Phil. 2. *Qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*, nam perficere idem est quod opere exequi id, quod iam volumus.

12. Græci, si verbum pro verbo reddas, legunt: *qui proposito sibi gaudio, &c.* loco autem præpositionis *pro*, quam vulgata editio non habet, in Græco est præpositio ἀντὶ, qua Græci vtuntur, vt denotent id in cuius locum aliud subrogatur, & ita ponitur in illo Psalm. 44. *pro patribus tuis, &c.* & in illo Matt. 2. *pro Herode patre suo*, & Latinè per propositionem *pro* explicatur; putantque aliqui ita fuisse in Latina nostra versione cum illa præpositione *pro*, vitio tamen librariorum festinantium in Scriptura sublatam fuisse, propterea quod viderent sequentem dictionem *proposito*, eadem syllaba incipere. Verùm cùm vulgata emendata à Sixto, talem præpositionem non habeat, credendum non est vitio librariorum sublatam fuisse, sed sine illa in vulgata semper legi consueuisse; eamque omissam à vulgato fuisse, quod sine illa idem omnino sensus esset, vt patet. Porro gaudium quod dicit Apostolus propositum fuisse Christo, quidam putant gaudium de salute humani generis, quam ipse operatus erat, vt illa moueret ad sustinendam mortem, & passionem, quem sensum dicunt locum habere posse, si legamus cum præpositione *pro*, ita tamen vt accipiatur pro præpositione *propter*, sicut interdum fieri solet, & in hoc capite in hoc sensu capitur, cum dicitur, *Qui propter vnam escam vendidit primitiua sua*, nam pro præpositione *propter* est in Græco ἀντὶ. Hic autem sensus rectè etiam quadrare posset vulgatæ nostræ, quæ non habet præpositionem *pro*: nam sine illa verbis illis *proposito sibi gaudio*, denotari posset finalis causa. Verum hic sensus mihi non probatur, primùm quia in illo alio loco præpositio ἀντὶ, ita explicatur per *propter*, vt finalem causam non denotet: hic autem sensus exprimit finalem causam: deinde quia finis propter quem Christus dicitur voluisse redimere nos, non fuit gaudium quod habiturus erat, hic enim solùm fuit finis, quem vocant impulsiuum: sed fuit gloria Dei, quam ex charitate erga ipsum primariè quærebat: per gaudium igitur intelligamus id, quod in paraphrasi diximus, intelligi autem potest siue addatur præpositio *pro*, siue non addatur: notandum quoque est,

eſt, ex hoc loco perperam probare voluiſſe Canum 12. lib. de locis capit. 14. ſub finem Chriſtum tempore paſsionis nullam de Deo viſionem claram, & fruitionem habuiſſe, cuius ſententiam confutauimus 3. par. 1. tom. diſp. 73. cap. 4.

13. Particula *atque*, non ſolùm eſt nota coniunctionis, ſed etiam indicat cauſam meritoriam, ob quam Chriſtus tantam gloriam corporis fuerit conſecutus: nam gloria animæ iam anteà ſine merito vllo fruebatur.

14. Mutat perſonam ſicut 1. ad Theſſ. 5. illis verbis: *Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei, non ſumus noctis, neque tenebrarum.*

15. Pro cauſali *enim*, aliqui Græci codices legunt γάρ, quæ eſt cauſalis: aliqui verò οὖν, Latinè *igitur*, aut *itaque*, quæ eſt nota collectionis, & ſanè difficilis eſt hoc loco ſenſus cauſalis, iuxta id tamen, quòd ſæpius in Paulo obſeruauimus, ſenſus illius rectè conſtare poteſt, ſi non ad proximè, ſed ad remotè præcedentia referatur, vt in paraphraſi, nempe ad illud, *curramus ad propoſitum, &c.*

16. Illud *cum innocens eſſet*, addidimus textui Pauli, nam argumentum illius à maiori deſumptum videtur.

17. Partem illius numeri addidimus, vt explicaremus, id cuius cauſam reddit cauſalis *enim* ſequentis numeri, quod implicitum erat in voce illa *deficientes*.

18. Particula, *enim* refertur ad id, quod in præcedente numero ſuppleuimus, per ſanguinem verò intelligit mortem, quæ effuſione ſanguinis fit.

19. Pro *repugnantes* in Græco eſt ἀνταγωνιζόμενοι, quod Latinè reddi poteſt, *pugnantes, quaſi in agone.*

20. Per peccatum aliqui intelligunt peccatum infidelitatis, nos interpretati ſumus peccatum ſimpliciter pro eo, ad quod aduerſarij Hebræos pertrahere contendebant, quod præſertim erat infidelitatis.

21. Particula, *&*, refertur ad cauſalem *enim*, quæ eſt in num. 18, & iterum illam repetit, continuat enim ſenſum illius numeri, nimirum, quare debeant Chriſtum conſiderare, & paſsiones illius, nimirum, vt in memoriam reuocent verba illa Prouerb. 13 quę in ipſo Chriſto expreſſa relucent, vt dixit Apoſtolus ca. 2. autor ſalutis noſtræ per paſsiones conſummatus eſt, & hac ratione prædeſtinatos aſsimilatos fuiſſe Chriſto in perferendis laboribus, docuit idem Paulus ad Rom. 8. vt ibidem obſeruauimus.

22. Conſolationem vocat hoc loco verba Scripturæ, quibus Hebræi conſolari ſe poſſent iuxta illud ad Rom. 15. *Vt per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus*, hoc eſt exemplo conſolationis, quæ in aliquibus in aduerſis conſtitutis accidit, vt Scriptura commemorat,

 ſpere-

rum eum hic Paulus alia peccata numeret, ad quæ euitanda exhortatur Hebræos, melius per sanctimoniam omne genus sanctitatis intelligimus.

42. Per sanctimoniam omne genus sanctitatis intelligit, & non solùm eam, quæ est in patienter tolerandis aduersis.

43. Verba illa *ne quis desit*, &c. nonnulli ita legunt cum Chrysostomo, Theodoreto & Theophylacto, vt quisque curet de alijs ne desint gratiæ Dei, eo quod participium *contemplantes* Græcè ἐπισκοποῦντες, Latinè semper intendentes significare videatur curam, & vigilantiam erga alios, verum non est cur ad curam erga alios id referamus, sed ad eam quam quisque erga seipsum habere debet, neque enim vllum est verbum in Paulo, quod de cura erga alios intelligatur, & participium illud quod significat, *diligenter inspicientes*, curam vniuscuiusque erga se ipsum rectè denotare potest. Deficere gratiæ, idem est, quod gratiæ Dei non respondere, ideo per gratiam intelleximus vocantem, & excitantem, hac phrasi vtitur Concilium Tridentinum, hoc modo sessione 6. cap. 11. & est Augustini, vt 1. p. disput. 84. cap. 6. & disp. 98. cap. 6. notauimus.

44. Per radicem amaritudinis nonnulli intelligunt radicem peccati iræ, quæ in rebus aduersis pullulare solet, nos intelleximus radicem omnis peccati, siquidem quouis peccato gratiæ fructus, & sanctitatis, de quo fuerat locutus in vniuersum, impeditur, idque probatur ex eo quod statim enumerat peccata alia distincta à peccato iræ, quæ cupit, vt in Hebræis non sint, rectè autem peccatum amaritudinem vocat, quia peccato nihil amarius est, per radicem autem aliqui intelligunt non inclinationem peccati in quouis homine, sed hominem aliquem, qui alijs scandalo esse posset, iuxta illud Deuter. 29. *ne sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem*, nam Septuaginta eo loco fere eadem verba habent, quæ habet Paulus in hoc capite: mihi tamen prior sensus magis probatur.

45. Pro *profano*, in Græco est βέβηλος, interpretatur autem Chrysostomus intemperantem, gulosum, & spiritualia repellentem.

46. Esau non adducitur à Paulo in exemplum fornicatoris, sed voracis, gulosi, & spiritualia repellentis, dicitur autem repellens spiritualia, quia vendidit ius primogenituræ, cui sacerdotalis dignitas erat annexa; vt colligitur ex Hieronymo in traditionibus Hebraicis, & in epistola 126. & Clemente libr. 8. Constitutionum Apostolicarum, cap. 3.

47. *Scitote* idem est quod recogitate, aut mementote, scientibus enim loquebatur Paulus.

48. Hoc

48. Hoc loco per pœnitentiam non intelligit Paulus pœnitentiam, quam Esau habere contenderit de peccatis, vt nonnulli putant, neque enim agitur de remissione peccatorum, neq; de reprobatione à beatitudine, & gratia, qua reprobatus esset Esau, neq; intelligit pœnitẽtiam, quam ipse etiam Esau habuisset, quod vendidisset primogenita, quasi sensus sit ipsum non inuenisse effectum suæ pœnitentiæ, cum primogenituram non recuperasset, quia inuenire locum pœnitentiæ non est inuenire effectum illius, sed opportunitatem pœnitendi, hanc autem habuit Esau, cum re ipsa pœnituerit ipsum, quod primogenita vendidisset, sed intelligit pœnitẽtiam Isaac, qua fructum, hoc est benedictionem datam Iacobo reuocaret, & eam Esau tribueret, huius enim pœnitentiæ locum verè non inuenit, quia obtinere non potuit ab Isaac, vt facti ipsum pœniteret, cùm autẽ subiicit *quanquam cum lachrymis inquisisset eam*; per *eam* intelligere potest benedictionem ipsam, vel pœnitentiam ipsius Isaac, ex qua pendebat benedictio, quam obtinere nitebatur.

49. Quamuis autem Isaac motus lachrymis Esau illum tandem benedixerit, tamen benedictionem primogenituræ ab eo Esau obtinere non potuit. Porro illam benedictionem, quam Esau ab Isaac obtinuit Genesis 27. non fuisse benedictionem primogenituræ, sicut fuerat illa, quam surripuit Iacob, non colligitur ex eo, quod in benedictione Iacob prius dixerit Isaac *de rore cæli*, quam *de pinguedine terræ*, contrà verò in benedictione Esau, sed quòd ita Isaac benedixerit Iacob, vt dixerit *seruiant tibi populi, &c. esto Dominus fratrum tuorum*. In quo ipsum cæteris prætulit tanquam primogenitum, benedicens autem Esau id non dixerit, sed tantum deprecatus ei fuerit rorem cœli, & pinguedinem terræ.

50. Totum hunc numerum suppleuimus, vt explicaremus, quid hoc exemplo Esau Paulus contendat Hebræis suadere.

51. Numerum illum totum addidimus, vt connecteremus causalem illius periodi sequentis, *non enim accessistis* cum præcedente, breuiterque præmisimus id, quod Paulus post multa colligit ex comparatione antiquorum Iudæorum cum præsentibus.

52 Pro *tractabilis* in Græco est ψηλαφωμένῳ, Latinè palpatum, seu contactum, idem autem est, ac si diceret sensibilem, neq; enim vt quidam asserunt, per antiphrasin dictum fuit ab Apostolo tractabilis mons ille, eo quod nemo illum contingere posset, vocat autem sensibilem montem Sinai, hoc est corporeum illum, & materialem, in quo antiquis Iudæis data est lex, cui infra num. 56 opponit Sion spiritualem, nempe Ecclesiam Dei, cuius ciues sunt Angeli.

Digitized by Google

53. Pro *accessibilem* legitur in aliquibus vulgatis, & in emendato Sixti accensibilem, quę lectio Gręcis exemplaribus respondet, habent enim κεκαυμένον. Latinè accensum.

54. Pro *excusauerunt se*, in Græco est verbum, παρῃτήσαντο, quod Latinè significat recusarunt, interpretati autem sumus *deprecati sunt*, & Paulus dixit excusarunt, quia non simpliciter, sed cum deprecatione ratione timoris postularunt, ne Deus ipsis loqueretur.

55. Verba illius numeri non habentur Exodi 19. & 20. in bibliis, quæ modò in vsu sunt, quidam putant tempore Pauli fortasis in quibusdam fuisse. Ego autē probabilius existimo in bibliis nunquam fuisse, sed traditione apud Hebræos rem hanc permansisse, quam expresit Paulus hoc loco. Sicut illa sententia, *beatius est magis dare, &c.* referri autem non possunt ad tempus, quo Moyses vidit Dominum in rubo, vt aliqui referunt, quia Paulus ea refert ad tempus, quo Dominus loquebatur in Sina.

56. Particula aduersatiua, *sed*, respondet negatiuæ, *non*, quæ est in illa periodo *non enim accessistis, &c.* addidimus autem illud, *cùm primum fidem Christi suscepistis*, vt indicaremus tempus, quo illi Hebræi ad quos scribit Paulus, ad montem Sinai spiritualem accesisse dicuntur, spiritualem autem montem Sinai opponit corporali, vt num. 52. notaui.

57. *Millia* Latinè, & μυρίας Græcè, quod decem millia significat pro magno numero sumuntur.

58. *Primitiuorum* Græcè πρωτοτόκων, quæ vox primogenitum significat, vocat autem primogenitos non quoscunq; fideles, vt nonnulli putant, neque quoscunque sanctos, qui iam beatitudine perfruebantur, etiamsi dicat, *conscripti sunt in cælis*; sed Apostolos, & primos illos fideles, qui cum Euangelij prædicatione cœperunt, quos dicit scriptos esse in cœlis, quia etiam viatorum nomina in cœlis scripta dicuntur, sicut dixit Christus Matth. 11. & Lucæ 10. discipulis suis, *Gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Porro Paulum non loqui de Sanctis qui iam beatitudine fruebantur, patet, quia de his statim loquitur, atque in hoc sicut in reliquis præfert etiam statum Hebræorum qui susceperunt fidem Christi, antiquis Iudæis, qui ad montem Sina accesserunt, siquidem eo tempore nullus spiritus sanctorum beatitudine perfectus erat.

59. Per Deum hoc loco nonnulli intelligunt Christum, cui datum est iudicium facere; verùm cum postea Christi mentionem faciat; cùm dicit, *& Testamenti noui mediatorem Iesum*, multò melius Deus secundum diuinitatis naturam intelligitur.

60. Per iustos perfectos intelligit animas iustorum, qui Euangelij prædicationem præcesserunt, hæ namque iam post Christi mortem eo tem-

tempore quo Paulus scribebat, beatitudinem erant consecutæ, & ideo perfectę dicebantur: aliqui vulgati codices non legunt spiritus, sed spirituum, ita vt referatur ad iudicem, & sit sensus ad iudicem spirituum perfectorum: verùm codex emendatus iam habet *Spiritus*, & lectio hæc respondet Græco exemplari, redditq; sensum quem in Paraphrasi secuti sumus, qui multò accommodatior est.

61. Cùm vocasset Christum noui Testamenti mediatorem, & postea mentionem adspersionis sanguinis ipsius fecisset, expresſimus verbis illis, quæ addidimus, effectum huius adspersionis pro nouo Testamento.

62. Vocem *loquentem* referre possumus ad ipsam sanguinis Christi adspersionem, & ad ipsum Christum per sanguinis adspersionem clamantem, quod verò dicit, *quàm Abel*, nonnulli ita explicant, vt Abel sit in casu gignendi, & sensus sit, *quàm sanguinem Abelis*. Cæterum cum in Græco dicatur παρὰ τὸν Ἄβελ, & articulus τὸν non posſit referri ad sanguinem Abelis, qui Græcè est neutrius generis nempe αἷμα, ideò alij dicunt referendum esse ad ipsum Abelem, vt sensus sit, *quàm ipsum Abelem*. Intelligunt autem Abelem defunctum loquentem fide sua in hominũ memoria, sicut ad Hebr. 11. etiam interpretati sunt: referri etiam posset ad effusionem sanguinis Abelis Græcè ῥαντισμοῦ, vt subintelligeretur effusio sanguinis, verùm nos ita retulimus ad Abelem, vt ipse intelligatur locutus non per solam fidem in hominum memoria, sed per sanguinem postulans vindictam, sicut ad Hebr. 11. exposuimus.

63. Per loquentem, quem dicit Paulus recusandum non esse, non est intelligendus sanguis Christi, quia Græcè sanguis est neutrius, loquens autem masculini generis, neq; intelligenda est adspersio sanguinis loqui, quamuis adspersio Græcè sit masculini vt præced. numer. notauimus, sed Christus ipse non quidem per sanguinem postulantem misericordiam, hoc enim solum adduxit Paulus, vt ostenderet ad quantò nobiliorem montem Iudæi conuersi accesſiſſent, sed præcipiens, & leges ferens, vt ei obediatur, vt verba sequentia indicant.

64. Illud *vindictam Dei*, supplendum esse manifestum est; porro per eum, qui super terram loquebatur, non esse intelligendum Deum, qui loquebatur in monte Sinai, sed Moysem ipsum, vt docent Chrysostomus, Theophylactus, & alij, cui legem proponenti obedire noluerunt Deuter. 5. inde probatur, quia cùm noluerunt audire Deum loquentem in Sina, non fuerunt transgressores legis, sed solùm præ timore deprecati sunt, vt Deus ipsis eo modo non loqueretur, & ita num. 54. de illis non dixit Moyses, *recusarunt audire vocem*, sed *excusarunt se*, quod nos interpretati sumus, *deprecati sunt ne Deus ipsis ita loqueretur*.

Et ita non legimus hac de causa eos punitos fuisse. At Deuter. 5. Moysi proponéti legem planè obedire recusarunt, propter quod puniti sunt, vt idem Paulus ad Hebr. 2. testatur, vbi eodem vtitur argumento à minori, quo hic vsus est de lege Moysis, & Christi, illud autem *super terram*, non refertur ad locum, vbi Moyses proposuit legem, siquidem etiam Christus super terram fuit, sed ad ipsum Moysem, vt ostendat Paulus, illum terrenum hominem fuisse.

65. Non dicitur à Paulo Christus locutus de cœlo, quia per Spiritum sanctum de cœlo missum fuerit locutus, vel quod eo tunc cum Paulus scribebat, de cœlo loquebatur, nam cùm ipse etiam super terram locutus fuerit, & fidem pr̨dicauerit, ad quam Hebræi conuersi fuerant, argumentum Pauli à minori parum roboris haberet, sed illud *de cœlo* refertur ad Christum, vt in paraphrasi ob rationem dictam iuxta illud Ioan. 3. *Nisi qui descendit de cœlo, &c.* & ita argumentum Pauli efficacissimum est, quale fuit illud ad Hebr. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, &c.*

66. Illud *nunc autem* non est referendum ad tempus prophetiæ, quæ iam tempore Aggæi præcesserat, sed ad tempus quo implenda erat, & ideò interpretati sumus: *Pro hoc autem tempore, &c.*

67. Illud *factorum* quidam interpretantur *rerum creaturam, & corruptibilium* quod de rebus huiusmodi tantum lata fuisset lex illa; alij, *rerum quæ iam verè facta, & impleta sunt.* Ego verò existimo vt in paraphrasi interpretandum esse, quia loquitur de lege, quæ iam omnino abrogata fuerat, & ideo eam mobilem appellauit.

68. Addidimus illud deinceps, vt indicaremus legem Christi non fuisse antea simul cum lege Moysis, & eam sine lege Moysis immotam permansisse, sed tunc abrogata lege illa veteri incepisse.

69. Illud, *immobilia*, idem est, quod nunquam mutãda, & abroganda.

70. Causalis *etenim* refertur ad timorem, cum quo inquit Paulus Deo seruiendum esse.

ARGVMENTVM
Capitis III.

Caput hoc paraneticum est, varia continens spiritualis vitæ documẽta, post quæ illorum preces pro se efflagitat, & bene illis precatus salutationibus epistolam claudit.

Capvt

CAPVT XIII.

1 CHaritas fraternitatis maneat
2 in vobis. Et hospitalitatem
nolite obliuisci, per hanc enim la-
tuerunt quidã, Angelis hospitio
3 receptis. Memẽtote vinctorum,
tanquã simul vincti, & laborãtiũ,
tanquam & ipsi in corpore mo-
4 rantes. Honorabile connubiũ in
omnibus, & thorus immacula-
tus. Fornicatores enim, & adul-
5 teros iudicabit Deus. Sint mores
sine auaritia: contenti præsenti-
bus: ipse enim dixit: Non te de-
6 seram, neque derelinquam: ita vt
confidentes dicamus, Dominus
mihi adiutor: non timebo quid
7 faciat mihi homo. Mementote
præpositorum vestrorum, qui
vobis locuti sunt verbum Dei:
quorum intuentes exitum con-
8 uersationis, imitemini fidem. Ie-
sus Christus heri, & hodie, ipse &
9 in secula. Doctrinis varijs, & pe-
regrinis nolite abduci. Optimum
est enim gratia stabilire cor, non
escis quæ non profuerunt ambu-
10 lantibus in eis. Habemus alta-
re, de quo edere non habent po-
testatem qui tabernaculo deser-
11 uiunt. Quorum enim animalium
infertur sanguis pro peccato in
sancta per Pontificem: horum
corpora cremantur extra castra.
12 Propter quod & Iesus, vt sancti-
ficaret per suum sanguinem po-
pulum, extra portam passus est.
Exeamus igitur ad eum extra ca-
stra:

PARAPHRASIS.

CHaritas mutua, qualis 1 inter fratres esse solet, ita in vobis sicut cœpit 2 permaneat, vt inter afflictiones, quas patimini, non periclitetur, & 3 quanquam bonorum vestrorum iacturam passi estis, nolite hospitalitatis obliuisci, huius enim virtutis merito Loth, eiusque domestici cùm in domo illius hospitio Angelos excepissent, pessimos Sodomitas cæcitate ab Angelis ipsis percussos, & clausis ianuis 4 latuerunt, ne ab illis graue aliquid paterentur, quod Angelos hospitio exceptos eis tradere nollent, vt ipsis abuterentur: eorum autem qui in vinculis sunt, perinde miseremini, & illis subuenite, ac si vos etiam vincti essetis, & eorum, qui necessitatibus, & afflictionibus oppressi laborant, tanquã ij, qui corpus etiam ijsdem malis obnoxium habent, ac proinde eorũ aduersa in se experti sunt. Coniugibus in omnibus rebus honorem 5 deferte, & thorum eorum inuiolatum cõseruate, 6 nam fornicatores, & adulteros damnabit dominus 7: sint mores, & anima vestra alienæ ab auaritia, vt præsentibus bonis contenta sit, 8 & ita desiderio immoderato augendæ pecuniæ modum imponat, ipse enim 9 dominus Iosue dixit c. 1. Non te deseram, neque derelinquam, *idemque vnicuique nostrum si spem nostram in eo fixam habeamus, dictum esse putare possumus,*

ſtra: improperium eius portan-
14 tes. Non enim habemus hic ma-
nentem ciuitatem: ſed futuram
15 inquirimus. Per ipſum ergo offe-
ramus hoſtiā laudis ſemper Deo:
id eſt, fructum labiorum confi-
16 tentium nomini eius. Beneficen-
tiæ autem, & communicationis
nolite obliuiſci, talibus enim ho
17 ſtiis promeretur Deus. Obedite
præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.
Ipſi enim peruigilant, quaſi ra-
tionem pro animabus veſtris red-
dituri: vt cum gaudio hoc faci-
ant, & non gementes, hoc enim
18 non expedit vobis. Orate pro no-
bis, confidimus enim quod bo-
nam conſcientiam habemus: in
omnibus bene volentes conuer-
19 ſari. Amplius autē deprecor vos
hoc facere, quo celerius reſtituar
20 vobis. Deum autem pacis, qui e-
duxit de mortuis paſtorem ma-
gnum ouium in ſanguine teſta-
menti æterni, Dominū noſtrum
21 Ieſum Chriſtum, aptet vos in o-
mni bono, vt faciatis eius volun-
tatem, faciens in vobis quod pla-
ceat corā ſe per Ieſum Chriſtum:
cui eſt gloria in ſecula ſeculorum
22 Amen. Rogo autem vos fratres,
vt ſufferatis verbum ſolatij. Ete-
23 nim perpaucis ſcripſi vobis. Co
gnoſcite fratrē noſtrum Timo-
theum dimiſſum: cum quo (ſi ce-
24 lerius venerit) videbo vos. Salu-
tate omnes præpoſitos veſtros, &
omnes ſanctos. Salutant vos de
Italia

mus, ita 10 *vt ſicut Dauid contra inimicos ſuos dicebat Pſal. 55.* Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo, *nempe aduerſarius, ſic etiam quiſque noſtrum audacter dicere queat Dominum ſibi eſſe adiutorem, ideoque ſe non timere quēquam, à quo in egeſtatem conici poßit.* 11 *Memores eſtote ſemper præfectorum veſtrarum Eccleſiarum, quorum finem conuerſationis, & vitæ conſiderantes, quod honeſta vobis viſa fuerit: fidem imitamini, vt eorum memoria excitati, & accenſi, in fide, quam ab eis accepiſtis, vſque in finem perſeueretis,* 12 *nec variis, & diuerſis doctrinis à vera fide alieniſ, & contrariis de ſtatu fidei* 13 *moueamini:* 14 *ſiquidem Chriſtus, cuius fidem præpoſiti veſtri vobis tradiderunt, idem qui* 15 *ab æterno, & nunc eſt, permanebit in ſecula. Optimum enim eſt gratia Dei confirmare, & ſtabilire mentem,* 16 *vt in fide vera permaneat, non autem* 17 *eſcis ſacrificiorum antiquæ legis,* 18 *quæ veram iuſtitiam afferre nō potuerunt iis, qui ea offerebant, & oblatis veſcebantur. Neque verò id dico, vt exiſtimetis nos omni carere altari & ſacrificio,* 19 *habemus enim vſque adeò ſublime altare, & pretioſum ſacrificium, vt ſacerdotibus Leuiticis, qui legem ſuam retinentes adhuc* 20 *templo Salomonis deſeruiunt, non liceat de illo edere, eo quòd ſit ſacrificium pro pecca-*

to,

25 Italia fratres. Gratia cum omni-
bus vobis. Amen.

to, sicut neque ipsis licuit de sacrifi-
cio, quod in templo Salomonis pro
peccato offerebatur, manducare: 21 *eorum enim animalium corpora, quo-*
rum sanguis per Pontificem in sancta pro peccato offerebatur, extra castra, &
septa templi omnino comburebantur: neque quidquam illorum reseruare lice-
bat, ex quo sacerdotes edere possent. Atq; idcirco Iesus extra portam ciuita-
tis, quasi extra septa templi immolari voluit in cruce, & igne charitatis cre-
mari, nempe vt denotaret se offerri in sacrificium pro peccato, prout in lege eo
sacrificio pro peccato figuratum erat, & suo sanguine expiaturum genus hu-
manum, ac proinde sacerdotibus Leuiticis, qui de sacrificio pro peccato non
edebant, non fore licitum de hoc sacrificio, sicut nobis licet, manducare. Dere-
linquamus igitur 22 *legales has ceremonias, & templum terrenum Salo-*
monis, in quo illae obseruantur, & libenter amplectamur fidem Christi, aequo
animo ferentes, 23 *quae à contribulibus ob eam causam patimur, prout*
Christus perferenda esse docuit, 24 *nec templum tam magnificum firmo, &*
stabili fundamento aedificatum nos detineat, neq; enim vlla est nobis firma, &
stabilis ciuitas, quae semper duratura sit, sed in aeternum permansuram in alia
vita inquirimus. 25 *Per ipsum igitur Christum, qui pro nobis se obtulit ex-*
tra castra, offeramus & nos pro antiquis sacrificiis semper sacrificium lau-
dis, quod non ex fructibus terrae sicut antiqua sacrificia offertur, sed est fru-
ctus labiorum nostrorum, 26 *ita verò hanc hostiam Deo offeratis, vt alio-*
rum sacrificiorum, nempe beneficentiae erga alios, & eleemosynae, quae fit 27
communicatione bonorum, non obliuiscamini: 28 *his enim etiam sacrifi-*
ciis promeremur, vt Deum placabilem nobis reddamus. 29 *Obedite prae-*
positis vestris, & subiacete eis, id enim ratio ipsa postulat, cum ipsi continuò
30 *vigilare debeant, ne vobis aliquid mali accidat; de eoque rationem apud*
Deum ita reddituri sint, vt si incuria eorum quid mali euenerit, poenas luant,
tum etiam vt ita ipsi sponte, & alacri animo huic rei incumbant, non autem
inuiti, hoc namque vobis 31 *non expedit, sic enim minus diligenter de ve-*
stra salute curabunt. Orate pro nobis, 32 *vt à vinculis liberemur, cre-*
dimus enim, quod in rebus omnibus bonam conscientiam habemus, quip-
pe qui apud omnes bene, & sine offensione alicuius conuersari cupimus,
ac proinde nullius accusationem, aut vincula timemus, eò autem 33 *ma-*
gis deprecor vos, vt pro me oretis, quo citius vobis è vinculis 34 *restitui*
desidero. Deus autem autor pacis, qui è mortuis suscitauit Iesum Christum
Dominum nostrum, qui pastor est ouium, hoc est, animarum custos, eas de-
fendens merito 35 *passionis, & sanguinis sui, quo nouum testamentum*
confir-

Digitized by Google

reprobatus est: non enim inue-
nit pœnitētiæ locum, quanquam
cum lachrymis inquisisset eam.
18 Non enim accessistis ad tractabi-
lem montem, & accensibilem i-
gnem, & turbinem, & caliginem,
19 & procellam, & tubæ sonum, &
vocem verborum, quam qui au-
dierunt, excusauerunt se, ne eis
20 fieret verbum. (Non enim por-
tabant, quod dicebatur: Et si be-
stia tetigerit montem, lapidabi-
21 tur. Et ita terribile erat quod vi-
debatur, Moyses dixit: Exterritus
22 sum, & tremebundus.) Sed acces-
sistis ad Sion montem, & ciuita-
tem Dei viuentis, Ierusalem cœ-
lestem, & multorum millium An-
23 gelorum frequentiam & Eccle-
siam primitiuorum, qui conscri-
pti sunt in cœlis; & iudicem om-
nium Deum, & Spiritus iustorum
24 perfectorum, & testamenti noui
mediatorem Iesum, & sanguinis
aspersione melius loquentē quā
25 Abel. Videte ne recusetis loquē-
tem. Si enim illi non effugerunt,
recusantes eum qui super terram
loquebatur: multo magis nos qui
de cœlis loquentem nobis, auer-
26 timus. Cuius vox mouit terram
tunc, nunc autem repromittit,
dicens: Adhuc semel, & ego mo-
uebo non solum terram, sed &
27 cœlum. Quod autem, adhuc se-
mel dicit: declarat mobiliū trans-
lationem, tanquam factorum, vt
manean ea quæ sunt immobilia:
Itaq;

si eum, quem dixi, recogitetis, cum in ipso sicut in prædestinatis omnibus, qui ei similes effecti sunt, sensus eorum expressus videatur. Perseuerate igitur alacri animo in perferendis aduersis non spiritu seruorum, & malefactorum 24 quasi in suppliciis, & tormentis inuiti, sed tanquam sub disciplina, & correptione patris, in illis enim 25 se gerit Deus erga vos sicut pater erga filios, cum eos corripit, nam quis vnquam alicuius filius fuit, quem pater non corripiat? Quare si sub hac disciplinæ, & correptionis ferula, quam in tribulationibus esse dixi 26 non essetis, sub qua omnes filij, hoc est, sancti semper sunt 27 nothi quidem, & non legitimi filij Dei essetis. Deinde 28 si patres carnales corporū nostrorum 29 castigatores nostri fuerunt, & nihilominus eos reuerebamur, 30 nonne multo magis Deo, qui est pater spiritualis animarum nostrarum, castiganti nos libenter acquiescemus. 31 nec vllo modo impatienter afflictiones ab ipso immissas sustinentes ei reluctabimur? 32 & illi quidem 33 vt in rebus ad hanc vitam mortalem pertinentibus nos instruerent, prout ipsis placebat, & videbatur, castigabant nos. Deus autem castigat & erudit, vt id dicamus, & faciamus, quod ad obtinendam iustificationem nostram vtile est: 34 quamuis autem omnis correptio, & castigatio, quod ad præsentem vitam attinet, nihil

28 Itaque regnum immobile susci-
pientes, habemus gratiam: per
quam seruiamus placentes Deo,
29 cum metu & reuerentia. Etenim
Deus noster, ignis consumẽs est.

nihil gaudij, sed mœroris afferat, postea 35 tamen in alia vita 36 castigatis, & eruditis per eam reddit fructum iustitiæ pace, & gaudio plenißimum, 37 qui est æterna beatitudo, 38 Quapropter remissas animi manus, & soluta mentis genua roborate, hoc est, ne in rebus aduersis animum despondeatis, nec pigri sitis, & desides, vt per aduersa omnia 39 rectè incedatis, ne claudicantes præ animi desperatione à via virtutis quis vestrûm aberret, 40 sed potius ab huiusmodi morbo claudicationis saluetur, & liber sit. Pacem totis viribus persequimini, vt eam seruetis cum 41 omnibus, & cum his qui vobis aduersi sunt: 42 tum etiam omne genus sanctitatis, sine qua nemo videbit Deum, attentè considerantes; 43 ne deficiatis gratiæ Dei vocantis, quæ vos ad pacem, & omne genus sanctitatis excitat, ne qua etiam radix 44 alicuius peccati germinans gratiæ fructum in vobis impediat, & occasione illius alij etiam multi malo vestro exemplo inquinentur, & in similia prolabantur. Ne quis fornicator in vobis sit, 45 aut gastrimargus, hoc est, gulæ deditus, & spiritualia repellens 46 qualis fuit Esau, qui pro lenticulæ edulio vendidit fratri suo Iacob ius suæ primogenituræ, & sacerdotij: 47 recogitate enim quo pacto postea cupiens à patre suo benedictionem primogeniti hereditate obtinere, reprobatus est ab eo, & à sua postulatione reiectus, non enim à patre obtinere potuit, vt facti ipsum 48 pœniteret, 49 & sibi benedictionem primogeniti concederet, reuocata priori, quam Iacob dederat, etiamsi cum lachrymis eam postulasset. 50 Quare & vos timere debetis, ne si profani fueritis sicut Esau, & gratiam Dei contempseritis, iterum eam non recuperetis. 51 Ideò autem exhortatus sum, vt remissas animi manus, & soluta mentis genua roboretis, hoc est, ne in aduersis animum despondeatis, quia si hæc omnia pro Christo non sustinueritis, sed fidem eius reliqueritis, multò minus excusabiles eritis, quàm illi antiqui Iudæi, qui Deum in caligine loquentem audire recusarunt, neque enim vos sicut illi accessistis ad montem Sina 52 palpabilem, & sensibilem, 53 ad ignem accensum, caliginem, & procellam, tubæ sonum, & vocem verborum ibi sonantem, quam qui audierunt 54 deprecati sunt, ne Deus è monte illo, & turbine ad ipsos eo modò loqueretur, quod vocem Dei ita loquentis difficulter ferre possent, cùm non solum ipsis hominibus Deus se terribilem exhiberet, sed etiam bestiis, siquidem præceperat, vt bestia, quæ montem attigisset, lapidaretur, qua de causa aspectus illius montis, & modus quo Deus in eo loquebatur, terribilis apparebat. 55 Quin & Moyses ipse

memoria quasi nube recreantur: melius tamen Theodoretus putat multitudinem sanctorum comparari nubi, eo quòd tanta sit, vt quasi densitate sua nubem exæquet.

4. Pro *impositam* Græcè est περικείμενον, Latinè *circumpositam*. Syriaca quoque lectio ita habet, quam Græci, cum Chrysostomo sequuntur, sensus tamen vtroque modo idem est.

5. Ea verba addidimus ad explicandum quid per pondus Apostolus intelligat, nempe id quod extrinsecum nobis, sicut etiam qui in stadio currunt, omne pondus cuiusque rei extrinsecæ prius deponunt.

6. Peccatum est aliud genus impedimenti magis intrinsecum, idq; denotauit vox illa *circumstans*, Græcè εὐπερίστατον, quā vocem Doctores variè exponunt. Chrysostomus & Theophylactus ita interpretantur: *Quod nos facile circumueniat, siue quod circumueniri, & vinci à nobis facile possit.* Præterea Theophylactus etiam exponit, propter quod facile in pericula ruamus, Theod. quod facile contrahitur, & gignitur, alij verò quo quasi neruo quodam impedimur, ne viam mandatorum Dei curramus: periti tamen linguæ Græcæ cum Erasmo putant, hanc vocem significare, quod pertinaciter inhæret, quorum expositio mihi magis probatur, vt ita crescat oratio Pauli, & postquam exhortatus est, vt abiiciamus extrinseca pondera, & impedimenta, suadeat etiam vt deponamus intrinseca, quæ sunt peccata, & quæ multo magis possint cursum impedire.

7. Patientiæ ad cursum mentionem facit, eo quod ad superandas ipsius cursus difficultates necessaria sit.

8. In Græco non est, *Ad propositum nobis certamen*, sed, propositum nobis certamen, & putant aliqui mendosam esse lectionem cum præpositione *ad*, tum quia in Græco no n est, neq; patres Græci ita legunt, tum quia non rectè dicantur currere ad certamen, sed ad brauium, cumque ipse cursus sit certamen, dicamur currere certamen. Verū cum vulgata Sixti cum præpositione legat, non est cur mendum in priori lectione agnoscamus. Adde quod non minus propriè dicimur currere ad certamen, coniicientes nos in pericula illius, vt dimicemus, quàm ad brauium. Syriaca autem legit etiam, ad certamen.

9. Nonnulli dicunt Apostolum exhortari Hebræos, vt in Christum tanquam in magistrum mentis oculos intendant, & ab eo discant currere. Ego verò puto Paulum eos exhortari, vt in Christo spem suam collocent, eo quod eius gratia nixi facile currere, & pericula omnia superare posaint.

10. Christus dicitur autor fidei, non solum quia docuit nos ea, quæ credere debemus, sed etiam quia præbuit nobis per spiritum gratiæ, vt ea crederemus, per fidem verò intelligit Paulus tam particula-

 rem,

Digitized by Google

rem, quam vniuersalem, quia capite præcedente de vtraque fuerat locutus, & vtraque ad vincenda pericula, & aduersa hujus vitæ maximè iuuat.

11. Nonnulli putant dici Christum consummatorem fidei, quia ea quæ credenda in hac vita docuit, postea in alia videnda exhibebit. Mihi videtur consummationem fidei hoc loco pertinere ad gratiam subsequentem, quæ vt diximus 1. part. disp. 88. cap. 11. consistit in opportunitate opere exequendi, quæ per gratiam cooperantem facere decreuimus, iuxta illud ad Phil. 2. *Qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate,* nam perficere idem est quod opere exequi id, quod iam volumus.

12. Græci, si verbum pro verbo reddas, legunt: *qui proposito sibi gaudio, &c.* loco autem præpositionis *pro,* quam vulgata editio non habet, in Græco est præpositio *ἀντὶ*, qua Græci vtuntur, vt denotent id in cuius locum aliud subrogatur, & ita ponitur in illo Psalm. 44. *pro patribus tuis, &c.* & in illo Matt. 2. *pro Herode patre suo*, & Latinè per propositionem *pro* explicatur; putantque aliqui ita fuisse in Latina nostra versione cum illa præpositione *pro,* vitio tamen librariorum festinantium in Scriptura sublatam fuisse, propterea quod viderent sequentem dictionem *proposito,* eadem syllaba incipere. Verùm cùm vulgata emendata à Sixto, talem præpositionem non habeat, credendum non est vitio librariorum sublatam fuisse, sed sine illa in vulgata semper legi consueuisse; eamque omissam à vulgato fuisse, quod sine illa idem omnino sensus esset, vt patet. Porro gaudium quod dicit Apostolus propositum fuisse Christo, quidam putant gaudium de salute humani generis, quam ipse operatus erat, vt illa moueret ad sustinendam mortem, & passionem, quem sensum dicunt locum habere posse, si legamus cum præpositione *pro,* ita tamen vt accipiatur pro præpositione *propter,* sicut interdum fieri solet, & in hoc capite in hoc sensu capitur, cum dicitur, *Qui propter vnam escam vendidit primitiua sua,* nam pro præpositione *propter* est in Græco *ἀντὶ*. Hic autem sensus rectè etiam quadrare posset vulgatæ nostræ, quæ non habet præpositionem *pro,* nam sine illa verbis illis *proposito sibi gaudio*, denotari posset finalis causa. Verum hic sensus mihi non probatur, primùm quia in illo alio loco præpositio *ἀντὶ*, ita explicatur per *propter*, vt finalem causam non denotet; hic autem sensus exprimit finalem causam: deinde quia finis propter quem Christus dicitur voluisse redimere nos, non fuit gaudium quod habiturus erat, hic enim solùm fuit finis, quem vocant impulsiuum: sed fuit gloria Dei, quam ex charitate erga ipsum primariè quærebat: per gaudium igitur intelligamus id, quod in paraphrasi diximus, intelligi autem potest siue addatur præpositio *pro,* siue non addatur: notandum quoque

est,

est, ex hoc loco perperam probare voluisse Canum 12. lib. de locis capit. 14. sub finem Christum tempore passionis nullam de Deo visionem claram, & fruitionem habuisse, cuius sententiam confutauimus 3. par. 1. tom. disp. 73. cap. 4.

13. Particula *atque*, non solùm est nota coniunctionis, sed etiam indicat causam meritoriam, ob quam Christus tantam gloriam corporis fuerit consecutus: nam gloria animæ iam anteà sine merito vllo fruebatur.

14. Mutat personam sicut 1. ad Thess. 5. illis verbis: *Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei, non sumus noctis, neque tenebrarum.*

15. Pro causali *enim*, aliqui Græci codices legunt γὰρ, quæ est causalis: aliqui verò οὖν, Latinè *igitur*, aut *itaque*, quæ est nota collectionis, & sanè difficilis est hoc loco sensus causalis, iuxta id tamen, quod sæpius in Paulo obseruauimus, sensus illius rectè constare potest, si non ad proximè, sed ad remotè præcedentia referatur, vt in paraphrasi, nempe ad illud, *curramus ad propositum, &c.*

16. Illud *cum innocens esset*, addidimus textui Pauli, nam argumentum illius à maiori desumptum videtur.

17. Partem illius numeri addidimus, vt explicaremus, id cuius causam reddit causalis *enim* sequentis numeri, quod implicitum erat in voce illa *deficientes*.

18. Particula, *enim* refertur ad id, quod in præcedente numero suppleuimus, per sanguinem verò intelligit mortem, quæ effusione sanguinis fit.

19. Pro *repugnantes*. In Græco est ἀνταγωνιζόμενοι, quod Latinè reddi potest, *pugnantes, quasi in agone*.

20. Per peccatum aliqui intelligunt peccatum infidelitatis, nos interpretati sumus peccatum simpliciter pro eo, ad quod aduersarij Hebræos pertrahere contendebant, quod præsertim erat infidelitatis.

21. Particula, *&* refertur ad causalem *enim*, quæ est in num. 18. & iterum illam repetit, continuat enim sensum illius numeri, nimirum, quare debeant Christum considerare, & passiones illius, nimirum, vt in memoriam reuocent verba illa Prouerb. 13 quę in ipso Christo expressa relucent, vt dixit Apostolus ca. 2. autor salutis nostræ per passiones consummatus est, & hac ratione prædestinatos assimilatos fuisse Christo in perferendis laboribus, docuit idem Paulus ad Rom. 8. vt ibidem obseruauimus.

22. Consolationem vocat hoc loco verba Scripturæ, quibus Hebræi consolari se possent iuxta illud ad Rom. 15. *Vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus*, hoc est exemplo consolationis, quæ in aliquibus in aduersis constitutis accidit, vt Scriptura commemorat,

 spere-

speremus: quia verò verba consolationis vocauit consolationem, addidit: *qua vobis tanquam filiis loquitur*, nam consolatio non loquitur, sed verbis ipsius ad nos directis loqui dicitur Deus.

23. Numerum illum suppleuimus, vt exprimeremus causam, ob quam etiam debeant Christum recogitare, & quam diximus contineri in illa coniunctione, &, quæ est in num. 23.

24. Chrysostomus addidit, *non in suppliciis, neque in tormentis*, vt ostenderet Hebręis eos alacri animo debere perferre aduersa, non sicut malefactores patiuntur tormenta, & supplicia, sed sicut filij patris : correptionem libenter ferunt.

25. Causalem *enim* addidimus eo quòd verba illa Pauli causalem sensum præcedentis sententiæ continere videntur.

26. Pro præsenti indicatiui *estis* posuimus præteritum imperfectum subiunctiui, eo quòd Paulus sub conditione loquatur.

27. Adulteros vertit noster vulgatus pro adulterinis, nam in Græco est νόθοι, & Latinè etiam filios adulterinos vocabulo Gręco nothos vocamus.

28. Particulam *si* addidimus, vt argumentum à minori, quod adducit Paulus, explicaremus, vocat autem carnales patres, pátres carnis nostræ, quia solum corpora nostra, non animas dicũtur generare, non quòd non sint causa, vt anima nostra corporibus vniatur, sed quia ipsam animam secundum suam substantiam non generant, contra verò Deus dicitur pater spirituum, quia ipsam animam creat.

29. Pro *eruditores* in Græco est παιδευτάς, quod significat eruditores & castigatores, quia proprium est eruditoris castigare eum, quem erudit.

30. Aliqui codices mendosè legunt *num* pro *non*, iam verò in vulgata emendata legitur *non*, & Græca exemplaria, & sensus ipse id postulant: est enim interrogatio negatiua, quæ sensum continet affirmatiuum, vt contendit Paulus: particula autem *num* hunc sensum non reddit, addidimus autem illud *ne* eo quòd prædicto sensui maximè quadret.

31. Obtemperare Deo quod interpretati sumus acquiescere, idem est quod patienter ferre afflictiones ab ipso immissas, quasi is qui impatienter eas tolerat, Deo quodammodo renitatur, vt explicat Theophylactus.

32. Nouam rationem subiecit, vt exhortetur Hebræos ad patienter tolerandas afflictiones.

33. Illud *paucorum dierum* non denotat tempus correptionis, & castigationis, sic enim ferè nullum accommodatum redderet sensum, sed ad res ipsas, ad quas castigatio, & eruditio patrum adhibetur, referendum est.

34. Ad

34. Addidimus particulam *quamuis*, quia reuera verba Pauli aduersatiuum sensum reddere videntur.

35. Pro *autem* quæ est continuatiua particula, posuimus aduersatiuam *tamen*, quæ responderet particulæ *quamuis*.

36. Pro *exercitatis per eam* quod nos interpretati sumus *castigatis per eam* in Græco est γεγυμνασμένων, quæ significat athletas, qui nudi exercitabantur ad palestram.

37. Fructum iustitiæ pacatissimum quidam putant hoc loco dixisse Paulum ipsam sanctitatem, & iustitiam; verùm cum fructum iustitiæ vocet pacatissimum, hoc est pace plenum, & alienum ab omni aduersitate, quem opponit ipsis tribulationibus, & rebus aduersis, in quibus etiam ipsæ iustitiæ huius vitæ locum habent, pacatissima tamen non est, ideò multo melius per fructum iustitiæ interpretati sumus beatitudinem, id, quod indicat etiam particula *postea*, quæ est in num. 35. & denotat futuram vitam, quam Paulus opponit præsenti, quæ verbis illis *in præsenti* denotatur, & labore, & ærumnis plena cum sanctitate, & iustitia est.

38 Prosequitur metaphoram pugilum, & athletarum, & illis verbis ad perferenda aduersa exhortatur; alludit autem ad illud Isaiæ 35. *confortate manus dissolutas, &c.*

39. Verba illa *gressus rectos facite pedibus vestris.* Desumpta videntur ex Prouerb. 4. vbi vulgata legit *dirige semitas pedibus tuis.* Septuaginta autem habent eadem verba, quæ hic habet Paulus, idem autem omnino sensus est, dirigere semitas pedibus, ac si dicas, fac rectas semitas pedibus, vel fac vt rectè incedas, semita enim non pro ipso spatio itineris, & vix solùm, sed pro gressibus etiam deambulationis vsurpari potest, neque verò vt nonnulli putant, hoc dixit Paulus, quòd timeret Iudæos velle simul cum Euangelio legalia, & circumcisionem seruare: nam in argumento epistolæ diximus nihil de hac re Paulum agere, sed quod timeret Iudæos, ne cum multa aduersa propter fidem Christi paterentur, eam omnino relinquerent; huc enim institutum illius spectare ibidem notauimus.

40. Aduerbium *magis* idem denotat, quod potius, cumque claudicatio sit genus quoddam ægritudinis, ideo exhortatur eos, vt genua debilia roborent, ne claudicationis morbo laborent, sed potius sani sint.

41. Post exhortationem ad patientiam, exhortatur ad charitatem, & pacem, dicit autem, *cum omnibus*, vt eos etiam comprehendat à quibus Hebræi multa patiebantur: per sanctimoniam intelligit omne genus sanctitatis tam corporis, quam animæ: Græcè est vox ἁγιασμὸν, quam Chrysostomus & Theophylactus interpretantur castitatem. Verum

rum cum hic Paulus alia peccata numeret, ad quæ euitanda exhortatur Hebræos, melius per sanctimoniam omne genus sanctitatis intelligimus.

42. Per sanctimoniam omne genus sanctitatis intelligit, & non solùm eam, quæ est in patienter tolerandis aduersis.

43. Verba illa *nequis desit*, *&c.* nonnulli ita legunt cum Chrysostomo, Theodoreto & Theophylacto, vt quisque curet de alijs ne desint gratiæ Dei, eo quod participium *contemplantes* Græcè ἐπισκοποῦντες, Latinè semper intendentes significare videatur curam, & vigilantiam erga alios, verum non est cur ad curam erga alios id referamus, sed ad eam quam quisque erga seipsum habere debet, neque enim vllum est verbum in Paulo, quod de cura erga alios intelligatur, & participium illud quod significat, *diligenter inspicientes*, curam vniuscuiusque erga se ipsum rectè denotare potest. Deficere gratiæ, idem est, quod gratiæ Dei non respondere, ideo per gratiam intelleximus vocantem, & excitantem, hac phrasi vtitur Concilium Tridentinum, hoc modo sessione 6. cap. 11. & est Augustini, vt 1. p. disput. 84. cap. 6. & disp. 98. cap. 6. notauimus.

44. Per radicem amaritudinis nonnulli intelligunt radicem peccati iræ, quæ in rebus aduersis pullulare solet, nos intelleximus radicem omnis peccati, siquidem quouis peccato gratiæ fructus, & sanctitatis, de quo fuerat locutus in vniuersum, impeditur, idque probatur ex eo quod statim enumerat peccata alia distincta à peccato iræ, quæ cupit, vt in Hebræis non sint, rectè autem peccatum amaritudinem vocat, quia peccato nihil amarius est, per radicem autem aliqui intelligunt non inclinationem peccati in quouis homine, sed hominem aliquem, qui alius scandalo esse posset, iuxta illud Deuter. 29. *ne sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem*, nam Septuaginta eo loco fere eadem verba habent, quæ habet Paulus in hoc capite: mihi tamen prior sensus magis probatur.

45. Pro *profano*, in Græco est βέβηλος, interpretatur autem Chrysostomus intemperantem, gulosum, & spiritualia repellentem.

46. Esau non adducitur à Paulo in exemplum fornicatoris, sed voracis, gulosi, & spiritualia repellentis, dicitur autem repellens spiritualia, quia vendidit ius primogenituræ, cui sacerdotalis dignitas erat annexa, vt colligitur ex Hieronymo in traditionibus Hebraicis, & in epistola 126. & Clemente libr. 8. Constitutionum Apostolicarum, cap. 3.

47. *Scitote* idem est quod recogitate, aut mementote, scientibus enim loquebatur Paulus.

48. Hoc

48. Hoc loco per pœnitentiam non intelligit Paulus pœnitentiam, quam Esau habere contenderit de peccatis, vt nonnulli putant, neque enim agitur de remissione peccatorum, neq; de reprobatione à beatitudine,& gratia, qua reprobatus esset Esau, neq; intelligit pœnitētiam, quam ipse etiam Esau habuisset, quod vendidisset primogenita, quasi sensus sit ipsum non inuenisse effectum suæ pœnitentiæ, cum primogenituram non recuperasset, quia inuenire locum pœnitentiæ non est inuenire effectum illius, sed opportunitatem pœnitendi, hanc autem habuit Esau, cum re ipsa pœnituerit ipsum, quod primogenita vendidisset,sed intelligit pœnitētiam Isaac, qua fructum, hoc est benedictionem datam Iacobo reuocaret, & eam Esau tribueret, huius enim pœnitentiæ locum verè non inuenit, quia obtinere non potuit ab Isaac, vt facti ipsum pœniteret,cùm autē subiicit *quanquam cum lachrymis inquisisset eam*: per *eam* intelligere potest benedictionem ipsam, vel pœnitentiam ipsius Isaac, ex qua pendebat benedictio, quam obtinere nitebatur.

49. Quamuis autem Isaac motus lachrymis Esau illum tandem benedixerit, tamen benedictionem primogenituræ ab eo Esau obtinere non potuit. Porro illam benedictionem,quam Esau ab Isaac obtinuit Genesis 27. non fuisse benedictionem primogenituræ, sicut fuerat illa, quam surripuit Iacob, non colligitur ex eo, quod in benedictione Iacob prius dixerit Isaac *de rore cæli*, quam *de pinguedine terræ*, contrà verò in benedictione Esau, sed quòd ita Isaac benedixerit Iacob, vt dixerit *seruiant tibi populi, &c. esto Dominus fratrum tuorum*. In quo ipsum cæteris prætulit tanquam primogenitum, benedicens autem Esau id non dixerit, sed tantum deprecatus ei fuerit rorem cœli, & pinguedinem terræ.

50. Totum hunc numerum suppleuimus, vt explicaremus, quid hoc exemplo Esau Paulus contendat Hebræis suadere.

51. Numerum illum totum addidimus, vt connecteremus causalem illius periodi sequentis, *non enim accessistis* cum præcedente, breuiterque præmisimus id, quod Paulus post multa colligit ex comparatione antiquorum Iudæorum cum præsentibus.

52 Pro *tractabilis* in Græco est ψηλαφωμένῳ, Latinè palpatum, seu contactum, idem autem est, ac si diceret sensibilem, neq; enim vt quidam asserunt, per antiphrasin dictum fuit ab Apostolo tractabilis mons ille, eo quod nemo illum contingere posset, vocat autem sensibilem montem Sinai, hoc est corporeum illum, & materialem, in quo antiquis Iudæis data est lex, cui infra num.56 opponit Sion spiritualem, nempe Ecclesiam Dei, cuius ciues sunt Angeli.

Hh Pro

53. Pro *accessibilem* legitur in aliquibus vulgatis, & in emendato Sixti accensibilem, quę lectio Gręcis exemplaribus respondet, habent enim κεκαυμένον. Latinè accensum.

54. Pro *excusauerunt se*, in Græco est verbum, παρῃτήσαντο, quod Latinè significat recusarunt, interpretati autem sumus *deprecati sunt*, & Paulus dixit excusarunt, quia non simpliciter, sed cum deprecatione ratione timoris postularunt, ne Deus ipsis loqueretur.

55. Verba illius numeri non habentur Exodi 19. & 20. in bibliis, quæ modò in vsu sunt, quidam putant tempore Pauli fortasis in quibusdam fuisse. Ego autē probabilius existimo in bibliis nunquam fuisse, sed traditione apud Hebræos rem hanc permansisse, quam expresit Paulus hoc loco. Sicut illa sententia, *beatius est magis dare, &c.* referri autem non possunt ad tempus, quo Moyses vidit Dominum in rubo, vt aliqui referunt, quia Paulus ea refert ad tempus, quo Dominus loquebatur in Sina.

56. Particula aduersatiua, *sed*, respondet negatiuæ, *non*, quæ est in illa periodo *non enim accesistis, &c.* addidimus autem illud, *cùm primum fidem Christi suscepistis*, vt indicaremus tempus, quo illi Hebræi ad quos scribit Paulus, ad montem Sinai spiritualem accesisse dicuntur, spiritualem autem montem Sinai opponit corporali, vt num. 52. notaui.

57. *Millia* Latinè, & μυριάσι Græcè, quod decem millia significat pro magno numero sumuntur.

58. *Primitiuorum* Græcè πρωτοτόκων, quæ vox primogenitum significat, vocat autem primogenitos non quoscunq; fideles, vt nonnulli putant, neque quoscunque sanctos, qui iam beatitudine perfruebantur, etiamsi dicat, *conscripti sunt in cælis*; sed Apostolos, & primos illos fideles, qui cum Euangelij prædicatione cœperunt, quos dicit scriptos esse in cœlis, quia etiam viatorum nomina in cœlis scripta dicuntur, sicut dixit Christus Matth. 11. & Lucæ 10. discipulis suis, *Gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Porro Paulum non loqui de Sanctis qui iam beatitudine fruebantur, patet, quia de his statim loquitur, atque in hoc sicut in reliquis præfert etiam statum Hebræorum qui susceperunt fidem Christi, antiquis Iudæis, qui ad montem Sina accesserunt, siquidem eo tempore nullus spiritus sanctorum beatitudine perfectus erat.

59. Per Deum hoc loco nonnulli intelligunt Christum, cui datum est iudicium facere; verùm cum postea Christi mentionem faciat: cùm dicit, *& Testamenti noui mediatorem Iesum*, multò melius Deus secundum diuinitatis naturam intelligitur.

60. Per iustos perfectos intelligit animas iustorum, qui Euangelij prædicationem præcesserunt, hæ namque iam post Christi mortem eo tem-

Digitized by Google

tempore quo Paulus scribebat, beatitudinem erant consecuta, & ideo perfectę dicebantur: aliqui vulgati codices non legunt spiritus, sed spirituum, ita vt referatur ad iudicem, & sit sensus ad iudicem spirituum perfectorum: verùm codex emendatus iam habet *Spiritum*, & lectio hæc respondet Græco exemplari, redditq; sensum quem in Paraphrasi secuti sumus, qui multò accommodatior est.

61. Cùm vocasset Christum noui Testamenti mediatorem, & postea mentionem adspersionis sanguinis ipsius fecisset, expresimus verbis illis, quæ addidimus, effectum huius adspersionis pro nouo Testamento.

62. Vocem *loquentem* referre possumus ad ipsam sanguinis Christi adspersionem, & ad ipsum Christum per sanguinis adspersionem clamantem, quod verò dicit, *quàm Abel*, nonnulli ita explicant, vt Abel sit in casu gignendi, & sensus sit, *quàm sanguinem Abelis*. Cæterum cum in Græco dicatur παρὰ τὸν Ἄβελ, & articulus τὸν non posit referri ad sanguinem Abelis, qui Græcè est neutrius generis nempe αἷμα, ideò alij dicunt referendum esse ad ipsum Abelem, vt sensus sit, *quàm ipsum Abelem* Intelligunt autem Abelem defunctum loquentem fide sua in hominũ memoria, sicut ad Hebr. 11. etiam interpretati sunt: referri etiam posset ad effusionem sanguinis Abelis Græcè ῥαντισμὸν, vt subintelligeretur effusio sanguinis, verùm nos ita retulimus ad Abelem, vt ipse intelligatur locutus non per solam fidem in hominum memoria, sed per sanguinem postulans vindictam, sicut ad Hebr. 11. exposuimus.

63. Per loquentem, quem dicit Paulus recusandum non esse, non est intelligendus sanguis Christi, quia Græcè sanguis est neutrius, loquens autem masculini generis, neq; intelligenda est adspersio sanguinis loqui, quamuis adspersio Græcè sit masculini vt præced. numer. notauimus, sed Christus ipse non quidem per sanguinem postulantem misericordiam, hoc enim solum adduxit Paulus, vt ostenderet ad quantò nobiliorem montem Iudæi conuersi accessissent, sed præcipiens, & leges ferens, vt ei obediatur, vt verba sequentia indicant.

64. Illud *Vindictam Dei*, supplendum esse manifestum est; porro per eum, qui super terram loquebatur, non esse intelligendum Deum, qui loquebatur in monte Sinai, sed Moysem ipsum, vt docent Chrysostomus, Theophylactus, & alij, cui legem proponenti obedire noluerunt Deuter. 5. inde probatur, quia cùm noluerunt audire Deum loquentem in Sina, non fuerunt transgressores legis, sed solùm præ timore deprecati sunt, vt Deus ipsis eo modo non loqueretur, & ita num. 54. de illis non dixit Moyses, *recusarunt audire vocem*, sed *excusarunt se*, quod nos interpretati sumus, *deprecati sunt ne Deus ipsis ita loqueretur*.

Et ita non legimus hac de causa eos punitos fuisse. At Deuter. 5. Moysi proponēti legem planè obedire recusarunt, propter quod puniti sunt, vt idem Paulus ad Hebr. 2. testatur, vbi eodem vtitur argumento à minori, quo hic vsus est de lege Moysis, & Christi, illud autem *super terram* non refertur ad locum, vbi Moyses proposuit legem, siquidem etiam Christus super terram fuit, sed ad ipsum Moysem, vt ostendat Paulus, illum terrenum hominem fuisse.

65. Non dicitur à Paulo Christus locutus de cœlo, quia per Spiritum sanctum de cœlo missum fuerit locutus, vel quod eo tunc cum Paulus scribebat, de cœlo loquebatur, nam cùm ipse etiam super terram locutus fuerit, & fidem prędicauerit, ad quam Hebræi conuersi fuerant, argumentum Pauli à minori parum roboris haberet, sed illud *de cœlo* refertur ad Christum, vt in paraphrasi ob rationem dictam iuxta illud Ioan. 3. *Nisi qui descendit de cœlo, &c.* & ita argumentum Pauli efficacissimum est, quale fuit illud ad Hebr. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, &c.*

66. Illud *nunc autem* non est referendum ad tempus prophetiæ, quæ iam tempore Aggæi præcesserat, sed ad tempus quo implenda erat, & ideò interpretati sumus: *Pro hoc autem tempore, &c.*

67. Illud *factorum* quidam interpretantur *rerum creaturam, & corruptibilium* quod de rebus huiusmodi tantum lata fuisset lex illa; alij, *rerum quæ iam verè facta, & impleta sunt.* Ego verò existimo vt in paraphrasi interpretandum esse, quia loquitur de lege, quæ iam omnino abrogata fuerat, & ideo eam mobilem appellauit.

68. Addidimus illud deinceps, vt indicaremus legem Christi non fuisse antea simul cum lege Moysis, & eam sine lege Moysis immotam permansisse, sed tunc abrogata lege illa veteri incepisse.

69. Illud, *immobilia*, idem est, quod nunquam mutāda, & abroganda.

70. Causalis *etenim* refertur ad timorem, cum quo inquit Paulus Deo seruiendum esse.

ARGVMENTVM
CAPITIS III.

Caput hoc paraneticum est, varia continens spiritualis vitæ documēta, post quæ illorum preces pro se efflagitat, & bene illis precatus salutationibus epistolam claudit.

CAPVT XIII.

1 CHaritas fraternitatis maneat
2 in vobis. Et hospitalitatem
nolite obliuisci, per hanc enim la-
tuerunt quidã, Angelis hospitio
3 receptis. Memẽtote vinctorum,
tanquã simul vincti, & laborãtiũ,
tanquam & ipsi in corpore mo-
4 rantes. Honorabile connubiũ in
omnibus, & thorus immacula-
tus. Fornicatores enim, & adul-
5 teros iudicabit Deus. Sint mores
sine auaritia: contenti præsenti-
bus: ipse enim dixit: Non te de-
6 seram, neque derelinquam: ita vt
confidentes dicamus, Dominus
mihi adiutor: non timebo quid
7 faciat mihi homo. Mementote
præpositorum vestrorum, qui
vobis locuti sunt verbum Dei:
quorum intuentes exitum con-
8 uersationis, imitemini fidem. Ie-
sus Christus heri, & hodie, ipse &
9 in secula. Doctrinis varijs, & pe-
regrinis nolite abduci. Optimum
est enim gratia stabilire cor, non
escis quæ non profuerunt ambu-
10 lantibus in eis. Habemus alta-
re, de quo edere non habent po-
testatem qui tabernaculo deser-
11 uiunt. Quorum enim animalium
infertur sanguis pro peccato in
sancta per Pontificem: horum
corpora cremantur extra castra.
12 Propter quod & Iesus, vt sancti-
ficaret per suum sanguinem po-
pulum, extra portam passus est.
Exeamus igitur ad eum extra ca-
stra:

PARAPHRASIS.

*CHaritas mutua, qualis 1 in-
ter fratres esse solet, ita in vo-
bis sicut cœpit 2 permaneat, vt in-
ter afflictiones, quas patimini, non
periclitetur, & 3 quanquam bono-
rum vestrorum iacturam passi estis,
nolite hospitalitatis obliuisci, huius
enim virtutis merito Loth, eiusque
domestici cùm in domo illius hospitio
Angelos excepissent, pessimos Sodomi-
tas cæcitate ab Angelis ipsis percus-
sos, & clausis ianuis 4 latuerunt,
ne ab illis graue aliquid paterentur,
quod Angelos hospitio exceptos eis
tradere nollent, vt ipsis abuterentur;
eorum autem qui in vinculis sunt,
perinde misereminí, & illis subueni-
te, ac si vos etiam vincti essetis, &
eorum, qui necessitatibus, & affli-
ctionibus oppressi laborant, tanquã
ij, qui corpus etiam ijsdem malis ob-
noxium habent, ac proinde eorũ ad-
uersa in se experti sunt. Coniugibus in
omnibus rebus honorem 5 defer-
te, & thorum eorum inuiolatum cõ-
seruate, 6 nam fornicatores, & a-
dulteros damnabit dominus 7: sint
mores, & anima vestra alienæ ab a-
uaritia, vt præsentibus bonis conten-
ta sit, 8 & ita desiderio immode-
rato augendæ pecuniæ modum im-
ponat, ipse enim 9 dominus Iosue
dixit c. 1.* Non te deseram, neque
derelinquam, *idemque vnicuique
nostrum si spem nostram in eo fixam
habeamus, dictum esse putare possu-*

ſtra: improperium eius portan-
14 tes. Non enim habemus hic ma-
nentem ciuitatem: ſed futuram
15 inquirimus. Per ipſum ergo offe-
ramus hoſtiã laudis ſemper Deo:
id eſt, fructum labiorum confi-
16 tentium nomini eius. Beneficen-
tiæ autem, & communicationis
nolite obliuiſci, talibus enim ho
17 ſtiis promeretur Deus. Obedite
præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.
Ipſi enim peruigilant, quaſi ra-
tionem pro animabus veſtris red-
dituri: vt cum gaudio hoc faci-
ant, & non gementes, hoc enim
18 non expedit vobis. Orate pro no-
bis, confidimus enim quod bo-
nam conſcientiam habemus: in
omnibus bene volentes conuer-
19 ſari. Amplius autẽ deprecor vos
hoc facere, quo celerius reſtituar
20 vobis. Deum autem pacis, qui e-
duxit de mortuis paſtorem ma-
gnum ouium in ſanguine teſta-
menti æterni, Dominũ noſtrum
21 Ieſum Chriſtum, aptet vos in o-
mni bono, vt faciatis eius volun-
tatem, faciens in vobis quod pla-
ceat corã ſe per Ieſum Chriſtum:
cui eſt gloria in ſecula ſeculorum
22 Amen. Rogo autem vos fratres,
vt ſufferatis verbum ſolatij. Ete
23 nim perpaucis ſcripſi vobis. Co
gnoſcite fratrẽ noſtrum Timo-
theum dimiſſum: cum quo (ſi ce-
24 lerius venerit) videbo vos. Salu-
tate omnes præpoſitos veſtros, &
omnes ſanctos. Salutant vos de
Italia

mus, ita 10 *vt ſicut Dauid contra inimicos ſuos dicebat Pſal.* 55. Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo, *nempe aduerſarius, ſic etiam quiſque noſtrum audacter dicere queat* Dominum *ſibi eſſe adiutorem, ideoque ſe non timere quẽquam, à quo in egeſtatem coniici poſſit.* 11 *Memores eſtote ſemper præfectorum veſtrarum Eccleſiarum, quorum finem conuerſationis, & vitæ conſiderantes, quod honeſta vobis viſa fuerit: fidem imitamini, vt eorum memoria excitati, & accenſi, in fide, quam ab eis accepiſtis, vſque in finem perſeueretis,* 12 *nec variis, & diuerſis doctrinis à vera fide alienis, & contrariis de ſtatu fidei* 13 *moueamini:* 14 *ſiquidem Chriſtus, cuius fidem præpoſiti veſtri vobis tradiderunt, idem qui* 15 *ab æterno, & nunc eſt, permanebit in ſecula.* Optimum *enim eſt gratia* Dei *confirmare, & ſtabilire mentem,* 16 *vt in fide vera permaneat, non autem* 17 *eſcis ſacrificiorum antiquæ legis,* 18 *quæ veram iuſtitiam afferre nõ potuerunt iis, qui ea offerebant, & oblatis veſcebantur. Neque verò id dico, vt exiſtimetis nos omni carere altari & ſacrificio,* 19 *habemus enim vſque adeò ſublime altare, & pretioſum ſacrificium, vt ſacerdotibus Leuiticis, qui legem ſuam retinentes adhuc* 20 *templo Salomonis deſeruiunt, non liceat de illo edere, eo quòd ſit ſacrificium pro pecca-*

Digitized by Google

25 Italia fratres. Gratia cum omni-
bus vobis. Amen.

*to, sicut neque ipsis licuit de sacrifi-
cio, quod in templo Salomonis pro
peccato offerebatur, manducare: 21 eorum enim animalium corpora, quo-
rum sanguis per Pontificem in sancta pro peccato offerebatur, extra castra, &
septa templi omnino comburebantur: neque quidquam illorum reseruare lice-
bat, ex quo sacerdotes edere possent. Atq; idcirco Iesus extra portam ciuita-
tis, quasi extra septa templi immolari voluit in cruce, & igne charitatis cre-
mari, nempe vt denotaret se offerri in sacrificium pro peccato, prout in lege eo
sacrificio pro peccato figuratum erat, & suo sanguine expiaturum genus hu-
manum, ac proinde sacerdotibus Leuiticis, qui de sacrificio pro peccato non
edebant, non fore licitum de hoc sacrificio, sicut nobis licet, manducare. Dere-
linquamus igitur 22 legales has ceremonias, & templum terrenum Salo-
monis, in quo illæ obseruantur, & libenter amplectamur fidem Christi, æquo
animo ferentes, 23 quæ à contribulibus ob eam causam patimur, prout
Christus perferenda esse docuit, 24 nec templum tam magnificum firmo, &
stabili fundamento ædificatum nos detineat, neq; enim vlla est nobis firma, &
stabilis ciuitas, quæ semper duratura sit, sed in æternum permansuram in alia
vita inquirimus. 25 Per ipsum igitur Christum, qui pro nobis se obtulit ex-
tra castra, offeramus & nos pro antiquis sacrificiis semper sacrificium lau-
dis, quod non ex fructibus terræ sicut antiqua sacrificia offertur, sed est fru-
ctus labiorum nostrorum, 26 ita verò hanc hostiam Deo offeratis, vt alio-
rum sacrificiorum, nempe beneficentiæ erga alios, & eleemosynæ, quæ fit 27
communicatione bonorum, non obliuiscamini: 28 his enim etiam sacrifi-
ciis promeremur, vt Deum placabilem nobis reddamus. 29 Obedite præ-
positis vestris, & subiacete eis, id enim ratio ipsa postulat, cum ipsi continuò
30 vigilare debeant, ne vobis aliquid mali accidat; de eoque rationem apud
Deum ita reddituri sint, vt si incuria eorum quid mali euenerit, pœnas luant,
tum etiam vt ita ipsi sponte, & alacri animo huic rei incumbant, non autem
inuiti, hoc namque vobis 31 non expedit, sic enim minus diligenter de ve-
stra salute curabunt. Orate pro nobis, 32 vt à vinculis liberemur, cre-
dimus enim, quod in rebus omnibus bonam conscientiam habemus, quip-
pe qui apud omnes bene, & sine offensione alicuius conuersari cupimus,
ac proinde nullius accusationem, aut vincula timemus, eò autem 33 ma-
gis deprecor vos, vt pro me oretis, quo citius vobis è vinculis 34 restitui
desidero. Deus autem autor pacis, qui è mortuis suscitauit Iesum Christum
Dominum nostrum, qui pastor est ouium, hoc est, animarum custos, eas de-
fendens merito 35 passionis, & sanguinis sui, quo nouum testamentum
confir-*

Digitized by Google

confirmauit, 36 perficiat vos in omni bono, vt eius voluntatem perficiatis, id, quod ipsi semper acceptum est, 37 operans in nobis ob merita ipsius Iesu Christi; cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. Rogo vos vt verba consolationis, quæ ad vos scripsi æquo, & non pusillo animo 38 feratis, neque enim prolixè, sed paucis vos in Epistola consolatus sum. Agnoscite fratrem nostrum Timotheum, 39 iam à vinculis absolutum, cum quo si cito venerit, ibo ad videndum vos. Salutate omnes præpositos vestros, & fideles omnes: salutant vos fratres omnes, qui in Italia sunt. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

ANNOTATIONES.

1. Charitatem fraternitatis, hoc est, qualis inter fratres esse solet, vna voce Græca φιλαδελφία, Paulus significauit, idem autem est ad eam, quod ad perfectam, mutuamq; charitatem, & amorem, qualis inter fratres esse solet, eos exhortari.

2. Verbum *maneat*, quo vtitur Paulus, positum putant Chrysostomus, & Theophylactus, non pro eo quod est *sit*, quasi exhortetur eos ad charitatem, quam non habuerant, sed pro eo quod est *perseueret*, quod iam in ipsa illi florerent, exhortatur autem ad illam retinendam, ne inter aduersa, quæ patiebantur, periclitaretur: parum autem refert, quod illud *in vobis*, aliqui Græci codices non habeant, nam plerique, & Latinus emendatus habent, & necessariò intelligi debet.

3. Illud *quamuis bonorum vestrorum*, &c. addidimus secundum mentem Chrysostomi, & Theophylacti, nam timeri poterat, ne ea ratione, quod bonis suis spoliati essent, ad hospitalitatem tardiores efficerentur.

4. Pro *latuerunt*, quod est in emendata Sixti, plerique vulgati codices, & aliqui Latini expositores antea legebant *placuerunt*; eam tamen lectionem vitio librariorum irrepsisse manifestum est, nam in Græco est verbum ἔλαθον, quod vulgatus vbique per verbum latere interpretatur, neque apud Græcos vnquam denotat idem quod apud Latinos placere: ex Græcis autem qui in hunc sensum Paulum exponunt, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, & Theodoretus, ita explicant vt sensus sit, per hanc enim quidam Angelos hospitio exceperunt, cum ipsos esse Angelos ignorarent, quasi in hoc commendetur dignitas huius virtutis, vt interdum mereatur pro hospitibus Angelos habere, qui homines esse putantur, veluti si piscator putans se piscem hamo piscari, aurum, aut margaritas capiat: intelligunt autem de Abrahamo, qui Angelos hospitio excepit. Quidam hanc expositionem

tionem

Digitized by Google

tionem refellunt, quod Abraham optimè nouerit Angelos esse illos, quos hospitio excepit: mihi etiam non probatur; alia tamen ratione, existimo enim, vt dixi prima parte, disputat. 185. cap. 2. Abrahamum non agnouisse Angelos esse, quos hospitio excipiebat, id quod ex eius colloquio cum eis manifestè colligitur, ideo igitur non probatur mihi, quia hic modus loquendi ad denotandum, eis, qui hospitio excipiebant, ignotos fuisse hospites ipsos, durus admodum, & insolens est. Placet igitur mihi interpretatio Fabri Stapulensis, & Catherini, qui hunc locum de Loth, non de Abrahamo intelligunt, vt in paraphrasi, nisi quod ipsi putant positum pluralem numerum pro singulari, quod mihi non probatur; vt enim ait Erasmus, hæc phrasis linguæ Græcæ conueniens non est. Ego verò censeo merito hospitalitatis, non tantùm ipsum Loth à pessimis Sodomitis, qui ipsum opprimere volebant, quod hospites defenderet: verùm etiam familiam ipsius incolumem fuisse seruatam eo modo, quo in paraphrasi diximus, absque vlla improprietate, & figura, & absque eo quod plurale pro singulari ponatur, & ita hunc locum explicari posse.

5. Quidam ita exponunt, honorabile est coniugium, & ita Erasmus transtulit addito verbo præsentis *est*, & Syriacus interpres eodem modo habet, nobis placuit pro *est* intelligere *sit*, vt vim habeat exhortandi côiuges ad mutuum honorem, quod verò ait, *in omnibus*, Theophylactus interpretatur in omnibus hominibus, vt non solùm in his, qui sunt prouectioris ætatis, sed etiam in iuuenibus, tum etiam omnibus modis, & temporibus tam afflictionis, quàm prosperitatis. Fulgentius libro de fide ad Petrum capit. 3. satis post medium, ita explicat, vt omnibus etiam continentibus honorabile sit connubium, hoc est, ab eis non vituperetur, vt malum, sed continentia, vt melior probetur. Mihi verò placet cum Oecumenio, vt significet in omnibus rebus, & cum præcipua res sit thorus, deinde speciatim illam expresserit.

6. Particula *nam*, indicat quo pacto thorus immaculatus inter coniuges seruandus sit, ita vt nihil contra fidem matrimonij fiat, nam fornicatores, & adulteros, qui aliis commiscentur, damnabit Dominus.

7. Versio Caietani, & eius interpretatio probanda non est, qui ita vertit, *sit modus sine auaritia*, exponit autem his verbis *turpe est quod auaritia imponat*; Græca autem vox τρόπος, significat morem, & quamuis etiam significet modum, tamen vulgatus noster, & ferè omnes alij *mores* transtulerunt.

8. Nonnulli putant Paulum hîc exhortari Hebræos, ne in crastinum sint soliciti, sed bonis præsentis diei sint contenti, verùm cum solici-

Digitized by Google

tudo de crastino non pertineat ad auaritiam; & contrà proprium sit auaritiæ, vt nemo contentus sit his, quæ possidet, sed plura appetat, Paulus autem hoc loco contra auaritiam exhortetur Hebræos, sensus paraphrasis iure præferri debet, ad cuius explicationem numerum illum addidimus.

9. Suppleri debet *Dominus*, vel *Deus*, vt patet, porro locus ille adducitur à Paulo non in sensu literali, sed accommodatitio ab exemplo, vt sicut Domius dixit Iosuæ, *non te deseram, &c.* sic etiam dictum putet vnusquisque sibi, si spem in Deo constituat.

10. Eodem modo adductum fuisse à Paulo alterum locum Psal. 55. manifestum est, neque verò vt nonnulli arbitrantur, hic locus adducitur ad erigendos in spem eos, qui in vinculis tenebantur, cùm horum in hoc capite non fecerit mentionem, nisi vt eorum misererentur Hebræi, sed ad idem omnino, nempe vt eis persuaderet, ne timerent egestatem, quam ab aliquo pati possent.

11. Theophylactus putat verbo illo, *mementote*, tacitè insinuari obligationem, qua deberent præpositos sustentare ex bonis suis, id tamen videtur omnino extra rem, cum hîc solùm (vt omnes explicant) agat Paulus de exemplo, quod Hebræis imitandum proponit, tum etiam quia cum loquatur de his, qui ex hac vita decesserunt, frustra ad eorum sustentationem Hebræos hortaretur.

12. Per varias, & peregrinas doctrinas id intelligit, nempe peregrinas à fide, & diuersas ab ea, hæ autem sunt omnino fidei contrariæ.

13. Græcè est περιφέρεσθε, quod Latinè est, circunferamini, & ita vertit Syriacus iuxta illud ad Ephesios 4. *& circunferamur omni vento doctrinæ*, idem sensus est vulgatæ, quam sequimur, nam abduci est de loco duci, & moueri.

14. Periodum illam mutato ordine posuimus, eo quod vim causæ continere videtur, contendit enim verbis illis persuadere constantiam in fide, & eadem de causa verba quædam addidimus, vt sensus magis perspicuus esset.

15. Nonnulli patres Græci quos memorauimus 1. tom. 3. part. disp. 67. capit. 3. putant per *heri*, & *hodie*, tempus breue humanitatis Christi ex parte initij denotari, per illud autem, *ipse & in sæcula*, æternitatem Deitatis eius, verùm quia sensus præcedentibus accommodari non posset, secuti sumus alium in paraphrasi, qui contextui optimè quadrat.

16. Verba illa addidimus, vt explicaremus vim illius verbi *stabilire*.

17. Per escas nonnulli intelligunt discretionem ciborum, vt exhortetur Paulus Hebræos, ne discernant inter cibos, sicut lex antiqua præcipiebat. Ita Chrysostomus, Theophylactus, & Anselmus, & Caietanus:

Digitized by Google

nus: verùm cùm Hebræi illi nunquam de delectu ciborum notati fuerint, vt patet ex tota epistola, non video quorsum Paulus de illo in hoc capite loquatur: alij etiam cum Anselmo per escas intelligunt cibos quoscunque corporales, vt sensus sit animam stabiliendam esse in fide gratia Dei, non escis, quæ non profuerunt his, qui vitam suam ducunt in conuiuiis, & comessationibus, quominus eam amitterent, cuius sustentationi illi non indulgebant, sensus tamen extortus est, quis enim dubitaret mentem non esse escis, & conuiuiis earum stabiliendam in fide? adde etiam, quòd Hebræi illi non erant notati, quod conuiuiis, & escis multum dediti essent. Mihi igitur placuit sensus paraphrasis, eo quod Hebræi illi non erant vsqueadeò stabiles in fide, vt antiquam legem, & eius sacrificia non seruarent, præsertim verò cum multa à contribulibus ob fidem Christi susceptam paterentur.

18. Quamuis sacrificia legis Moysis profuerint offerentibus, vt opera virtutis, tamen quia in illis non fuit remedium nostræ redemptionis, vt in hac epistola cap. 7. num. 25. notauimus, ideò dicit Paulus, quæ non profuerunt: hanc expositionem tribuere possumus Theodoreto, & Caietan. qui loquuntur vniuersè de omnibus legalibus.

19. Occurrit tacitæ obiectioni, quam additis paucis verbis in paraphrasi explicuimus, ex quo colligi potest per escas intelligere Paulum non quæcumque legalia, sed sacrificia, in quibus præcipua pars legis proposita videbatur.

20. Per tabernaculum intelligit templum materiale Salomonis, in quo offerebantur sacrificia illa secundum legem Moysis.

21. Reddit rationem ob quam non licet edere de altari nostro Sacerdotibus Leuiticis, vt autem ratio hæc alicuius momenti sit, necesse est, vt Iesus extra portam mori voluerit, ad indicandum se offerri in sacrificium pro peccato, ac proinde, vt etiam denotaret non licere de illo edere Sacerdotibus tabernaculi, vtrumque autem expressit Paulus illis verbis, *propter quod & Iesus, &c.*

22. Per castra ibi aliqui cum Theophylacto, & S. Thoma intelligunt mundum, eiusq; delectationes, ita vt exemplo illo Christi exhortetur Hebræos ad bonos mores. Mihi probatur sensus paraphrasis, quem sequitur Theodoretus, & affert etiam S. Thom. id quod instituto epistolæ maximè congruit, nam Hebræi illi in discrimine versabantur redeundi ad legem Moysis relicta fide Christi, ad quam retinendam exhortatur Paulus in tota epistola, vt notaui in argumento illius, accipit autem Paulus continens pro contento, nempe templum ipsum pro lege, quæ in eo seruabatur, nam per castra templum intelligit, sicut supra num. 21.

23. Im-

23. Improperium Christi vocat aduersa, quæ docuit Christus toleranda esse ob seruandam iustitiam, sicut etiam exposuimus capit. 11. num. 49.

24. Vt explicaremus vim particulæ causalis *enim*, & ostenderemus, cuius causam redderet, addidimus pauca illa verba, quæ suppressit Paulus, hic enim occurrit etiam tacitæ obiectioni.

25. Ne quis putaret se nihil Deo offerre posse in Ecclesia Christi, sicut in templo Salomonis cuilibet offerre licebat, ostendit quid vnusquisque pro antiquis sacrificiis offerre possit.

26. Mutat personam, vt sæpe facere consueuit, & ne quis putaret hoc solum sacrificium laudis, à quolibet nostrum offerendum esse, exhortatur ad alia duo genera sacrificiorum, quæ in operibus misericordiæ posita sunt, quod ea maximè Deo accepta sint; dicuntur autem sacrificia, non vt quidam parum considerate putarunt, quod imperentur à virtute religionis, nam etiam quatenus ex sola misericordia fiunt absque vllo affectu religionis dicuntur à Scriptura, & Patribus sacrificia, vt ostendi 3. parte, disp. 93. sed quia vt ibidem cap. 2. dixi, opera misericordiæ Deo ita placent, vt sacrificiis præferātur iuxta illud Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*, quod habet etiam Matth. cap. 9.

27. Communionem pro communicatione posuit noster vulgatus, idem tamen sensus est, nam per communicationem fieri solet communio bonorum inter duo, nam bona illius qui tribuit eleemosynam videtur communia sibi, & pauperi, cui tribuit: alij dicunt per eleemosynam fieri communicationem quandam; quia diues tribuit pecuniam, pauper autem reddit gratias, hic tamen sensus mihi non probatur, est enim valde extortus.

28. Pro verbo illo *promeretur*, quod est in voce passiua, est Græcum εὐαρεστεῖται, quod significat oblectatur, seu placatur Deus, & hoc pacto præter Græcos legit Augustinus 10. de ciuitate cap. 5. sensus tamen eôdem redit, vt in paraphrasi, ex hoc autem loco deduximus 1. 2. disputat. 218. cap. 2. meritum, quod vocant de congruo, impetrare, vt homo iustificetur, illudq; diximus esse bonorum operum, præsertim misericordiæ.

29. Iam redit ad exhortationem moralem, quam cœperat in hoc capite.

30. Peruigilare idem est, quod continuò, seu tota nocte vigilare, hoc autem verbo rectè explicat Paulus continuam Præpositorum obligationem vigilandi, nam peruigilare pro debito vigilandi sumitur.

31. Non-

Digitized by Google

31. Nonnulli putant ideo dixisse Paulum id non expedire Hebręis, ne Præpositi videntes eorum in obediendo repugnantiam, non audeant eis præcipere, id quod vtilius ipsis esset.

32. Manifestum est Paulum, cùm scripsit hanc epistolam, in vinculis fuisse, vt notat Theophylactus in argumento illius, ideoq; illa verba, vt *à vinculis liberemur*, addidimus, sic enim rectè explicatur vis particulæ causalis, quæ subsequitur, cùm tamen alioquin difficilis esset textus. Porro Paulum in vinculis tunc fuisse indicat verbũ illud *restituar*, quod est num. 34.

33. *Amplius*, Græcè est περισσοτέρως, Latinè idem, quod magis.

34. Cùm restitui non dicatur nisi de eo, quod vi ablatum est, meritò hoc verbo denotari diximus liberationem Pauli à vinculis, in quibus tunc erat.

35. Illud, *in sanguine testamenti*, non debet referri ad suscitationem Christi quasi in sanguine testamenti suscitatus fuerit, sed ad illud, *pastorem magnum*, non quod sanguine testamenti, hoc est cuius in cruce effusione, quasi Testamentum nouum confirmatum est, vt in tractatu de sacrificio Missæ dicemus, meruerit esse custodem, & pastorem: hanc enim dignitatem capitis, & pastoris habuit, absq; merito, ipso beneficio Incarnationis; sed quod mereatur à Deo passione sua custodire, hoc est liberare oues suas à malo: particula enim, *in*, instrumentariam causam denotat, & idem est, quod, *per*.

36. *Aptet*, Græcè est, καταρτίσαι, Latinè idem quod perficere, intelligit autem per perficere id quod ad Philip. 2. cum ait: *qui dat vobis velle, & perficere*, est autem perficere opere exequi id quod per gratiam Dei animo concepimus, nam & ad hoc requiri peculiarem gratiam, quam vocant consequentem, probauimus 1. par. disp. 88. cap. 10. Porro autem hoc loco, *perficere*, idem esse, quod opere exequi, id quod volumus, patet, quia statim addidit Paulus, *vt faciatis eius voluntatem*.

37. Illud, *faciens in vobis*, explicuimus ita vt denotet operationẽ solius Dei, quę pertinet ad gratiam, quã Deus in nobis sine nobis operatur, de qua diximus 1. par. in ea disput. 88. cap. 6. hunc autem sensum maximè suadet modus ille loquendi, quo sæpius vtitur Augustinus, & Concilium II. Arausicanum, & hoc modo Paulus vtranq; gratiam comprehendit, & antecedentem, quæ est initium volendi, & subsequentem, quæ datur ad opus post voluntatem; mutauimus in hac periodo ordinem verborum, vt illud, *per Iesum Christum*, coniungeremus cum illo, *faciens vobis*, & ita magis perspicuus esset sensus, neque coniungi debet cum illo, *quod placeat coram se*.

Ii 3 38. Hoc

38. Hoc dicitur vt notant Chrysostomus & Theophylactus, quod Hebræi pusillo essent animo in tribulationibus, nam talium est non ferre sermonem longum, cui expositioni, consonat Syriaca versio, quæ habet, *longanimes sitis in sermone consolationis*; alij putant Paulum veniam petere, quod cum Hebræorum Apostolus non esset, ad eos scripsisset.

39. Quidam cum Chrysostomo putant per dimissum significare Paulum, Timotheum dimissum fuisse ab Athenis, nam Actorum 17. ita dicitur. Hanc expositionem sequuntur Chrysostomus & Theophylactus, & alij Græci, qui etiam sensum paraphrasis probant.

LAVS DEO.

QVI-

Digitized by Google

QVIDAM, E SOCIETATE IESV, LECTORI.

CVM notũ sit lucubrationes P. Gabrielis Vazquez, adeò tritas manibus hominum, Bullam aduersus Michaëlem Baium editã à Pio V. & Gregorio XIII. toties subnectere, quo vel oppositas reuincant opiniones, vel propriis concilient autoritatem, visum est eam excusam dare Hispanorum scholis, quam sæpe iam Typographi sparserunt per Italiam. Nec scire fugiat Lector id quod iam pridem monuit P. Vazquez 1.2. disp. 190. c. 18. huius Bullæ denuntiatorem fuisse Franciscum Toletum Societatis nostræ Theologum, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, qui autoritate Pontificis Louanium missus est, vt commotos quibusdã rumoribus Doctores, ad eiusdem Bullæ veritatem redigeret, & discrepãtes reuocaret in concordiam Theologici nominis dignam. Sed illud accidit peroppor-

portunè P. Vazquez, tũ ad intelligentiam Bullæ singulare, tum ad commendationem explicationum suarũ admirabile, vt Michaëlis Bay opera, ex quibus segmenta ista, & propositiones decerptæ sunt, & quas nonnulli torquent iniquissimè, obtẽta priuata facultate legere licuerit, quo ex vniuerso doctrinæ tenore, ac ductu, & præcedentium, ac consequẽtium sermone ad declarationem vocato, faciliùs pronũtiaret de Bay, & Pontificum sensu. Iudicarunt Theologi nõnulli ex his fragmentis propositionum per coniecturã solam, in nonnullis fuisse opinionibus Baium, de quibus ne vno quidem loco potest esse suspectus, ac ideò expositiones induxerunt, à quibus dissentirent multum, si huius Doctoris opera legissent. Meminerunt Bullæ huius Cardinalis Bellar. tom. 3. lib. 5. de iustificatione agens de merito c. 12. & 14. ac sæpe alibi, P. Azor. tom. 1. li. 4. cap. 29. in fine agens de peccato originali. P. Suarez 1. p. lib. 2. de prædestinatione cap. 16. num. 27. & P. Vazquez locis annotandis ad Bullæ marginem, cui singula adiungentur loca, quibus sparsim per varias disputationes ab eodem autore aliqua ex his propositionibus explanantur.

GRE-

GREGORIVS

EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, ad perpetuam rei memoriam. Prouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, vt ea quæ à prædeceſſoribus noſtris emanarunt, ſuadente maximè fidei Catholicæ conſeruatione, vbicunque ipſis opus eſt producantur. Quare nos tenorem literarum fe: re: Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri, in eius regiſtro repertum, deſcribi, & pręſentibus annotari fecimus, qui talis eſt. Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino conſtituti, tam luctuoſo tempore ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipuè excruciat dolor, quod religio Chriſtiana, tantis iam pridem turbinibus agitata, nouis quotidie propoſitis opinionibus conflictetur, Chriſtique populus antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios, atque alios errores paſſim, & promiſcuè deferatur. Quantum verò ad nos attinet, totis viribus conamur, vt illæ ſimul atque proſiliunt, penitus opprimantur: magno etenim mærore afficimur, quod plerique ſpectatæ alioqui probitatis, & doctrinę, in varias ſententias offenſionis, & periculi plenas, cum verbo, tum ſcriptis prorumpunt, deque eis, in ſcholis inuicem controuertuntur inuicem, cuiuſmodi ſunt ſequentes.

PRIMA: *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, rectè vocantur gratia.* 1. 2. diſput. 214. cap. 13.

2. *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua, eſt vitæ æternæ meritorium.* 1. 2. diſput. 214. cap. 13.

3. *Et bonis Angelis, & primo homini ſi in ſtatu illo perſeue-* Ibidem.

rasset vsque ad vltimum vitæ, fœlicitas esset merces, & non gratia.

Ibidem. 4. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit, intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta primo homini, & Angelo, continetur naturalis iustitiæ constitutio, quæ pro bonis operibus, sine alio respectu vita æterna iustis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, vt si in obedientia perseueraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita, fuerunt primæ creationis munera.

8. Sed iuxta modum loquendi Scripturæ, non rectè vocantur gratia, quo fit vt tantum merita, non & gratia debeant nuncupari.

1. 2. disput. 130. ca. 11. 9. In redemptis per gratiam Christi, nullum inueniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

10. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia, sed quia secundum vsum Scripturæ, nomine gratiæ, tantum ea munera intelliguntur, quæ per Iesum male merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

11. Solutionem pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe remanet, & corporis resurrectionem propriè non nisi meritis Christi adscribendam esse.

1. 2. disput. 114. cap. 13. 12. Quod piè, & iustè in hac vita mortali vsque ad finem conuersati, vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali, statim initio creationis constitutæ, iusto Dei iudicio deputandum est, neq; in hac retributione bonorum, ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali institutum est, vt iusto Dei iudicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

13. Pe-

Digitized by Google

13. Pelagij sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni cœlestis meritorium. 1. 2. disput. 216. cap. 1.

14. Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti, ex eo quod fiunt per spiritum adoptionis, inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodq; per ea præstatur obedientia legi. 1. 2. disput. 216. cap. 1. & disput. 214. ca. 13.

15. Opera bona iustorum non accipient in die iudicij extremi, ampliorem mercedem, quam iusto Dei iudicio mererentur accipere. 1. 2. disput. 215. cap. 4.

16. Dicit rationem meriti non consistere in eo quod qui bene operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solùm quod quis obedit diuinæ legi, quam sententiam sæpius repetit, & multis rationibus probat fere toto libro. 1. 2. disput. 214. ca. 13.

17. In eodem libro sæpius repetit, quod non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

18. Dicit sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, vt homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum. 1. 2. disput. 216. cap. 1.

19. Dicit opera catechumenorum, vt fidem & pœnitentiam, ante remissionem peccatorum factam, esse vitæ æternæ merita, quam vitam non consequētur catechumeni: nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur. Ibidem.

20. Videtur insinuare, quod opera iustitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerint maiorem valorem.

21. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

22. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio, in consortium diuinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

23. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Roman. 11. 1. 2. disput. 190. cap. 18.

 Gentes

Digitized by Google

23 disp. 193. cap. 4. Gentes quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

24. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, vt fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.

25. A vanis, & otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum excogitata est sententia, hominem ab initio sic constitutum, vt per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.

1.2. disput. 191. cap. 2. 26. Ad Pelagianismum reiicienda est illa sententia, omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia.

27. Integritas primæ creationis, non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis eius conditio, quam sententiam repetit, & probat per plura capitula.

1.2. disput. 190. cap. 18. 28. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio, non nisi ad peccandum valet.

1.2. disput. 190. ca. 18. 29. Pelagianus est error, dicere quod liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum.

1.2. disput. 190. cap. 18. 30. Non solùm fures hi sunt, & latrones, qui Christum viam, & ostium veritatis, & vitæ negant, sed & quicunque aliunde, quàm per Christum, in viam iustitiæ, hoc est ad aliquam iustitiam conscendi posse dicunt, aut tentationi vlli sine gratiæ ipsius adiutorio, resistere hominem posse, sic vt in eam non incidat, aut ab ea superetur.

Tomo 2. in 3. part. disp. 152. cap. 1. 31. Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

3. par. disp. 152. cap. 1. 32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.

1. 2. disput. 190. cap. 18. 33. Catechumenus iustè, rectè, & sanctè viuit, & mandata Dei obser-

Digitized by Google

obseruat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lauacro demum percipitur.

34. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, vt autor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, vt beatificator est, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimoniis excogitata.*

35. *Omne quod agit peccator, vel seruus peccati, peccatum est, & amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, & ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum iniuria crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.*

36. *Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.*

37. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum S. in corde diffusa Deus amatur.*

38. *Quod voluntariè fit, etiam si in necessitate fiat, liberè tamen fit.*

39. *In omnibus suis actibus peccator seruit dominanti cupiditati.*

40. *Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.*

41. *Iustitia, qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum iustitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renouatur, ac diuinæ naturæ consors efficitur, vt sic per Spiritum sanctum renouatus deinceps bene viuere, & Dei mandatis obedire possit.*

42. *In omnibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, etiam in catechumenis ante Baptismum est vera iustificatio, separata tamen à remissione peccatorum.*

[Margin notes: & tomo 2. in 3. part. disp. 152. cap. 1. & 1. 2. q. 113. in notatio. nib. art. 7. 1. 2. disp. 195. cap. 4. — 1. 2. disp. 190. cap. 18. — 1. 2. disp. 192. cap. 8. & 190. cap. 18. — 1. 2. disp. 190. ca. 18. & tom. 2. in 3. part.]

 43. Ope-

Digitized by Google

disp. 151. cap. 1. & 1. 2. q. 113. in notatio-nib. art. 7.

43. Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt ut mandatis Dei pareant, eiusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, iustificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis iustitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

Tom. 3. in 3. part. disp. 221. cap. 4.

44. Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium, quàm generali illa qua omne opus, quod fit ut sancta societate Deo homo inhæreat.

45. Ad rationem, & diffinitionē peccati non pertinet voluntarium, nec diffinitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium, utrum peccatum originis verè habeat rationem peccati sine ulla ratione, aut respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

46. Peccatum originis est habituali paruuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur paruulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

47. Voluntatis arbitrio, & ex habituali voluntate dominante fit, ut paruulus discedens sine regenerationis sacramento quando usum rationis consequuturus erat, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

48. Praua desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo inuitus patitur, sunt prohibita præcepto: non concupisces.

49. Concupiscentia, siue lex membrorum, & praua eius desideria, quæ inuiti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

50. Omne scelus eius est conditionis, ut secum autorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

51. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum maioribus.

52. Diffinitiua hac sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cum Pelagij sit, Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

53. In

Digitized by Google

53. In peccato duo sunt, actus, & reatus, transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, siue obligatio ad pœnam. Vnde in sacramento Baptismi, aut sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati duntaxat tollitur, & ministerium sacerdotum solum liberat à reatu. Tomo 4. in 3. part. in quaest. 84. art. 3.

54. Peccator pœnitens non viuificatur ministerio sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans viuificat eum, & resuscitat: ministerio autem sacerdotis solus reatus tollitur. Tomo 4. in 3. part. in quaest. 84. art. 3.

55. Quando per eleemosynas vel aliqua pœnitentia opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus (sicut quidam errantes autumant.) Nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte Redemptores: sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

56. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorũ passiones impartiuntur, vt digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

57. Celebris illa Doctorum distinctio, diuinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam, tantum, altero quantum ad certum quendam modum, scilicet secundum quem valent operantem perducere ad regnum æternum, hoc est, ad modum meritorum, commentitia est, & explodenda.

58. Illa quoque distinctio quæ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto, & omnibus circunstantiis rectum est, & bonum, quod moraliter bonum appellari consueuit, vel quia est meritorium regni æterni, eo quòd fit à viuo Christi membro per spiritum charitatis, reÿcienda putatur. 1. 2. disp. 190. ca. 18.

59. Similiter, & illa distinctio duplicis iustitiæ, alterius quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspira-

Digitized by Google

ſpiratione quidem ſpiritus ſancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua diuina legis iuſtificatio impleatur, vt odioſiſsima, & pertinaciſsima reÿcitur.

Ibidem. *60. Denique & illa diſtinctio duplicis viuificationis, alterius qua viuificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ nouæ æternæ propoſitum, & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur, alterius qua viuificatur, qui verè iuſtificatur, & palmes viuus in vite Chriſto efficitur, commentitia iudicatur, & ſcripturis minimè congruens.*

1. 2. diſp. 190. cap. 18. *61. Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis liberi arbitrÿ bonus, ſiue non malus: & gratiæ Chriſti iniuriam facit, qui ita ſentit, & docet.*

Ibidem. *62. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

63. Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſariò facit.

64. Infidelitas purè negatiua, in his, in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.

65. Iuſtificatio impÿ fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ, quæ per eam iuſtificatos faciat implere legem.

1. 2. deſp. 199. cap. 18. *66. Homo exiſtens in peccato mortali, ſiue in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram charitatem: & charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.*

Tom. 4. in 3. part. in quæſt. 84. art. 5. *67. Per contritionem, & cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi ſacramentum coniunctam non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrÿ, ſine actuali ſuſceptione ſacramenti.*

68. Omnes omnino iuſtorum afflictiones ſunt vltiones peccatorum ipſorum: vnde Iob, & Martyres, quæ paſsi ſunt, propter ſua peccata paſsi ſunt.

69. Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali. Hinc

Beata

Digitized by Google

Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesq; eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum iustorum, fuerunt vltiones peccati actualis, vel originalis.

70. *Concupiscentia in renatis lapsis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum est, sicut & alij habitus praui.*

71. *Motus praui concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti peccato: non concupisces. Vnde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, non concupisces, quamuis transgressio in peccatum non imputetur.*

72. *Quandiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

73. *Satisfactiones laboriosæ iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.* Tom. 4. in 3. part. in quæst. 94. art. 1.

74. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

75. *Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine iustitia naturali.* 1.2 dist. 19. ca. 18.

Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore tamen, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectiuè, & quæcunq; super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium autoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deq; eisdem, & similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscunq; interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò priuamus, ac etiam inhabiles ad quæcunq; decernimus: vinculo quoq; anathe-

 matis

Digitized by Google

matis eo ipso innodamus: à quo nullus Rom. Pont. inferior valeat ipsos (excepto mortis articulo) liberare. Cæterum vt iam commoti his diebus tumultus, & contracta odia facilius comprimi possint, simulq́; animarum saluti plenius consulatur, dilecto filio nostro Antonio tituli S. Bartholomæi in insula presbytero Cardinali Grauellano nuncupato per Apostolica scripta mandamus, vt ipse quid ad propriam dictarum sententiarum, & scripturarum abolitionem, quid ad arcenda huiusmodi proloquia, & disputationes, quid deniq; ad vnionem, & pacem cum communi omnium Ecclesiæ catholicæ satisfactione componendum facto opus sit, inprimis diligenter expendat. Deniq; in iis omnibus, quæ pro communi salute, tranquillitate, & honore optima iudicauerit, salua semper Ecclesiæ potestate, & perpetua vnitate, etiam per alium seu alios fide, doctrina, & religione præstantes opus exequatur, faciatq́; quicquid decreuerit inuiolatè ab omnibus obseruari, contradictores quoslibet per censuras, & pœnas positas, cæteraq́; iuris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita compescendo, inuocato & ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus, quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, exemptionibus, indulgentiis, & literis Apostolicis specialibus, vel generalibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumq́; totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis

literis mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, mandati, priuationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Calend. Octobris, Pontificatus nostri anno secundo. Cæterum volumus, vt earundem literarum tenori sic inserto illa ipsa omnino fides adhibeatur vbicunque, & quandocunque, siue in iudicio, siue alibi ille fuerit exhibitus, vel ostensus, sicut illius originalibus literis prædictis adhiberetur, si ipsæ exhiberentur, vel ostenderentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo nono: quarto Calend. Februarij, Pontificatus nostri anno octano.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

397.901
Digitized by Google

INDEX LOCORVM DIVI PAVLI, QVÆ IN SEX VOLVMINIBVS THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ HVCVSQVE EXCVSIS HABENTVR, ET IN HOC opere iterum explicantur.

Ex Epiſtola ad Romanos.

CAPVT I.

INVISIBILIA enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, diſput. 21. num. 6. 1. part.

Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt. 1. par. diſp. 1. nu. 19. & 3. part. diſp. 94. num. 2.

Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei 1. p. diſp. 18. num. 6.

Euangelium virtus Dei eſt ad ſalutem omni credenti. 1. 2. diſp. 210. num. 8.

Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri, diſput. 95. nu. 4. 3. part.

Propter quod tradidit eos Deus, &c. 1. 2. diſp. 14. nu. 12.

CAPVT II.

Et circumciſio cordis in ſpiritu non litera 3. part. tom. 2. diſput. 163. num. 10.

An diuitias bonitatis eius contemnis? 1. part. diſp. 95 nu. 39.

Qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. 1. p. diſp. 86. nu. 17. & 1. 2. diſp. 215. nu. 27.

Non

Non enim est acceptio personarum apud Deum, disp. 86. n. 2. & 3. 1. p. & 1. 2. d. 223. n. 72. & 76.

Factores autem legis iusti sunt apud Deum. 1. p. tom. 2. d. 227. n. 14.

Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. 1. 2. d. 158. n. 7.

Gentes, quae legem non habent, naturaliter, quae legis sunt faciunt, ibidem, d. 190. n. 142.

Ipsi sibi sunt lex, ostendunt enim opus legis. 1. 2. d. 77. n. 2.

CAPVT III.

Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae, 3. par. disp. 77. num. 25. & 1. par. d. 65. num. 50.

Vbi est ergo gloriatio tua? 1. 2. d. 189. num. 7. & seq. & d. 203. num. 18.

Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis 1. 2. d. 210. n. 58. & 1. p. d. 89. n. 73. & d. 91. n. 113.

Scimus autem quoniam quaecunque lex. 1. p. d. 231. n. 9.

Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. 3. p. d. 115. n. 14.

CAPVT IV.

Signum accepit circumcisionis signaculum iustitiae suae. in annot. art. 3. q. 61. n. 43. 3. p.

Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam, ibidem. d. 131. n. 40. & 1. 2. disp. 209. n. 12. & d. 210. n. 77.

Et resurrexit propter iustificationem nostram, ibidem, d. 133. n. 32. & 52. & 1. 2. d. 182. n. 15.

Non enim per legem promissio Abrahae, aut semini eius. 1. 2. disp. 189. nu. 17. & 3. p. d. 23. n. 10. & d. 88. num. 14.

Per legem enim cognitio peccati. 1. 2. d. 97. n. 11. & 12.

CAPVT V.

Sed non sicut delictum, ita & donum, si enim vnius delicto, &c. 3. part. disp. 5. num. 10. & 1. 2. disp. 202. num. 6.

In quo omnes peccauerunt. 3. p. d. 115. n. 15. & d. 149. n. 14.

Sicut per vnius delictum, &c. ita per vnius iustitiam. 1. p. d. 85. n. 50.

Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo. 1. 2. disput. 90. num. 12. & 13.

Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, &c. 1. 2. d. 130. n. 14. & seq.

Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum. 1. 2. d. 133. n. 8.

CAPVT VI.

Gratia Dei vita aeterna, d. 41. num. 2. 1. part.

Non enim estis sub lege sed sub gratia. 1. 2. d. 166. n. 19.

An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. 3. p. d. 133. n. 46.

Consepulti enim sumus cum illo per

Baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. 3.p. disp.156. num.33.

CAPVT VII.

Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum. 1.2. quæst. 98. art.1.num.1.& seq.
Nam quæ sub viro est mulier viuente viro alligata est legi. 1.2.d.180. n.39.& seq.
Iam non operor ego illud, sed quod habitat in me peccatum. ibidem, d.85.n.37.& 1.p.d.88.n.36.& d.106.n.11.
Non in vetustate literæ, sed in nouitate spiritus, ibidem, d.189.n.15.
Quid ergo dicemus? lex peccatum est? absit, ibidem, d.189.n.24.& seq.& 1.p.d 91.n.114.
Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio, ibidem, disput.212. num.14.
Video aliam legem in membris meis, &c. 1.2.d.90.num.9.

CAPVT VIII.

Spes quæ videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat? 1.p. d.84.n.2.& 3.p.d.43.n.1.
Spiritus postulat pro nobis. 1.p.d.83. n.4.& 13.d.110.n.3.
Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ibidem, disput.93. num.8.
Quos præsciuit, & prædestinauit &c. ibidem, disp.91.n.14.& 3.p.d.10. num.20.
Quis accusabit aduersus electos Dei? d.89.n.44 1.p.
Quis nos separabit à charitate Dei? ibidem, d.90.n.7.& 1.2.d.200. num.64.
Accepistis spiritum filiorum in quo clamamus Abba Pater. 1.p.d.110. nu.5.& 1.2.d.200.n.61.& 3.p. d.80.n.68.& d.88.n.12.
Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. 1.p.d.146. n.10.
Corpus quidem per peccatū mortuum est. 1.2.d.134.n.2.
Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis. 1.2. disp.214.nu.80.& seq.& d.215. n.16.
Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. 3.p.d.89.n 55.
Quos præsciuit, hos & vocauit, quos vocauit, &c. 3.p.d 93. n.1.
Reliquiæ per gratiā saluæ factæ sunt. 3.p.d.23.n.43.
Scimus enim quod lex spiritualis est, ergo, &c. 3.p.d 1 n.6.

CAPVT IX.

Voluntati autem eius quis resistit. 3.p.d.1.n.13.& 1.p.d.89.n.126.& d.91.n.132.
Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia, Deus benedictus in sæcula. 3.p.d.15.n.72.
Qui sunt Israëlitæ, quorum est adoptio filiorum. 3.p.d.88.n.11.

Sicut

Digitized by Google

Sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau odio habui. 3.p.d.162.n.6. & 1.p. d.95.n.42.

Non enim omnes, qui ex Israël, ij sunt Israëlitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij, &c. 3.p.d.162. n.4. & 6.

Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. 1.p. d.101.n.17. & seq.

Cum nondum nati fuissent. 1.p.d.89. num.43.

Antequam quicquam boni aut mali egissent, vt secundum electionem propositum Dei maneret, &c. 1.p. d.89.n.112. & seq.

Miserebor cuius misereor. 1.p. d.91. n.122.

Non est volentis, neq; currentis, &c. 1.p.d.88.n.15.32. & 43. & d.98. n.13. & 1.2.d.85.n.33.

Dicit enim scriptura Pharaoni, &c. 1.p.d.95.n.4. & 38.

Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. 1.p.d.95.n.23.40.56. & d.98 n.12.

Dicis itaque mihi quid adhuc queritur, &c. d.91.n.104. & 105.1.p.

An non habet potestatem figulus luti. d.95.n.41.1.p.

CAPVT X.

Non est distinctio Iudæi, & Græci, etc. quomodo inuocabunt in quem non crediderunt, etc. equidem in omnem terram exiuit sonus eorũ. 1.p. disp.97.n.3. & 1.2.disp.120. num.11.

Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui, &c. 1.par.disp.2. num.30.

Dico ergo, nunquid sic offenderunt; ibid. d.132.n.19.

Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. 1. 2. disput. 189 num. 135.

Corde creditur ad iustitiam, &c. 3.p. disp. 131. num. 40. & disp. 144. num.9.

Sed dico, nunquid non audierunt, etc. 1.2.d.120.n.11.

Et hoc est verbum fidei, quod prædicatur vobis, ibidem. disput. 129. num.60.

Quicunque inuocauerit nomen Dei saluus erit, ibidem, disputat.100. num.107.

CAPVT XI.

Conclusit Deus omnia in incredulitatem, vt omnium misereatur. 3.p. d.17.n.97.

Sine pœnitentia sunt dona Dei. 1.2.d. 208.n.20.

Quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia. 1.part. d.177. num.10.

Non repulit Dominus plebem suam, quam præsciuit, ibidem, disp.95. num.22.

Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt, ibidem, disput.89. num. 3. 1. & 114. & disput. 94. num.115.

O altitudo diuitiarum, etc. quis prior dedit

Digitized by Google

dedit illi, & c. si autem gratia, iam non ex operibus, disp. 89. n. 3. & d. 91. n. 118. 1. p.

Quàm incomprehensibilia sunt iudicia, ibidem, disp. 49. n. 2. & d. 52. num. 6.

Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? ex ipso enim, per ipsum, & in ipso sunt omnia, ibidem, disp. 85. num. 20.

Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia, ibidem, d. 3. n. 9.

CAPVT XIII.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. 1. 2. *disput.* 152. *num.* 20.

Non adulterabis, non occides, ibid. disp. 180. *num.* 19.

CAPVT XIV.

Domino suo stat, aut cadit. 1. p. d. 229. *num.* 12.

Scio, & confido in Christo Iesu, quia nihil commune per ipsum. 1. 2. d. 59. n. 7.

Omne quod non est ex fide, peccatum est. 1. 2. d. 191. n. 15.

CAPVT XV.

Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. 1. p. d. 14. *num.* 15.

CAPVT XVI.

Secundum reuelationē mysterij temporibus æternis taciti. 1. p. d. 33. *num.* 3.

Ex Epistola ad Galatas.

CAPVT II.

Qui videbantur esse aliquid. 3. *part.* d. 123. n. 20.

Cum autem venisset Cephas Antiochiā in faciem ei restiti. 1. 2. d. 182. n. 45. & *seq.*

CAPVT III.

Qui fecerit ea viuet in illis. 1. p. d. 16. *num.* 15.

Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, ibidem. disput. 91. *num.* 124. 1. 2. *disp.* 212. *num.* 11.

Ordinata per Angelos, ibidem. disp. 185. n. 3. & 4.

Omnes qui sub lege sunt, sub maledicto sunt. 1. 2. d. 166. n. 9.

At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo, ibidem. disp. 180. n. 29. & 35.

Christus nos redemit de maledicto legis, ibidem. disp. 19. n. 28. & 3. p. d. 2. n. 7.

Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, viuet in illis, ibidem. num. 23.

Non dixit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo qui est Christus. 3. p. d. 62. *num.* 3.

Data est lex per Angelos in manu mediatoris. 3. *part. disputat.* 83. *num.* 4.

Digitized by Google

CAPVT IV.

At vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum. 3.part.d.24.n.39.

Quanto tempore hæres paruulus est nihil differt à seruo, cùm sit Dominus eius, ibid. d.88.n.15. & seq.

Iis qui natura non sunt dij, seruiebatis, ibidem, d.97.n.13.

Sub elementis mundi huius eramus seruientes, ibidem, d.129.n.46.

Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba Pater. 1.p.d.110.n.9.

Factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. 1.p.d.91.n.35.

Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla & vnum de libera, ibidem, d.56.n.8.

Quæ sunt per allegoriam dicta, hæc enim, &c. ibidem.

Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, &c. ibidem.

Illa autem quæ sursum est, Hierusalem libera est, &c. ibidem.

CAPVT V.

Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. 1.par.d.172.n.1. & 1.2.d.210.num.39.

Manifesta sunt opera carnis. 1.2.disp.97.n.15.

Si spiritu ducimini, non estis sub lege. 1.2.d.166.n.52. & seq.

Si circumcidamini Christus vobis nihil proderit. d.180.n.5.

Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, ibidem, & 3.p.d.155.n.103.

Viuo ego, iam non ego, etc. 1.2.d.114.num.47.

Semper charitate seruite inuicem. 3.p.d.93.n.8.

CAPVT VI.

Ergo dum tẽpus habemus operemur bonum. 1.p.d.230.n.3.

CAPVT I.

Cum autem placuit ei, qui me segregauit, &c. 3.p.d.114.n.19. & seq.

Ex Epistola ad Ephesios.

CAPVT I.

Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali. 1.p.d.94.n.9. & 11. & 3.par.disp.77.n.4. & d.10.n.18. & 28.

Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti. 1.par.d.89.n.2. 4. 44. 61. 111. 112. & d.91.n.34. d.94.n.8. & seq. & d.177.n.1.

Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum, ibidem, d.94.n.12. & 3.p.d.13.n.85.

Secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium volũtatis suæ, ibi. d.78.n.12. & d.81.n.1. & d.94.n.5. & d.102.n.1.

In quo etiam nos sorte vocati sumus, ibid.d.94.n.15. & 28.

Digitized by Google

Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. 3.par.disp.48.n.1.12.13.& 14.

*In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.*ibid. d.36.n.26.

Proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, ibid. d.49.n.2.

CAPVT II.

Propter nimiam charitatem suam qua dilexit eos. 3.p.d.11.n.2.

Et vos cum essetis mortui, delictis & peccatis vestris. ibid. d.1.n.6.

Eramus, & nos filij iræ. ibid. d.149.n.14.*legem mandatorum decretis euacuans.*1.2.d.180.n.6.

CAPVT III.

Vt innotescat principatibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis,&c.1.part.d.37.n.16.& d.49.n.2.

*Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra.*ibid. d.22.n.3.10.11.22.

Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, etc. ibidem. d.55.n.11.& 1.2.d.210.n.45.& seq.

Apparuit Angelis, d.215.n.2.

Mysterij absconditi à seculis, ibidem, n.3.4.

Vt innotesceret principatibus. n.3.7.8.& d.217.n.2.

CAPVT IV.

Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei in quo signati estis in diem redemptionis. 3.part.d.112.num.25.

Soliciti seruare vnitatem in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. 3.part.d.146.n.11.& 10.

Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, ibid.d.146.n.1.& 2.9.& 11.

Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. 1.p.d.47.n.2.

Dedit quosdam quidem Apostolos, ibid. d.1.n.3.& d.47.n.2.

CAPVT V.

Surge qui dormis & exurge à mortuis.1.p.d.88.n.38.& 1.2.d.185.n.38.& 50.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, ibid.d.215.n.2.& 3.p.d.128.n.2.& quæst.61.in art.3.n.41.& d.12.n.6.

Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, ibidem. disp.129.num.2.& 52.& disp.140.n.6.& d.156.num.36.

Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam, ibidem. disp.83.num.31.

CAPVT VI.

Serui obedite dominis carnalibus cũ timore, & tremore. 1.2.disp.152.num.52.

Et gladium spiritus, quod est Verbum Dei. 1.p.d.241.n.34.

Non est colluctatio, &c. vsque ad mundi Rectores, ibid. d.245.n.8.

Digitized by Google

CAPVT XV.

Qui fecit vtraque vnum. 1.part. disput.183.num.1.

Secundum iustitiam, quæ in lege est conuersatus sine querela. 1.2.disp. eadem, num.20.

Ex Epistola ad Philippenses.

CAPVT I.

Quia vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. 3.p. disp.77.num.8.

CAPVT II.

Humiliauit semetipsum, factus obediens, vsque ad mortem. 3.p.d.14. n.24.& d.75.n.20.

Formam serui accipiens, d.80. n.50. 3.part.

Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. 3.par.d.79. num.9.& 10. & 1.par.disp.89. num. 107.

In nomine Iesu omne genu flectatur. 3.p.d.108.n.107.& d.93.n.61. & 1.p.d.22.n.20.

Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, ibidem.disp.117. num.93.

Super hoc nomen, quod nominatur siue in hoc sæculo, siue in futuro. 1.part.disp.22.num.20.

CAPVT III.

Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illã, quæ ex fide. 1.2.d.189.n.19.

Ex Epistola ad Colossenses.

CAPVT I.

Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. 1.2.disp.204.num.30. & 31. & 1.part.disp.150. num.15.& 3. p.d.1. n.2.

Qui est imago Dei inuisibilis. 1.part. d.145.n.4.& d.185.n.1.

Omnia per ipsum creata sunt. ibidem. d.146. n.27.

Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. 3.p. d.111. n.6.

Quoniam in ipso condita sunt vniuersa, ibidem. d.10.n.15.& 25.

Per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem eius, etc. d.36.n.28.3.p.

Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, ibidem, disp.45.num.1.& disp.49. num.3.& 18.

CAPVT II.

Delens, quod aduersus nos erat chirographum, &c. 3.part.disp.77. nu.29.& disp.111. num.6.& 1.2. disp.18.num.6.

Quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, ibidem. d.48.n.14.15.& 16.

Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, ibid. d.112.n.19.

Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate, ibid.n.20.

Circumcisi enim estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed circumcisione Christi, consepulti ei in Baptismo 3.p.d.156.n.33. & in art.1.quæst. 70.n.17.

Ex Epist. 1. ad Thessalonicenses.

Capvt IV.

Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra. 1.p.d.83.n.7.

Ex Epistola ad Hebræos.

Capvt I.

Et cum iterum introduxit primogenitum in orbem terrarum, inquit, & adorent eum omnes Angeli eius. 1.p.d.233.n.3.& 12.

Nonne omnes sunt administratorij spiritus? ibidem, d.144.n.4.14. 15.& disp.178.n.1.10.& d.214. num.9.

Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, ibidem, disp. 122.n.2.& d.109.n.14. & disp. 145.n.4.

Portans omnia verbo virtutis suæ, 1. p.d.141.n.33.

Ad quem autem Angelorum dixit? sede à dextris meis. 1.part.d.144. num.4.

Hic autem vnam pro nobis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. 3.p.d.79.n.1. & d.82.n.32.

Capvt II.

Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, d.36.n.31.

Decebat enim eum, per quem omnia, & propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, 3. p.d.49.n.13.29.& 30.

Qui sanctificat, & sanctificantur, ex vno omnes. 3.p d.49.n.14.15.16. 17.& seq.

Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem, 3.p.d.49.n.3.30.& 31.

Decebat enim eum autorem salutis eorum per passionem consummari. 3. p.d.49.n.7.& d.75.n.20.

Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium. 3.part. d.133.n.45.

Cui dixit aliquando Angelorum? filius meus es tu, hodie ego genui te. 1.2.d.178.n.6.

Si enim, qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus. 1.2.d.185. n.45

CAPVT IV.

Etenim, & nobis nunciatum est, sicut & illis. 1. part. disp. 16. nu. 10.

Quoniam ergo superest introire quosdam in illam requiem, & ij quibus prioribus annunciatũ est, &c. vsque ad Sabbathismum populo. 1. part. disp. 16. nu. 10.

Omnia sunt aperta oculis eius, & nulla creatura est coram eo inuisibilis. 1. p. disp. 59. nu. 14.

CAPVT V.

Exauditus est pro sua reuerentia. 3. part. disp. 5. nu. 16.

Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, ibid. d. 55. nu. 7.

Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq́; ad Deum, &c. ibid. d. 81. nu. 13. & disp. 84. num. 13. & disp. 112. nu. 16.

Neq; quisquam sumpsit honorem, nisi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron, ibidem, disp. 83. nu. 37.

CAPVT VI.

Impoßibile est eos qui semel sunt illuminati, &c. & lapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam. 3. part. disp. 140. num. 3. & disp. 146. nu. 13. & d. 156. nu. 41. & 1. par. d. 97. nu. 5.

Non iniustus est Deus, vt obliuiscatur. 1. 2. quæst. 114. artic. 7. & disp. 211. nu. 8. & seq.

CAPVT VII.

Translato enim sacerdotio, necesse est & legis translatio fiat. 1. 2. disp. 180. nu. 3.

Hic autem eo quod maneat in æternum, &c. 3. p. d. 85. num. 6.

CAPVT VIII.

Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. 3. p. disp. 81. nu. 28.

Dicendo autẽ nouum, veterauit prius 1. 2. d. 181. nu. 19.

Qui seruiunt vmbræ futurorum. 1. p. disp. 16. nu. 11.

CAPVT IX.

Emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis. 1. 2. d. 59. nu. 3.

Christus aßistens Pontifex. 3. p. d. 1. num. 7.

Si enim sanguis hircorum, & vitulorum, & cinis, ibid. d. 36. nu. 16.

Et ideo mediator est noui testamenti, vt morte, &c. vbi enim est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris, ibidem, disput. 75. nu. 20.

Intrauit semel in sancta, ibi. disp. 75. nu. 1.

CAPVT X.

Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos. ibid. disp. 38. nu. 3. & seq.

Impoßibile est enim sanguine hircorum, & taurorum auferri peccata, ibid. d. 5. nu. 13.

Tunc dixi, ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam, ibid. disp. 74.

num. 37. & 40. & 1.2. disp. 181. num. 19.

Ideo ingrediens hunc mundum dixit, hostiam, & oblationem noluisti, &c. ibid. d. 75. nu. 3.

Quibus illuminati magnum certamen sustinuistis, ibid. d. 140. nu. 3.

Per singulos annos iisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, &c. in art. 4. quaest. 61. 3. part. nu. 44.

Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam iustitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, ibid. d. 156. nu. 41.

Vna oblatione consummauit sanctificatos. 1. 2. d. 181. nu. 19.

CAPVT XI.

Est autem fides sperandarum, &c. 1. p. d. 124. nu. 12. & 1. 2. d. 209. nu. 6. & seq.

Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. 1. 2. q. 99. art. 6. nu. 27.

Sine fide impossibile est placere Deo, ibid. d. 191. nu. 15.

Et tamen omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissiones. 1. 2. d. 18. nu. 8.

Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum, parauit enim illis ciuitatem, 3. p. d. 149. nu. 54.

CAPVT XII.

Proposito sibi gaudio, &c. 3. p. d. 75. nu. 28.

Non enim accessistis ad accensibilem ignem, &c. & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum. 3. part. disp. 83. nu. 4.

CAPVT XIII.

Christus heri, & hodie, ipse & in saecula. 3. p. disp. 67. nu. 11.

Beneficentiae autem, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. 1. 2. d. 218. num. 7.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

7

Digitized by Google

Digitized by Google